J. JACOBI ZIMMERMANNI,
S. THEOLOGIÆ IN GYMNASIO TIGURINO PROFESSORIS,
REG. BORUSS. SOC. SCIENT. SODALIS

OPUSCULA

THEOLOGICI, HISTORICI ET PHILOSOPHICI ARGUMENTI.

TOMI SECUNDI

PARS I.

TURICI,
Litteris CONRADI ORELLII, & SOCC.

MDCCLVII.

VIRIS

SVMME VENERANDIS, INTEGERRIMIS,
ERVDITIONIS LAVDE SPECTATISSIMIS, CONSILIORVM
PRVDENTIA CLARISSIMIS,

JO. CONRADO WIRZIO,

Paſtori in Templo Carolino Principi, &
Eccleſiarum Turicenſ. Antiſtiti,

NEC NON

DAVID LAVATERO,

Philoſophiæ Profeſſori publico, & Ven.
Canonicorum Collegii Decano.

FAVTORVM ET AMICORVM
BIGAE.

Alterum huncce OPVSCVLORVM Tomum
in grati ac devoti animi teſtificationem

D. D. D.

J. JACOBVS ZIMMERMANNVS.

VIRI SVMME VENERANDI, GRAVISSIMI!

QUoties ab una parte ad ingraveſcentem ætatem meam infirmamque valetudinem; ab altera vero ad varia VESTRA inde a triginta & quod excurrit annis in me collata

collata beneficia oculos animi mei converto; toties pectus meum singulari studio fertur ad publicam quandam grati mei erga VOS animi testificationem edendam. Novi illud tritum: INGRATUM QUI DIXERIT, OMNIA DIXERIT. Nec ignotum est illud Ciceronis dicentis: NIHIL MIHI MINUS HOMINIS ESSE VIDETUR, QUAM NON RESPONDERE IN AMORE IIS, A QUIBUS PROVOCERIS. VOS enim fuistis, qui conspecto qualicunque in me de Litteris bene merendi studio, calcar mihi addidistis, ut in studio veritatis inquirendæ strenue decurrerem. VOS Auctores fuistis, ut humi me tollerem & ad egregias spartas defungendas viam mihi pararetis. VOS famam & existimationem meam

detecta innocentia mea contra maleferiatos quosdam Zoilos strenue defendistis. VOS denique & me & meos variis beneficiis mactastis, atque variis jactatum fortunæ procellis consiliis vestris prudentissimis adjuvistis. Pro quibus omnibus in me collatis beneficiis heic publice gratias ago, atque, cum alia in promtu non sint, librum hunc in grati animi testimonium consecro & offero. Animus non est in laudes VESTRAS excurrere, cum nemini penes nos ignota sint VESTRA in Patriam & Ecclesiam merita. Ad vota igitur potius confugio, DEUMque immortalem rogo, ut VOS tanquam Patriæ & Ecclesiæ Lumina & Columina diu sospites & florentes

con-

conſervet; VESTRIS familiis, conatibus atque conſiliis publicis & privatis ex Alto benedicat; VOSque tandem ſero ad divinum illud beatarum mentium concilium migrare jubeat. Ita valete VIRI EXCELLENTISSIMI, & mihi valetudinario porro favete.

Tiguri . . . * An. MDCCLVII.

AD

* Ne quem offendat poſthuma hujus anni notatio, monendus eſt B. L. hanc ipſam Dedicationis atque etiam Præfationis formulam, manu B. ZIMMERMANNI proxime ante beatam ἀνάλυσιν exaratam, inter ſchedas ejus eſſe inventam; quam vel ſupprimere vel tantillum mutare religioni duximus: Spirat & illa ſummum pietatis candorem animique conſtantiam, ZIMMERMANNI decus proprium.

AD LECTOREM.

Lectori B. Salutem.

ACcipe hîc B. L. tomi ſecundi opuſculorum meorum partem priorem; complectitur illa diſſertationes duntaxat argumenti theologici, quia amici quidam voluerunt, ut diſſertationes de Simplicitate Theologica in prima hac parte comparerent. In poſteriore parte, quam Typographus ſine mora prelo ſe ſubjecturum promittit, comparebunt diſſertationes miſcellaneæ, quemadmodum illud factum eſt in primo tomo. Quod ſerius comparuerit hic tomus ſecundus, nulla alia cauſa eſt, quam quod Typographus in imprimendis aliis & quidem ſpiſſioris molis voluminibus occupatus fuerit. Index poſteriori hujus ſecundi tomi parti ſubjicietur. Hoc unum Te rogo, ut, quemadmodum benevole de primo meorum opuſculorum tomo judicaſti, idem officium præſtes & huic ſecundo. Si quæ Tibi diſplicent, memor eſto fragilitatis humanæ & diverſitatis ingeniorum humanorum.

Ita vale.

DIS-

DISSERTATIONUM

DE

RECENTIORUM QUORUNDAM ERUDITORUM PRÆPOSTERIS

ADVERSUS

INCREDULOS

Diſputandi Methodis,

PARS PRIMA.

* * * * * * * * *

Οὐ γαρ ἐπαισχυνομαι το εὐαγγελιον τȣ Χριςȣ, δυναμις γαρ Θεȣ ἐςιν εἰς σωτηριαν παντι τω πιςευοντι. Paulus ad Rom. Cap. I. v. 16.

QUelques perſonnes, qui ſe declarent en faveur de la Religion Chretienne en géneral, croient, qu'il ſeroit très à-propos de la *purger*, comme ils aiment à s'exprimer de tout ce qui ſent le *Myſtère*, pour lever le Scandale, que cela donne aux Eſprits ſpeculatifs, qui ne veulent rien croire, que ce dont ils peuvent comprendre clairement la *manière*. Mais, certes il ne nous appartient pas, à nous, qui ſommes ſimplement les *Miniſtres* de l'Evangile, d'en changer le ſyſteme, ou de le publier dans un autre forme que celle, dans laquelle *Jeſus Chriſt* & ſes Apôtres l'ont annoncé, & nous prions qu'on nous excuſe, ſi nous croions que les Dogmes de la Divinité du Fils de Dieu, de ſon Incarnation, & de la Redemtion, qu'il a operée pour nous ſur la Croix (tous effectivement *au deſſus* de la raiſon, mais non pas *contraires* à la raiſon) ſont trop importans, pour les ſacrifier aux Caprices de ces gens-là. Ita *Reverendiſs. in Chriſto Pater Edmondus, Epiſcopus Londinenſis, Inſtruct: Paſtoralis.* pag. 41.

DISSERTATIONIS
DE
RECENTIORUM QUORUNDAM
ERUDITORUM PRÆPOSTERIS
ADVERSUS
I N C R E D U L O S
DISPUTANDI METHODIS.

PARS PRIMA.

Thes. I.

NOn perinde esse, quacunque tandem ratione veritatem probemus, & impugnatam defendamus, apud omnes cordatos in confesso est. Præterquam enim quod argumenta, quæ à nobis in medium adferuntur, cum ipsis propositionibus, quas probare, aliisque commendare volumus, intime debeant esse conjuncta connexaque; certum est, ea vim in animos

Non perinde est, quacunq; tandem ratione veritates graves & momentosæ probentur, & defendantur.

aliorum habere non posse, nisi liquido ostendatur, operæ pretium esse, nostraque haud parum interesse, ut veritatis indolem, naturamque habeamus perspectam atque cognitam. Hinc videmus sæpissime fieri, ut homines haud obtusi ingenii, gravissima nobilissimarum disciplinarum capita, aut non intelligant, aut saltem tanti, quanti oporteret, non habeant, eam duntaxat ob causam, quod illi, qui easdem aliis commendare deberent, artem ratiocinandi ignorent, infirmisque, imo sæpe ineptis persuadendi rationibus utantur. Quod si (ut non raro fieri solet) ad falsas & præposteras argumentationes accedant partium studia, tantum abest ut errantis animus vim veritatis sentiat, ut potius in errore confirmetur. Quo majoris autem momenti sunt ea, quæ aliis inculcare, atque commendare volumus; quo magis eadem generis humani commodis inserviunt, eo majore etiam cura & solicitudine opus est, ad ea rite probanda, tuenda, & vindicanda. Cum autem omnium, qui rem quamvis suo pretio æstimare solent, confessione, res ad Religionem, id est rectum de Deo sensum, & castum Ejusdem cultum spectantes, maximi inter ea, quæ ingenio humano cognosci possunt & debent, pretii sint; per se patet, eos, qui Religionem Naturalem & Revelatam in genere, aut capitalia utriusque capita in specie probare, aut eadem contra Adversariorum insultus vindicare conantur, ad hoc efficiendum uti debere argumentis perspicuis, gravibus, & ingenio Eorum, qui ad veritatis cognitionem, aut erroris confessionem sunt adducendi, attemperatis. Periculosum hic est quammaxime errare. Innumeræ sunt quæstiones, vehementer inter Eruditos agitatæ, quæ tuto ab aliis ignorantur, atque adeo earum respectu rudibus & indoctis perinde est, utrum eas rite probatas esse sciant nec ne. Secus autem se res habet in negotio Religionis & cultus divini. Ignorantia vel error respectu veritatum momentosissimarum & scitu necessariarum sæpe cum detrimento æternæ salutis est conjunctus. Qui igitur veritates Religionis gravissimas & capitales ineptis prorsus & infirmis argumentis probare aut vindicare conatur, non solum perdit operam, sed & sæpissime errori ipsi patrocinatur, animosque Adversariorum contra veritatem obfirmat. Fieri equidem potest, ut præposteris sæpe argumentis, sophismatibus atque verbosis strophis, multi ad qualemcunque adsensum adducantur; quam primum autem homines incipiunt ea, quæ admiserant, rectius perpendere, ad rationum, quibus commoti erant, momenta attendere, manifestum erit, nullam in animo

fuisse

fuisse veram convictionem, & persuasionem illam levissimum etiam objectionum impetum sustinere non posse. Quod ipsum dein sæpe efficit, ut etiam ipsis virorum doctissimorum gravissimis diffidant argumentis. Centies autem circa hoc negotium peccatum fuisse, norunt omnes, qui qualicunque nobiliorum disciplinarum apparatu sunt instructi. Quoties viri alias haud indocti levissimis usi sunt rationibus ad capitales religionis veritates probandas? quot loca Scripturæ contra genuinas interpretationis leges adversus Errantes allata? quoties argumenta gravissima Adversariorum leviter sunt transmissa, aut cum contemtu rejecta, ubi solidissimis rationibus ea fuissent solvenda & retundenda? Quam acerbe sæpe in Doctissimos Viros fuit animadversum, eam duntaxat ob causam, quod argumentis quibusdam, aut locis Scripturæ communiter adferri solitis, uti noluerint? (*) Quoties audias ita ratiocinantes, aut potius inepte paratragœdiantes: Hic vel ille vir eruditus, certo cuidam argumento, quod ad hanc vel illam thesin probandam communiter adferri solet, vim nullam inesse putat;

 ergo

(*) Ex innumeris, quæ adducere possem, unum duntaxat adferam exemplum, (quoniam eadem semper luditur fabula) idque Magni CALVINI. Existimabat nimirum Excellentissimus Vir, ad retundendos Judæos & Trinitatis hostes non quælibet loca Scripturæ & argumenta, sed solidissima duntaxat, & ad Adversarios convincendos efficacissima adhibenda. Hinc ad illa verba Esai VI. v. 3. Sanctus, Sanctus, Sanctus Jehova Armipotens, hæc monet CALVINUS: „ Veteres hoc testimonio usi sunt, cum vellent adversus Arrianos tres personas in una Dei essentia probare. Quorum ego sententiam non rejicio; quanquam si mihi res cum Hæreticis esset, mallem firmioribus testimoniis uti. Nam redduntur pervicaciores, & secum ipsi plaudunt, cum minus apertis testimoniis oppugnantur. " Sed quam gratiam iniit propterea apud Theologos? docti laudabant prudentiam Hominis: Alii autem, inter quos ÆG. HUNNIUS, Theologus in cæteris doctus, vehementer in eum propterea insurrexerat, scripto Libro cui titulus: Calvinus Judaizans: Hujus Libri dum mentionem facit P. BAYLE, voce HESHUSIUS, recte ita pronuntiat: „ C'est une injustice impertinente, que d'imputer à un homme les heresies, dont ses Adversaires l'accusent dans la chaleur de la dispute. HUNNIUS, Autheur Lutherien, n'a-t-il pas fait un assez gros livre, où il se vante, de convaincre JEAN CALVIN de Judaisme. Ne faudroit-il pas être fou, pour en conclure que JEAN CALVIN a judaïsé? " Hoc judicium valde displicet erudito cuidam Theologo Lutherano, existimanti non injuriam illatam CALVINO. At velim sciat is, similiter plane judicasse de hoc argumento M. LUTHERUM Tractatu vom Schulen aufrichten, cujus verba adducit Cl. ZELTNERUS ἐ Μεκαγίης Hist. Arcan. Crypto-Socinismi Altorfini p. 420. Sonant autem M. Lu-

ergo veritatem ipſam in dubium vocat, aut eam prorſus negat? Quoties factum, ut dum viri alias haud mali, ſed nimio diſſidentes impugnandi ſtudio incenſi, nil Adverſariis cedere, cunctos errores, leves etiam & nullius momenti, in majus extollere, eaque quæ aut evidenter aut ſaltem maxime probabiliter ab iis dicta ſunt, negare voluerunt, quoties inquam factum, ut diſſentientium riſui & contemtui fuerint expoſiti, hominesque de religione dudum abjecte ſentientes & peſtilentibus opinionibus captos, atque imbutos, confirmarint potius, quam in planam veritatis ſemitam reduxerint? Pudet autem fateri, à nullis magis in hoc negotio peccatum, quam à Theologis, qui diſciplinarum ſanctiſſimarum defenſores, & veri rectique acerrimi propugnatores eſſe deberent. Nimirum quodlibet argumentum certis quibusdam ingeniis grave atque firmum ſatis videtur; ſi neges, irarum fluctibus æſtuant, tuamque Orthodoxiam vocant in dubium. Ad ravim clama, te theſin ipſam non negare, ſed de pondere ſaltem hujus vel illius argumenti, quo ea probari ſolet, perſuaderi non poſſe, fruſtra eris. Sæpiſſime etiam in diſputantibus candorem & ſinceritatem deſideres; multi ad numerum argumentorum, non ad eorum pondus attendunt; infirmiſſimas rationes & centies retuſas in medium tamen proferunt; argumenta graviſſima adverſariorum ſilentio involvunt, aut vim eorum data opera minuere conantur; pugnæ duntaxat intenti, ſæpe malunt ἀιρομαχεῖν, quam adverſario vel hilum cedere. Hinc fit ut multi à *Controverſiis* Theologicis legendis, & examinandis abſterreantur, imo vel audito duntaxat *Controverſiarum* nomine ſtomachentur. Hæc notiora ſunt, quam ut multorum exemplorum inductione probem.

II. Uti-

M. LUTHERI verba ita. „ Wann man mit ungewiſſen Gründen und „ Fehl-Sprüchen den Glauben ſchützet, iſts nicht Schmach und Spott den „ Chriſten bey denen Widerſacheren, die der Sprachen kundig ſind? denn „ da werden dieſelben nur halsſtarriger im Irrthum, und halten alsdenn „ unſeren Glauben mit gutem Schein fyr einen Menſchen-Tand ". Cæterum ego omnibus, qui in tractandis controverſiis rite verſari volunt, de meliore nota commendo Lectionem Diſſertationis ſolidiſſimæ de Controverſiis Theologicis rite tractandis ſcriptæ à Celeberrimo Baſileenſium Theologo S. WERENFELSIO. Cui adjungi debet præfatio pii & cordati Theologi, JOANNIS FABRICII, Conſiderationi Controverſiarum præmiſſa.

II. Utinam autem peccatum duntaxat fuiſſet in iis argumentis, quæ prudentum omnium judicio ſunt minoris momenti! At fatendum eheu, infirmiſſima argumenta contra *Atheos* & *Deiſtas*, à nonnullis fuiſſe allata, quibus ſæpe non *Increduli* tantum in erroribus ſuis fuerunt obfirmati, ſed & alii in eam fuerunt opinionem adducti, ut crederent, Religionem ipſam ſolidis argumentis probari & vindicari non poſſe. Atque in hunc numerum non eos duntaxat refero, qui infirmiſſimas rationes ad probanda graviſſima Religionis capita attulerunt, rationesque *Incredulorum* non ſatis accurate expenderunt, vel ad cæcam fidem Doctoribus publicis habendam adverſarios invitarunt, aut denique perpetuam aliquam inter fidem & rationem pugnam intercedere aſſeruerunt; ſed & eos potiſſimum, qui novis quibusdam, ſed parum firmis, neque ſatis tutis, uſi ſunt *hypotheſibus* & *metohdis*, *Incredulos* in viam revocandi; cum enim tales hypotheſes certis & immotis fundamentis non ſunt ſuperſtructæ, facillime omnia, quæ iis innituntur, dejiciuntur. Animus non eſt hoc quidem in loco, adductis exemplis oſtendere, quoties Viri alias optimi incertis hypotheſibus innixi, infeliciter adverſus Adverſarios pugnaverint, de quo alibi fuſè egimus. Sed in præſenti, exemplo quorundam virorum doctorum, oſtendemus, fruſtra novas quasdam methodos ad lucrandos *Incredulos*, (quo nomine hic *Deiſtas*, Religionis duntaxat Naturalis capita admittentes, intelligimus) fuiſſe inventas, atque id convenienter iis, quæ meditatione prima *de cauſis magis magisque invaleſcentis Incredulitatis*, promiſeramus, faciendum eſſe putavi. Quum enim in gratiam Studioſorum Theologiæ, nobiliſſimum hoc Thema explicare adgreſſus fueram, atque inter alia monueram, præpoſteris & non ſatis firmis hypotheſibus *Incredulos* potius in errore confirmari, quam emendari, nominatimque ad *Illuſtres* & *Celeberrimos Galliæ præſules*, *Fenelonium* & *P. D. Huetium*, inprimis autem ad Scriptorem recentiſſimum *Anonymum Gallum*, *Incredulos* ab erroribus revocaturos, provocaveram, adjeci, dignam eſſe hanc materiam, quæ ſingulari exercitatione paulo uberius tractaretur. Hortati igitur ſunt Amici, quibus multum tribuo, ut ſine ulteriore mora elaborando huic argumento animum adjicerem, exiſtimantes, diſquiſitionem illam non ſolum temporibus noſtris convenire, ſed & eandem uberrimam de graviſſimis Religionis capitibus diſſerendi occaſionem mihi ſuppeditaturam. Horum deſiderio aliqua ex parte, pro viribus tamen meis, quas tenues eſſe ſatis ſcio & ſentio, ſatisfacturus,

Quidam forte non malo animo præpoſteris quibusdam hypotheſibus & methodis utuntur, ad convincendos Incredulos; quod exemplo quorundam V. D. præcipue vero Anonymi Galli oſtenditur.

rus, *primam* disquisitionis nostræ *partem* hic sisto, reliqua, si Deus vitam viresque dederit, in sequentibus persecutrus.

Sententia Anonymi Galli de ratione Incredulos convertendi fideliter repræsentatur.

III. Initium autem laboris nostri faciemus ab Examine libelli Gallici ab Anonymo conscripti, & præterito anno *Amstelodami*, ut titulus præ se fert, apud *Wetstenios* impressi; cum propter novitatem ipsius operis, tum quod multos, fortè non satis de Religionis *Christianæ* vera indole edoctos, hujus libri lectione mirifice capi audiamus. Titulus libri hic est: *Lettres sur la Religion Essentielle à l'Homme, distinguée de ce qui n'en est que l'Accessoire.* Quis Auctor hujus libelli sit, hactenus ignoro, neque magnopere nostra scire id interesse puto. Hoc certum, Auctorem Virum esse acri judicio, & præstanti ingenio præditum; quantum etiam ex universi libelli indole colligere licet, bono animo, nec malo fine, in eam, quam tuetur sententiam descendit. In hoc autem argumento ita versabimur, ut (primo) genuinam Auctoris mentem & scopum Lectoris oculis subjiciamus. (secundò) ostendemus tantum abesse, ut *nova methodus* Auctoris aliquid ad reducendos in viam *Incredulos* efficere possit, ut potius ea non possit non animos *eorum* à Religione Christiana reddere alienos. (tertiò) demonstrabimus longe plura secundum ipsius Religionis Christianæ indolem & naturam requiri, ad ejus divinam originem amplectandam, nomenque veri nominis Christiani obtinendum, quam vero ab *Auctore Anonymo* postulatur. (quartò) denique argumenta, quibus suam *Vir doctus* sententiam tueri voluit, modesto submittemus examini. Quod igitur ad sententiam V. D. quam in hoc libello fovet, spectat, eam sincere & candide repræsentabimus, ita tamen, ut non singularum, quæ in eo continentur, propositionum, quæ novæ videntur, rationem habeamus, aut argumenta omnia, quibus suam sententiam superstruit, in hac brevi systematis delineatione exhibeamus; sed ut ad summam rerum, methodumque *Incredulos* ab errore revocandi, animum simus conversuri. Hoc autem eo facilius & tutius fieri potest, quod *Auctor* opellæ suæ præmiserit Introductionem, in qua instituti sui reddit rationem, atque simul edisserit, quam viam lucrandi *Incredulos* ineundam putet.

„ Principio igitur, (ut rem ipsam adgrediamur) monet, nun-
„ quam tanto Eruditionis apparatu *Incredulorum* Systemata fuisse
„ impugnata, ac id factum nostra ætate, neque propterea tamen Eo-
„ rum numerum fuisse imminutum: Inter præcipuas autem causas,
„ quod tam parum hactenus effecerint virorum doctissimorum ten-

„ tamina,

,, tamina & labores, merito referendum esse, quod *Increduli* faci-
,, le argumenta communiter adferri solita possint repellere. Inter
,, illa autem potissimum refert ea, quæ à *miraculis* petuntur. Su-
,, specta enim talia esse *Incredulis* non solum quod remotissimis à no-
,, stra ætate diebus ea contigisse memorentur, quodque viri acuti
,, ingenii vix fidem habeant narrationibus, quæ de *miris* & *portentis*
,, nostris temporibus hic illic editis narrentur, sed & quod difficilli-
,, mum sit, rem vere gestam à ficta & falsa narratione, testes fide
,, dignos ab illis, qui vel decipiantur, vel decipere velint, distin-
,, guere. Asseri quidem, miracula in sacris memorata, v. gr. resus-
,, citationem mortuorum, & subitaneas gravissimorum morborum
,, curationes ordinariis naturæ legibus fieri non potuisse; hoc autem
,, à nobis, qui sinus omnes naturæ perspectos non habeamus, abs-
,, que formidine erroris dici non posse; præpostere igitur, & con-
,, tra rationem eos agere, qui miracula olim à Christo & Apostolis
,, præstita, aut quæ præstita fuisse perhibeantur, pro argumento so-
,, lidissimo, quo Religionis Christianæ divina origo probetur, ha-
,, beant. Tentandam igitur aliam esse hos homines reducendi viam,
,, neglectisque miraculis, atque proscripta auctoritate virorum, de
,, miraculorum veritate testimonia exhibentium, atque asserentium,
,, sese pariter facultate ejusmodi τέρατα patrandi fuisse instructos, for-
,, tioribus argumentis pugnandum. Quænam autem nova illa Ad-
,, versarios ad veritatis confessionem adducendi via sit, mox docet,
,, postquam denuo monuit, miracula etiam vel eo nomine nil ad re-
,, ducendos *Incredulos* valere, quoniam falsissimarum & ineptissi-
,, marum Religionum defensores, miracula sua, prophetias suas, &
,, martyres suos ostentent. Hoc unum ergo ab *Incredulo* postulan-
,, dum, ut nempe candide & simpliciter dicat, utrum doctrina Evan-
,, gelica (id est, ut *Auctor* in subjecta nota explicat, veritates mora-
,, les & practicæ) falsi sit suspecta, nec ne; num officiat saluti gene-
,, ris humani, & utrum tandem infelices mortales essent futuri, si
,, vitam ad hujus disciplinæ præcepta essent conformaturi. Auctor sibi
,, persuadet *Incredulos* hæc in dubium non vocaturos, sed potius tri-
,, bus his propositionibus calculum album adjecturos. His positis
,, & concessis, plura non esse postulanda. Cum enim *Increduli* pas-
,, sim concedant, omnes homines natura ita esse comparatos, ut bo-
,, num à malo, verum à falso discernere possint, fieri aliter non posse,
,, quam ut iidem Examine Religionis instituto deprehensuri sint,

„ præcepta Religionis Christianæ esse excellentissima, omnibusque „ hominibus insignem utilitatem adferre posse; hortandos eos esse „ duntaxat, ut omnem ingenii, quâ pollent, vim intendant, ad percipiendam præceptorum illorum præstantiam. Ita Religionem „ Christianam, nativa sua enitentem simplicitate, *Incredulorum* animos non solum in admirationem rapturam, sed & in adsensum „ pertracturam. Quosdam equidem ex hac tribu postulaturos, ut „ probetur, Evangelii doctrinam esse divinam vel per inspirationem „ scriptam; at quæstionem hanc tanquam nondum decisam mittendam esse; Sufficere, quod *Increduli* fateri teneantur, contrarium „ haud facile probari posse. Quod si vero *Incredulus* concedat, præcepta Evangelii omnium & singulorum commodis inservire, nullamque, si à Christiana recedas, Religionem esse, quæ magis homines ad pietatis studium commovere possit, eo ipso statuendum „ ipsi, interesse generis humani, ut hæc præcepta admittantur & „ serventur. Quod si (inquit *Anonymus*) ita aliquid concedamus „ *Incredulis*, eorumque ingenio nos attemperemus, sperari posse, „ multos tandem eo deventuros, ut non solum præcepta hæc inter „ ea referant quæ generi humano sint utilissima, sed & eosdem confessuros, doctrinam illam Evangelii, (id est ejus præcepta) non „ solum esse justam, veram, & bonam, sed & eandem, quia talis, „ divinæ esse originis. (*) Et hæc quidem summa est eorum, quæ „ in Introductione libello præmissa exstant. Ex dictis facile constat, „ omnia tandem huc redire; nimirum ad lucrandos *Incredulos* provocandum esse duntaxat ad præcepta Evangelii, contra vero de dogmatibus, de quibus inter Christianos disceptatur, altissimum servandum esse silentium. Ex quibus simul facile colligere poterit *Lector*, „ quid de *Mysteriis* in universum omnibus sensurus sit Auctor. Nimirum non solum mysteriorum, sed & omnium cujuscunque tandem sint indolis, obscuriorum dictorum, & factorum, quæ *Incredulos* offendere possint, (*Epist. XIII. & XIV.*) nullam esse habendam „ rationem existimat. Admittit Auctor veritatem rerum in V. & N. Te-

(*) Verba ita sonant: Il y a des Gens qui connoissent si peu le Bon, & le Vrai en lui-même, que si vous leur demandez, sur quoi ils jugent que la doctrine Evangelique est bonne, juste & veritable, ils repondront, que c'est parce qu'elle est divine. Je prens une route differente. De ce que cette même doctrine est bonne, juste, veritable, je juge qu'elle est divine dans son origine.

„ N. Testamento gestarum, vel saltem admittendam esse censet, *quod* „ *ad summam rerum spectat.* His enim libris passim multa inserta, „ quæ *Incredulis* non possint non videri puerilia, absurda, sensui „ communi contraria, imo injusta; qualia v. gr. sint ea, quæ de *cultu* „ *Levitico*, & *Decretis Mosi & Josuæ* datis, integras nationes inter„ necioni dandi in V. T. referantur. De hisce posse *Incredulum* tan„ tisper, dum major lux affulgeat, jure dubitare. Quod vero ad „ *Mysteria* ipsa spectet, præterquam quod per ea præceptis ipsis in „ Revelatione contentis, tenebræ offundantur, necessaria cognitu „ esse non posse, eo ipso, quod sint mysteria, id est, (ut Auctor „ explicat,) res *obscuræ* & *inintelligibiles.* Ea insuper quæ ad *Essen*„ *tiam Religionis* pertineant, omnium consensu debere esse aut evi„ dentia per se, aut saltem clare revelata, omniumque captui attem„ perata; neutrum autem de mysteriis Religionis Christianæ dici posse. „ Præterea insignem utilitatem omnes in universum homines habituros „ fuisse, si in simplicissimis veritatibus, id est præceptis moralibus „ Religionis adquievissent. Ita enim ignotas futuras fuisse tot contro„ versias, tot inanes distinctiones, tot linguæ prælia, tot hæretifica„ tiones; nulla unquam ob Religionem exoritura fuisse bella; ne„ que tam impotenti Zelo & furore, uti quidem factum esse constet, „ homines in dissentientes unquam fuisse insurrecturos, & sævituros, „ sed in id potius omnibus viribus connisuros, ut viri boni evade„ rent, vitamque altissima pace transigerent; verbo ut dicam, aureum „ aliquod seculum, si hæc intacta fuissent relicta, perpetuo inter ho„ mines locum fuisse habiturum, existimat Auctor. Quod si quis di„ cat, ex dictis sequi, Eruditos non magis quam profanum vulgus „ capita Religionis intelligere, concedendum hoc ait, quoniam nullam „ mysteriis illis lucem accendere possint mortalium ingenia. Ex „ hisce tandem enata est plane *nova fidei Christianæ definitio.* Et po„ stulavit hoc ipsum methodi, quam adhibendam ad convincendos „ *Incredulos* putat *Anonymus*, ratio. Postquam nimirum Theologo„ rum receptas de fide divina & justificante in specie definitiones „ perplexas & obscuras esse dixisset, aliam simpliciorem, captuque „ faciliorem substituendam esse monet, eaque (pag. 147.) ita sonat: „ *Fides divina est perceptio evidens Numinis, & attributorum ejus es*„ *sentialium.* Hanc definitionem fidei esse veram, ingeniis omnium „ attemperatam, & convenientem esse iis, quæ de fide divina mo„ nuerit Paulus ad Hebr. XI. 6. existimat. Quod si quis regerat,

„ fidem divinam superstructam esse debere Evangelio Jesu Christi, „ non id negat; at contendit simul, hanc ipsam fidem, quæ innititur „ Evangelio, ad evidentes notiones de Numine, ejusque attributis „ exigendam esse, atque adeo omnem suam vim habere ab axio- „ matibus, & veritatibus moralibus natura notis. Fundamentum „ autem, quo universa novæ methodi & doctrinæ moles innititur, ut „ ipse Anonymus Epist. ad Editores pag. 5. monet, hoc est: nimirum „ omnem relationem, quæ inter duo Entia intelligentia intercedit, „ debere necessario inniti utriusque Entis natura. Cum autem Reli- „ gio nihil aliud sit, quam relatio inter Deum & hominem, necesse „ esse ut ea in utriusque naturæ indole sit radicata. Omnem igitur „ doctrinam, omnem opinionem, hominis aut Dei naturæ contra- „ riam, falsam esse, aut saltem ad Essentiam Religionis pertinere non „ posse. Atque in hunc censum referenda omnia ea esse quæ à Chri- „ stianis de mysteriis, miraculis, aliisque captu difficillimis decretis, „ dicantur. „ Hæc est Anonymi, (ea enim quæ de præceptis qui- busdam Jesu Christi, vel consiliis, uti is loqui amat, Auctor differit, utpote ad summam rerum, de qua agimus, non pertinentia omisimus,) sententia de convincendis, & in viam revocandis *Incredulis*, breviter, & fideliter ut puto, à nobis delineata. Quod si attentus Lector deprehendat, quædam ad rem facientia, à nobis esse silentio transmissa, non studio, sed ἀβλεψίᾳ id factum esse credat.

Ostenditur tantum abesse, ut hæc methodus, ad reducendos & convincendos Incredulos apta sit, ut potius, eorum animos, non possit non à Religione Christiana facere alienos.

IV. Tempus jam est, ut disquiramus, utrum hæc *Methodus nova* ita sit comparata, ut ejus ope *Increduli* ab erroribus revocari, & ad sanctissimam Christi & Apostolorum doctrinam admittendam adduci possint. Tantum autem abesse puto, ut hac ratione *Increduli* ad veritatis confessionem, & amplectandam Religionis Christianæ divinam originem induci possint, ut potius firmiter credam, eosdem perpensa novæ hujus methodi natura & indole, in sinu gavisuros, & erroribus suis pertinacius adhæsuros. Quod si hoc perspicue à nobis per partes fuerit ostensum, quilibet facile judicare poterit, quid de pretio novæ methodi sit sentiendum. Si enim ipsæ illæ rationes, quæ *Incredulos* secundum *Anonymi* sententiam in viam revocare deberent, ita sint comparatæ, ut illis ipsis rectæ rationis leges sequendo, *Increduli* uti possint, ad thesin suam confirmandam, Religionemque Christianam impugnandam, manifestum, & extra dubitationis aleam positum est, novam quam *Auctor* commendat methodum, plane esse vanam, imo noxiam. Consecutionis hujus vim nemo, qui

artem

artem ratiocinandi intelligit, in dubium revocabit. Hujus cum *Anonymus* satis sit peritus, non est, cur æquitatem illius pluribus probem. Hoc unum ergo quæritur, utrum nempe methodus illa nova rite intellecta, his difficultatibus sit obnoxia, id est, utrum *Incredulos* necessario ad negandam Religionem Christianam, aut dudum rejectam prorsus aspernandam inducere possit, quod nos affirmamus, & jam pluribus probabimus. Antequam tamen id faciamus, quædam monita sunt præmittenda. Et (1.) quidem non dubitamus, quin bono animo ad hoc consilium accesserit *Anonymus*. Doluit sine dubio de progressibus, quos nostra ætate ubique facit *Incredulitas*; doluit tot doctissimorum virorum labores parum efficere, & argumenta illorum in animos *Incredulorum* tam exiguam habere vim. (*) Hinc faciliorem aliquam excogitandam esse ad eos lucrandos viam existi-

 mavit.

(*) Non est tamen cur propterea Viri pii & docti animum abjiciant, atque credant sanctissimos labores pro Religione susceptos omnes plane esse irritos, cum recentibus satis exemplis edoceamur pertinacissimos sæpe Incredulos ad meliorem frugem redire. Notum est quam acerbe & imprudenter Religionem Christianam impugnaverit, ALB. RADICATI, Comes de Passeran. Hunc ipsum autem, ante annum, & quod excurrit, turpem in quem prolapsus erat, errorem confessum & maxima mentis tristitiâ compunctum fuisse, docet Auctor Diarii Litterarii Gallici, quod inscribitur: Bibliotheque Françoise. Verba ipsius extant Tom. XXVII. Part. II. quæ in gratiam Lectoris hic verbotenus exhibeo. ,, Le Comte de Passeran ,, (ita Auctor Diarii) qui tomba dangereusement malade à Rotterdam, ,, est venu mourir à la Haye au mois d'Octobre 1737. a temoigné avec ,, une entière liberté d'Esprit, à un Pasteur Reformé, dans chacune de ,, ces deux villes, son vif regret d'avoir publié contre la Religion des E- ,, crits profanes, dont il a senti toute l'absurdité. Nous savons de la ,, bouche de ces Pasteurs, (savoir M. de SUPERVILLE, Ministre à Rot- ,, terdam, & Mr ROYER, Ministre à la Haye) qu'il a voulu qu'ils puis- ,, sent apprendre à tout l'Univers, qu'il a donné gloire à la verité. Il ,, reconnoissoit que l'état de la langeur & de souffrance, où le tenoit ,, depuis long-tems une phtisie, lui avoit fait sentir le ridicule du Systeme ,, à-peu-près Spinosiste qu'il avoit embrassé; qu'il voyoit bien, qu'un Etre ,, accablé de maux, comme il étoit, ne pouvoit pas faire partie d'une ,, substance qu'il avoit toûjours reconnuë souverainement heureuse: Qu'en- ,, suite il avoit beaucoup reflechi sur les difficultés de son Systeme, plus ,, grandes que celles qui l'avoient choqué dans la Revelation; sur la pro- ,, digieuse diversité de sentimens, qui regnent parmi les incredules, jus- ,, ques-là qu'il n'en avoit pas trouvé deux, qui eussent les mêmes prin- ,, cipes; sur les motifs de vaine gloire qui l'avoient fait agir, & qu'il avoit

,, recon-

mavit. Consilium ipsum per se sine dubio est laude dignum; at media ad hanc viam perveniendi, suppeditavit eheu plane sinistra, imo periculosa. (2.) Ex hoc simul colligere potest *Eruditus Lector*, nos *Anonymo* ipsi non imputare periculosa consectaria, quæ ex natura & indole novæ methodi oriri solent, sed ostendere duntaxat, quid ex principiis ab eo positis sequatur. Improbamus enim vehementer eorum studia, qui systematis alicujus imbecillitatem demonstraturi, non solum ostendunt, quot difficultatibus illud sit obnoxium, sed & ipsis Auctoribus omnia illa consectaria adscribunt, ac si ab ipsis admitterentur. Hanc, inquam, quorundam Eruditorum disputandi Methodum tanquam iniquam rejicimus, qua Auctores systematis sæpe non vident omnium consequentiarum apices, & consequentias ipsas recte ex systemate petitas ipsimet aspernaturi essent, siquidem deprehenderent earum necessarium cum principiis nexum. Eo magis hoc iniquum est, quando homo ejusmodi in cæteris vir est eruditus, & pius, atque animum habet plane à sententiis periculosis alienum. Quando igitur nos probare alloboramus, methodum *Anonymi Incredulos* potius in suis, quos fovent, erroribus confirmare, quam vero in veritatis viam reducere, de systemate ipso, vel methodo, non de animo & scopo ipsius loquimur, neque adeo ipsum hoc egisse putamus, ut *Incredulorum* partes tueretur. (3.) Concedet nobis *Anonymus*, in hac controversia candide esse agendum. Lucrari is vult *Incredulos*, atque eos adducere, ut Religionis Christianæ amore capiantur, eamque, ut divinam, omniumque præstantissimam, admittant; at vero novit vir doctus, *Incredulis*, qui ratiocinari sciunt, literisque operam dederunt, systemata Christianorum esse notissima, ipsosque non minus quam nos sacra utriusque fœderis volumina evolvere posse; unde quilibet facile deprehendet, *Anonymum*, dum hoc unum pedibus manibusque agit, ut *Increduli* præcepta moralia in S. Literis contenta duntaxat admittant, vix æquis auribus ab his iri auditum. Pulchre enim sciunt, non solum in S. Literis fieri miraculorum

„ reconnu, que ces motifs entroient aussi pour beaucoup dans la conduite des Patrons de l'Incredulité: Enfin sur les preuves de la verité de la Religion Chretienne Protestante; il ne souhaitoit, disoit-il, de vivre, que pour composer un Ouvrage, où il retracteroit ses erreurs & les combattroit, desirant, que tous ceux, qui rejettent la Religion, faute de la bien connoître, l'étudiassent mieux, & profitassent de son exemple pour lui rendre plus de justice. „ Hactenus Ille.

culorum mentionem, ſed & univerſum Religionis Chriſtianæ Corpus inniti propoſitionibus, quæ myſteriis ſuperſtructæ ſunt. Hæc omnia autem ſi tollas, vix umbram habebis Religionis Chriſtianæ. (4.) Concedimus *Anonymo*, in diſputationibus cum *Incredulis*, phraſes omnes atque voces obſcuras, & æquivocas, ubi de myſteriis ſermo eſt, eſſe plane omittendas. Cum enim myſteriorum naturam & indolem non ſatis habeamus perſpectam atque cognitam, nullaque ſimilitudine, ex rebus humanis petita, lucem huic argumento affundere poſſimus, manifeſtum eſt, tenebris potius, ita agendo, res ſanctiſſimas involvi, quam luce perfundi. Hinc & doctiſſimi omnium temporum Theologi optarunt, ut rejectis Scholaſticorum terminis, decreta Religionis Chriſtianæ prout in S. Literis leguntur, in Syſtematibus Religionis Chriſtianæ repræſentarentur. Tot ineptæ enim & obſcuræ de tremendis myſteriis adhibitæ phraſes Scholaſticorum effecerunt, ut multi viri alias haud indocti neque male de Religione Chriſtiana hactenus ſentientes, in ipſum *Incredulitatis* Barathrum fuerint detruſi. (*) Certe facile hoc contingere ſolet iis, qui acri judicio præditi, dum ad examen Religionis accedunt, primum incidunt in libros, quorum Auctores obſcuriſſimis terminis & barbaris vocibus res ſanctiſſimas explicare volunt. Damus denique (5.) *Anonymo*, in demonſtranda divina origine Religionis Chriſtianæ non eſſe incipiendum à myſteriis, ſed primo veritatem hanc capitalem hiſtoricis argumentis eſſe probandam, & demum hoc poſito oſtendendum, Religionem à Prophetis, Chriſto, & Apoſtolis commendatam, divinæ plane eſſe originis. At aliud eſt veritatem tanquam ſcitu inutilem

ſilentio

(*) Querelas Virorum doctorum in hoc negotio exhibet ADAMUS TRIBBECHOVIUS in libro de Doctoribus Scholaſticis Cap. IV. Huic adde ERASMI libellum de ratione compendio perveniendi ad veram Theologiam. Ejusdem adhortationem ad ſanctiſſimum & ſaluberrimum chriſtianæ philoſophiæ ſtudium. M. CALVINUM Epiſtola. 347. H. BULLINGERI inter Theologos, quos alma noſtra Patria Tigurum poſt B. ZWINGLIUM habuit, excellentiſſimi, libellum cui titulus: Adhortatio ad omnes in Eccleſia Domini noſtri Jeſu Chriſti Verbi Dei Miniſtros, ut contentiones mutuas deponant, & hoc praviſſimo & periculoſiſſimo extremo Seculo, ſolam veram in Chriſtum fidem & vitæ emendationem ſimpliciter & unanimi conſenſu mundo annuntient. H. WITSII, Theologi præſtantiſſimi, Præfationem Irenicam Theologiæ Syſtemati præmiſſam; Cl. Genevenſium Theologi J. A. TURRETTINI, τοῦ νῦν ἐν Ἁγίοις, meditationem de audiendo Chriſto, ut de aliis nil dicamus. Conferendæ ſimul diſſertationes meæ, de ſectanda in tradendis ſanctioribus Diſciplinis ſimplicitate.

ſilentio involvere; aliud eam ſuo loco proponere. Ipſimet credimus, *Incredulos*, poſtquam rite adſerta eſt hiſtoria, uti loquuntur facta, ubi primo ad admirabilem *præceptorum* Jeſu Chriſti ſanctitatem, & præſtantiam: ad *Incentiva* virtutis: ad *vitam* Chriſti & Diſcipulorum innocentiſſimam animos convertunt, præparari poſſe & debere, ut ita facilius, quæ de miraculis & myſteriis à diſcipulis Ipſius dicuntur, admittant. Unde enim, & à quibus tandem homines illi ea ætate tam ſublimem, captu facilem, & omnium ingeniis attemperatam recte vivendi rationem addiſcere potuerunt? num à Gentilibus vel Judæis edocti ſunt de hiſce? At doctiores ſunt *Increduli*, quam ut hoc ſtatuant. Num credendum, homines qui tam pulchra inculcant præcepta, qui tanta cura, ſolicitudine, animique contentione, eadem omnibus commendant, & injungunt, & ad eorum normam inter omnis generis perſecutiones, & moleſtias vitam ſuam componunt, credibile ne eſt, inquam, hos homines ex proprio cerebro ea, quæ de miraculis, & univerſa Chriſti doctrina narrant, effinxiſſe? At de hoc non agi inter nos & *Anonymum*, ea omnia docent, quæ Sectione ſecunda de conſilio ipſius, & univerſa methodo cum *Incredulis* agendi in medium adduxeramus. Nimirum Auctor noſter hoc unum agit, ut probet, *Incredulum*, nomen Religioni Chriſtianæ daturum, hiſtoriam rerum in V. & N. Teſtamento geſtarum, *quoad ſummam rerum* credere debere, & hoc conceſſo opus eſſe, ut præcepta Religionis Chriſtianæ pro veris, juſtis, bonis, & conſequenter etiam pro divinis habeat, vitamque ad eorum normam componat; ut cætera vero in utroque fœdere contenta, præſertim autem miracula & myſteria, multis obnoxia difficultatibus, calculo ſuo comprobet, neceſſe non eſſe. Cum autem *Anonymus*, quantum nobis conſtat, divinam originem Religionis Chriſtianæ admittat, atque concedat, in libris V. & N. Teſtamenti non ſolum præcepta rectè vivendi, ſed & principia quædam theoretica credenda tradi, cauſa tandem dicenda eſt, cur *Increduli* ad Religionis Chriſtianæ confeſſionem adducendi, præcepta quidem, non vero myſteria, & miracula in iisdem libris tradita, credere teneantur. Vel enim (1.) dicendum, veram quidem eſſe Religionem Chriſtianam in genere conſideratam, id eſt, verum eſſe, Jeſum Chriſtum in terris eo tempore, quo Evangeliſtæ narrant, comparuiſſe, eum præcepta rationi convenientiſſima, excellentiſſimaque tradidiſſe, veritatem tandem præceptionum ſuarum vitæ innocentia, & morte tragica confirmaſſe, ea vero quæ de myſteriis in N. Teſt. dicuntur.

cuntur, ab Auditoribus & Discipulis Christi fuisse male intellecta. Aut (2.) ea, quæ de hisce mysteriis dicuntur, historiæ rerum à Jesu Christo gestarum, per maleferiatos homines fuisse temere inserta. Vel (3.) dicendum, mysteria quidem in N. Testamento contenta, vere ab Auctore Religionis Christianæ tradita & inculcata esse, sed ea esse ἀσυςατα, adeoque urgenda esse duntaxat præcepta moralia, intellectu quippe facilia, omniumque & singulorum ingeniis attemperata. Vel denique (4.) asserendum, mysteria illa in Sacris Literis contenta, non quidem esse ἀσυςατα, & plane inepta, at ejus tamen indolis & naturæ, ut ad salutem æternam consequendam nil quicquam conferant, atque adeo tuto ignorentur. Necesse est, ut ex *quatuor* istis unum eligat Auctor, quando firmam esse vult suam Thesin. Quamcunque autem ex quatuor istis hypothesibus arripiat, manifestum erit, Religioni Christianæ bellum indici, atque adeo inepte facturos *Incredulos*, siquidem, rebus ita comparatis, ad amplectendam Religionem Christianam se induci paterentur. Age, jam probemus hoc per partes. Quod si igitur (1) mysteria illa in Revelatione quidem continentur, prout *Anonymus* hoc negare non videtur, Christus autem sanctissimus noster Soter nonnisi simplicia recte vivendi inculcavit præcepta, neglectis omnibus propositionibus, quæ speciem alicujus mysterii habent, tum dicendum, Discipulos ipsius, Evangelistas & Apostolos mentem Domini sui male cepisse, idque vel ex *ignorantia* turpi, vel *deliberato animo* factum, nempe ut præceptis Domini sui decus atque auctoritatem conciliarent. Quod si dicatur, eos ex *ignorantia* peccasse, atque simplicissima Christi verba, centies repetita licet, ita male cepisse, ut ænigmata nobis pro perspicuis propositionibus moralibus obtruserint, tum fidem amittunt illi homines omnem. Qui enim non semel, sed sæpissime deceptus est, ille in aliis etiam decipi potuit. Quis credat enim hoc concesso, homines tam obtusi ingenii facta, quæ narrant, fideliter narrasse, eos nunquam fuisse deceptos, caussasque eventuum in N. Testamento exacte nobis ab iis esse delineatas? Narrant v. gr. omnes quatuor Evangelistæ, ut de Apostolis jam nil dicam, Jesum Christum Soterem nostrum secundum vaticinia Prophetarum, ope Spiritus Sancti, à casta virgine fuisse natum. Quod si vero homines illi tam hebeti fuerunt ingenio, ut simplicissima Christi verba, in nescio quas mysticas propositiones converterint, quis nobis persuadebit, homines illos, ea quæ de Soteris nostri inusitata nativitate narrant, non perperam intellexisse? amplius

dico, homines illi narrant, se postquam sanctissimus Soter cœlo fuisset receptus, singularibus plane cœlitus fuisse ornatos donis, atque per miraculum facultatem accepisse variis linguis loquendi, imo omnem veritatem (Joh. XVI.) à cœlesti eodem magistro fuisse edoctos. At (ut de miraculis nil jam dicamus) quis facile vacivas illis præbebit aures, si tam blenni atque stupidi fuere, ut nobis venditarent res, quæ nonnisi in cerebro eorum fuerunt natæ? crescit difficultas, quando cogitamus, homines illos in scriptis suis, Epistolis præsertim, constanter ad mysteria illa provocare. Quod si ita turpiter malesani homines decepti sunt, non tam simplicis *ignorantiæ*, quam *stuporis* plane ridiculi & crassissimi arguendi essent. Fatentur porro, se ante resurrectionem Jesu Christi quædam ignorasse, imo quosdam inter ipsos de rei gestæ veritate addubitasse ipsimet narrant, adjicientes tamen, ne quis sinceritatem ipsorum & candorem in dubium vocet, insitatam lucem, qua post secessum Domini sui fuerint perfusi, omnes illas tenebras dispulisse. Et tamen illi ipsi homines non magis sapiunt quam antea, dum constanter ad finem usque vitæ, ad Religionis capita ingenium humanum superantia, provocant. Quis quæso tam stulte credulus est, ut ejusmodi hominibus per omnem vitam turpiter delusis fidem habere, quis tales à fanaticis & atra bile laborantibus distinguere posset? Et quid nobis tandem de ipso sanctissimo nostro Sotere esset sentiendum, cujus meditationes tam frequenter repetitas, tam male tamen Auditores, intimæ admissionis homines, cepisse dicendi essent? annon inde colligendum esset, Eum hyperbolica & æquivoca oratione, & quidem data opera usum esse, eum in finem, ut ne illi quidem, qui familiarissime Eo utebantur, Ipsum intelligere possent? Quem in finem tandem novus hic Doctor illuxisset orbi, si mentem suam de vera felicitate consequenda clarioribus verbis exprimere non potuit? Aut enim dicendum, Eum præceptiones suas & oracula clarius exprimere non potuisse, aut potuisse equidem, sed noluisse. Alterutrum dicas perinde est. Certe nemo de eo magnifice sentire poterit, qui cum nova & generi humano utilia, imo hactenus inaudita vivendi, & de Religione recte sentiendi decreta sese in medium prolaturum clamat, ita obscuris utitur verbis, ut ad Eum intelligendum *Oedipo* opus sit. Si vero clare & rotunde animi sensa expressit, si ipsius præcepta moralia, uti concedit *Anonymus*, sunt intellectu facilia, omniumque ingeniis attemperata, qui fieri tandem potuit, ut discipuli adeo male Eum ceperint, atque pro simplicissimis

præ-

præceptis, propositiones plane inauditas hactenus, sublimissimas, & à nemine, ut adserit *Anonymus*, intelligendas, arripuerint? nimirum *secundo loco* dicendum est, eos non ex *ignorantia* sed *deliberato animo* peccasse, atque pro præceptis recte vivendi τερατολογίας substituisse, eas pro verissimis Domini sui præceptionibus venditasse, atque verbosis strophis alios decipere voluisse; annon autem hoc posito, absit blasphemia, Apostoli & Discipuli Jesu Christi similes fuissent *Philostrato* nugacissimo scriptori, qui vitam *Apollonii*, hominis fanatici, innumeris fictis narrationibus & fabellis locupletavit; aut *Pythagoræ*, qui ut præ aliis sapere videretur, magnificis, & sæpe nihil significantibus verbis usus est, quod ei objecerat *Lucianus*. (*) Num autem quæso hæc ita comparata sunt, ut *Incredulos* in viam revocare possint? Exemplum ipsius *Woolstoni*, impudentissimi hominis, & famosi *Deistæ*, qui miracula Christi cum imposturis *Apollonii* conferre verecundatus non est, satis docet, quid de *Incredulis* sperari possit, siquidem concedatur, Discipulos Jesu Christi simplicissima dicta & præcepta in mera transmutasse ænigmata.

V. Accedamus ad *secundam hypothesin*, quæ statuit, in revocandis *Incredulis*, propterea mysteriorum nullam habendam esse rationem, quod ea neque à Christo, neque ab Apostolis sint tradita, sed à maleferiatis quibusdam hominibus post excessum virorum illorum opti- Idem pluribus adstruitur.

C 2

(*) Lucianus Op. Tom. II. pag. 174. Edit. Grævii in Colloq. cui titulus: Ὄνειρος ἢ Ἀλεκτρυὼν, ita inducit Micyllum ad Gallum, i. e. Pythagoram loquentem: verum illud mihi dicite: quid Tibi venit in mentem, ut legem statueres, ne carnibus, neque fabis vescerentur homines? resp. Gallus, ne perquiras ista Micylle. Micyll. quam ob rem? o Galle! Gall. nam pudet hisce de rebus verum apud te fateri. Mic. Atqui nihil verendum est viro contubernali & amico, nam Herum posthac absit ut dicam. Tum sic pergit. Pythagoras: ἐδεν ὑγιες, ἐδε σοφὸν ἦν. ἀλλ' ἑώρων ὅτι εἰ μὲν τὰ συνήθη, καὶ ταυτὰ τοῖς πολλοῖς νομίζοιμι, ἥκιστα ἐπισπάσομαι τὰς ἀνθρώπας εἰς τὸ θαῦμα. ὅσῳ δὲ ἂν ξενίζοιμι, τοσάτῳ καινότερος ᾤμην αὐτοῖς ἔσεσθαι. Διὰ τᾶτο καινοποιεῖν ἐθελήσας, ἀπόρρητον ποιησάμενος τὴν αἰτίαν, ὡς εἰκάζοντες ἄλλοι ἄλλως, ἅπαντες ἐκπλήττοιντο, καθάπερ ἐν τοῖς ἀσαφέσι τῶν χρησμῶν. i. e. Nihil sani neque præclari erat. Verum animadvertebam, si consueta, atque eadem, quæ vulgo traduntur, præcepissem, mortales in admirationem minime pertracturum; sed quo peregriniora proposuissem, futurum ut hoc magis novus atque admirandus viderer. Proinde nova comminisci statueram, eorumque causam silentio comprimere; quo videlicet aliis aliud conjectantibus omnes attoniti redderentur, ut in obscuris oraculis solet usu venire.

optimorum libris hisce inserta. Nemo non videt, posita hac sententia, divinam originem Religionis Christianæ penitus tolli. Ita enim Christiani centonem variarum propositionum à nescio quibus impostoribus consarcinatum haberent, loco Revelationis alicujus divinæ. Ita incerti essemus, quid Christo & Apostolis, quid vero Agyrtis illis & Impostoribus esset adscribendum. Neque enim hic sermo est de variante aliqua lectione, de loco forte corrupto aut è margine in textum intruso; sed de integro corpore doctrinæ christianæ, & universis illius articulis, qui systema aliquod veritatum, scitu & creditu necessariarum, conficere debent. Non opus esse putamus, ut prolixe probemus, concessa hac hypothesi, *Incredulos* ad Religionem Christianam impugnandam potius quam amplectendam induci, cum hoc per se pateat. Hinc ipse *Tolandus* inter *Incredulos*, si eruditionis & audaciæ rationem habeas, non postremus, omnem operam navavit, ut canonem N. Testamenti redderet suspectum; Hinc cæteri hujus tribus, de pseudepigraphis N. Testamenti multiplicandis & ad suam sententiam pertrahendis adeo sunt soliciti, probe videntes, Canone N. Testamenti labefactato, divinam originem Religionis christianæ suspectam prorsus reddi. Neque igitur Anonymus, qui de Religionis christianæ veritate persuasus est, quantum mihi cernere datur, *secundam* hanc *hypothesin* admittere potest. (*) Transeamus ad *tertiam*, visuri, utrum majus illi insit pondus. Nimirum secundum *hanc hypothesin*, mysteriorum vel eo nomine nulla est in disputationibus cum *Incredulis* habenda ratio, quod nimirum illa sint ἀσύστατα, contradictoria, atque adeo sensui communi adversa. Quilibet demum videt, concessa etiam hac sententia, non solum mysteria ipsi admitti non posse, sed & ipsam Religionem christianam falsam esse. Cum enim fieri non possit, ut ea credamus, quæ se mutuo tollunt, seu quorum uno posito, alterum necessario negatur, ineptum non minus quam impium esset, dicere, Deum O. M. & humani generis cupidissimum, nos data opera, imo sub pœna æterni exitii, ad credendas propositiones ridiculas & sensu omni destitutas, obstringere tamen voluisse. Quod si igitur præcepta ipsa Religionis christianæ à Sanctissimo nostro *Sotere* & *Apostolis* tradita, & inculcata, in se quidem

(*) Quæ contra Canonem N. Testamenti adducta sunt, docte collegit Clarissimus Srosch in Commentatione Historico-Critica de librorum N. T. Canone, Francofurti ad Viadrum 1755. in 8. edita.

quidem ſpectata eſſent rationi convenientiſſima, & πασης ἀποδοχης ἀξια, nondum tamen hoc ſufficeret, ad divinam originem Religionis chriſtianæ demonſtrandam, partim quia dogmata ipſa, quæ non minus quam præcepta à Deo eſſe perhibentur, per ſe eſſent abſurda, præceptaque ipſa, ut ex infra dicendis patebit, ut plurimum ex ipſis penetralibus dogmatum Religionis Chriſtianæ ſint deſumta; partim, quod, licet præcepta illa eſſent rationi convenientiſſima, atque virtutibus divinis convenientia, non inde tamen ſequeretur, ea propterea divinitus eſſe revelata. Ejusmodi præceptorum rationi convenientiſſimorum magnus eſt numerus in ſcriptis *Xenophontis*, *Arriani*, *Senecæ* & aliorum: Hæc inter ſe connexa, copulataque, & à decretis Philoſophorum, quibus innitebantur illa præcepta, diſcreta, & avulſa, Syſtema aliquod pulchrum præceptorum moralium efficiunt: Nemo tamen propterea illis divinam originem eo ſenſu, quo Chriſtiani Religionem chriſtianam *divinam* eſſe perhibent, attribuet. Verbo, ſi myſteria in Sacris Literis tradita ἀσυςατα ſunt, non ſolum credi non poſſunt, ſed & dicendum eſſet, Auctores horum librorum fuiſſe homines vel plane fanaticos & inſanos, vel impudentiſſimos Impoſtores, qui non erubuerint ineptiſſimas, & ſenſu omni deſtitutas propoſitiones pro rebus à Deo ſibi revelatis, & quidem in gratiam generis humani, venditare & obtrudere. Hinc & ipſi *Increduli* omnem ingenii aciem intendunt ut probent, myſteria Religionis chriſtianæ cum rectæ rationis decretis ſtare non poſſe. Unde & *P. Baylius* tantopere laboravit, ut non ſolum doceret, receptam Theologorum diſtinctionem in ea, quæ *ſupra*, & ea quæ *contra* rationem ſunt, vanam eſſe, omnique fundamento deſtitui, ſed & myſteria Trinitatis, ἐνσαρκωσεως τυ λογυ &c. cum evidentiſſimis rationis principiis pugnare. Et ut manifeſto exemplo *Increduli* alicujus conſtet, quam fidem meritura ſit Religio chriſtiana, myſteriis, id eſt propoſitionibus, uti quidem jam ex mente *Incredulorum* ponimus, manifeſte abſurdis repleta, in medium proferam ea, quæ *Tolandus* ipſe, inter *libere cogitantes*, i. e. *Incredulos* non poſtremus, de hac re diſſeruerat in libro cui titulus: *Religio chriſtiana Myſteriorum expers.* Liber ipſe ad manus non eſt, ſummam tamen ejus fideliter exhibuit *celeberrimi nominis Theologus J. L. Mosbemius*, in *Vindiciis antiquæ Chriſtianorum diſciplinæ Sect. II. Cap.* 1. *pag.* 253. ſq. Ipſius verbis mentem *Tolandi* exprimam: Sonant autem l. cit. ita: *Admirabilem fatetur eſſe Servatoris diſciplinam Vir Clariſſimus, omnibusque Philoſo-*

phorum præceptis, & purgationibus longe excellentiorem. Nibil vero eam habere mysteriorum, sed simplicitate sua ita radiare, ut ab omnibus comprehendi sine ullo negotio possit. Requirere eam ante omnia mentis renovationem vitamque, sceleris & flagitii omnis expertem, nec enim Servatorem ipsum venisse ut jugum dogmatum necessario credendorum hominibus imponeret, sed ut morum præcepta traderet, hominesque à vitiis ad virtutem revocaret; paucis, æternam naturæ legem confirmaret & illustraret. De fide quidem sæpe S. Literas loqui; sed hanc nihil aliud esse, quam persuasionem de uno Deo & veritate Religionis christianæ, vitæque castitate & interna sanctimonia. Hæc qui crediderit fide præditum esse. At hanc simplicem rationem argutiis eorum, quibus sacrorum cura commissa fuerit, ita corruptam fuisse, ut vix hodie vestigium sanctissimæ illius disciplinæ supersit. Omnia superstitiosis ritibus ac cæremoniis, opinionibus à Deorum cultoribus inventis, piis fraudibus, mysteriis nulli humanæ rationi perviis, dogmatibus pietati & mutuo amori contrariis sic abundare, ut Christi mores & jussa frustra inter Christianos quæras. Quæ monstra ut deleantur, maxime necessarium esse, ut pristinæ integritati, & sinceritati omnia restituantur, optimique Magistri leges ab exilio quasi reducantur. Ita *Tolandus*. Eum sequitur *Collinus*, *Tyndalus*, & reliqua *Incredulorum* turba, qui mysteria omnia ferre nulla ratione possunt. (*) Quod si igitur veri nominis ἀυςηρὰ Religioni christianæ insunt, manifestum est, *Incredulos* huic nun-

(*) Idem judicium fert de TYNDALO, celebri Angliæ Deista aliisque huic factioni addictis, EDMONDUS, Episcopus Londinensis, Instruct. Pastoral. p. 5. Lors qu'ils (inquit) s'expliquent, leur Christianisme ne revient qu'à ceci: Qu'il y a plusieurs preceptes moraux, dispersés çà & là dans les livres du Nouveau Testament, qui sont partie de la Loi de Nature, & auxquels on peut se soumettre entant que c'est une seconde publication, ou un renouvellement de cette Loi; mais que pour tous les autres points de Doctrine contenus dans ces livres, que la raison seule n'auroit pu decouvrir, & qui ne subsistent, que sur le pied d'une nouvelle Revelation emanée de Dieu (ce qui ne comprend rien moins que l'Ouvrage entier de notre Redemtion par Jesus Christ) ils doivent être absolument rejettés, comme tout autant de superstitions: & qu'il faut les separer de ce que l'Ecriture S. renferme de moral, c'est ce qu'un Autheur moderne appelle par là même, *enlever les decombres*. Plane similem in modum mentem TYNDALI proponit Doctissimus STACKHOUSE, Auctor libri bonæ frugis plenissimi, cui titulus: Le sens Litteral de l'Ecriture Sainte defendu contre les principales objections des Antiscripturaires & des Incredules modernes. Vide Tom. II. pag. 372. Confer JOHN LELANDS Abriss der vornehmsten deistischen Schriften &c. Hanoveræ 1755, in 8. editus.

nunquam nomen daturos, sed eam aspernaturos, quod contrarium est plane methodo *Anonymi*, *Incredulos* conversuri.

Confugiendum ergo tandem erit ad *quartam hypothesin*, atque dicendum, vel ideo necesse non esse ut *Increduli* Mysteria admittant, quod ea quidem in S. Literis sint contenta, neque ἀσύςατα, sed ita tamen comparata, ut ad pie recteque vivendum plane nil conferant. At & hac concessa sententia, præstantiæ Religionis christianæ omne eripitur decus. Quid enim quæso de Auctore Religionis christianæ, vel Apostolis ipsis, qui cœlitus hæc sibi revelata esse dicunt, esset tandem sentiendum, si illi magno labore magnas egissent nugas, id est, si prolixe & frequenter inculcassent, quæ tamen nullius essent utilitatis? nisi utile est quod facimus, docemus, & discimus, stulta est gloria. Quem igitur in finem tandem, tam operose res nulli usui futuras ingeminant & inculcant? aut quæ tandem ratio alicujus momenti excogitari posset, cur Christus & Apostoli, rejectis traditionibus judaicis & ineptis gentilium decretis, novam quandam, & hactenus inauditam adferrent credendi & recte vivendi regulam, seque Numinis optimi voluntate missos esse dicerent, ad illam insinuandam, & latius proferendam, si tamen hæc ipsa disciplina tantopere deprædicata, ad rectius de Deo sentiendum, Eumque colendum nullam tamen haberet vim & efficaciam? aut enim dicendum, homines illos ignoravisse; utrum ea quæ in medium prolaturi erant, cum aliqua utilitate essent conjuncta nec ne; aut probe eos & pulchre scivisse, dicis tantum causa hæc esse effusa; alterutrum horum dicas perinde est, cum utraque adsertio ita sit comparata, ut qua ratione in sanum sinciput cadere possit, nemo intelligat. Imperitissimus certe homo omnem navat operam, ut saltem videatur sapere, & recta atque salutaria præcipere. Philosophi veteres, & post eos Scholastici, quæstiones innumeras in medium attulerunt, easque nulli usui futuras, quibus tamen colorem aliquem conciliare voluerunt, atque ostendere, quantivis esse pretii has meditationes. Damus aliquid his hominibus, quandoquidem animadvertimus, eos vel ob ingenii tarditatem, vel ob seculi, quo vixerant infelicitatem, vel ob superstitionem denique, meliora & præstantiora docere non potuisse. At hic nullus esset excusationi prætextus futurus, sed dicendum, *homines*, qui cognitionem Dei & Soteris ad salutem comparandam, unice necessariam esse dicunt; qui in hac cognitione omnes sapientiæ thesauros repositos esse clamitant: *Homines*, qui hoc unum potissimum se in his

terris

terris addiſcere velle affirmant, ut Chriſtum, Eumque crucifixum cognoſcant; *Homines* denique, qui ſuperatis omnibus hujus vitæ moleſtiis, relicta domo, patria, & dulciſſimis amoris pignoribus, inter mille præſentiſſima vitæ pericula, quaquaverſum iter faciunt, novam illam & cœleſtem Philoſophiam cunctos mortales edocturi, eosque omni argumentorum & incitamentorum genere ad tantam tamque inſignem diſciplinam amplexandam inducturi, dicendum inquam, hos *homines* credidiſſe omnia illa tantopere deprædicata capita nullius plane eſſe uſus. Quod ſi quis eos tanta inſania captos fuiſſe dicat, num quisquam tandem, cui ſenſus communis ineſt, illi Religioni nomen dare poſſet, cujus præcipua capita, ſive ignorarentur, ſive ſi perſpecta eſſent, utilitatem afferre poſſent plane nullam? quis non mallet præſtantiſſimorum Philoſophorum libros evolvere, eorum decreta rationibus ſuffulta calculo ſuo comprobare, atque ad ea actiones ſuas exigere, quam ſubſcribere Religioni, in qua equidem multa præcepta continentur rationi convenientia, plura vero à rebus eſſent deſumta, quæ nullum haberent uſum, ex quibus tamen incitamenta graviſſima ab Auctoribus illis peterentur, longe tandem maxima pars hujus Religionis conſtaret propoſitionibus identidem quidem & frequentiſſime repetitis, imo non ſine maxima devotionis ſpecie prolatis & inculcatis, ſed quæ non magis prodeſſent quam verba ignota prorſus lingua prolata? Verbo; aut myſteria illa, uti præ ſe ferunt diſcipuli ſanctiſſimæ diſciplinæ, originem habent cœleſtem, quo dato nemo tam ferreæ frontis erit, ut adſerat, ea nil plane prodeſſe poſſe. Si vero ab ipſis diſcipulis ſunt excogitata, neque tamen ullam mortalibus adferunt utilitatem, tum ratione carere dicendi eſſent *Increduli*, ſi huic Religioni nomen darent. Si prius adſerat Anonymus, neceſſe eſt, ut non minus myſteria, quam præcepta *Incredulis*, quos ad Religionem chriſtianam adducere vult, commendet, quod tamen *novæ methodo* contrarium eſt. Si vero homines illi myſteria nomine Dei effinxerunt, nullam generi humano allatura utilitatem, aut dicendum eſt, eos fuiſſe mente captos, aut impudentiſſimos nebulones; quis autem hoc conceſſo ab ullo *Incredulorum*, cui vel mica bonæ mentis eſt, poſtulare poſſet, ut hanc Religionem divinam eſſe crederet?

In eodem argumento pergit Auctor ſpecialiter argumentando

Hactenus ex iis, quæ de myſteriis *Anonymus* diſputavit, oſtendimus, tantum abeſſe, ut *Increduli*, ſi myſteriorum, quæ in Sacris Pandectis reperiuntur, nulla prorſus habenda ſit ratio, ad amplectendam Religionem chriſtianam commoveri poſſint, ut potius hæc ipſa metho-

methodus iis universam Religionem Christianam reddat suspectam. Transeamus jam ad ea quæ *Anonymus* de miraculis, & natura fidei Christianæ aliisque capitibus disseruit, demonstraturi, positis illis, quæ de argumentis hisce meditatur *Auctor*, *Incredulos* necessario impediri, quo minus nomen dent Religioni Christianæ. Et quod ad miracula spectat, supra audivimus, Anonymum contendere, iis plane non esse utendum in disputationibus cum *Incredulis*, partim quod de fide testium, eorumque capacitate, nemo satis possit esse persuasus; partim quod ignoremus, utrum ea ex causis naturalibus oriri possint nec ne, singulæque tandem sectæ ad miracula provocare soleant. Fidem tandem in Sacris commendatam nihil esse, præter evidentem persuasionem de Numine, Ejusque attributis essentialibus. Incipiamus ergo à miraculis, & testibus rerum in V. & N. Testamento gestarum. Discipuli Christi Johannes & Matthæus testantur, ea quæ à Jesu Christo dicta & facta sunt. Ipsimet testantur, se vidisse propriis oculis Jesum hic illic miracula patrantem; loca & circumstantias rerum gestarum narrant. Referunt idem reliqui omnes. De vita ipsius, morte & resurrectione maximus est consensus. Quod si his hominibus (concedit enim Anonymus Christum in his terris vixisse, atque discipulos ipsius hujus rei esse testes) fides in hoc negotio non est adhibenda, aut si saltem tuto iis credi non potest, non solum in rebus facti omnis exulat certitudo; sed & ita *Increduli* excusari legitime possent, si omnia, quæ de rebus gestis Jesu Christi narrantur, suspecta esse adsererent. Inter omnia quæ referunt mira, hoc primum occupat locum, quod dicant, Jesum è mortuis fuisse revocatum, cum discipulis posthac, & magna hominum turba locutum; Eundem præsentibus iisdem Discipulis in cœlum sublimem abivisse, moxque iisdem facultatem dedisse non solum miracula patrandi, sed & animi sui sensa linguis, quas nunquam didicerant, exprimendi. Quod si nulla ratione de testium horum sinceritate, aut capacitate possumus esse persuasi, sane stolide agerent *Deistæ*, si rebus, quas narrant, plenam fidem adhiberent. Imo tantum abesse, ut ad amplectendam Religionem induci deberent, ut potius in examine hujus Religionis longius progredi, si saperent, nollent. Cum enim hoc primum sit in hac quæstione, utrum nempe adsint testes fide satis digni de historia rerum à Christo gestarum; testimonium autem Discipulorum ita comparatum sit, ut, juxta *Anonymum*, satis de ejus certitudine, quæ in hoc argumento postulatur, nemo persuasus esse possit, nullam causam

ex iis quæ Anonymus de miraculis, & natura veræ fidei aliisque religionis partibus disserit.

haberent *Increduli*, narrationibus horum Auctorum fidem habendi, imo tota Religio Christiana ita esset falsi suspecta. Ostenderunt viri eruditissimi, inter quos nostra opinione eminent *Dittonus*, *Scherlokius*, & nobilissimus *West* (*) probata Resurrectione Jesu Christi, veram esse Religionem Christianam atque divinam. At efficacissimum argumentum veritatis hujus nititur testium qualitate & numero; si huic nulla inest probationis vis, Resurrectionem Christi, & consequenter etiam Religionis christianæ divinam originem nemo pro certa admittere poterit. Idem dicendum erit de testimoniis omnibus reliquis, quibus hoc vel illud miraculum factum esse perhibent Discipuli, omnium testium, quos terra tulit unquam, nostra opinione probatissimi. Quod ad miracula ita spectat, duo obstare putat *Anonymus*, quo minus eorum præsidio utamur contra *Incredulos* argumentaturi; partim quod nesciamus, utrum ea ex causis naturalibus per leges naturæ fieri potuerint nec ne: partim quod omnibus seculis, & inter omnes gentes passim jactata sint ejusmodi miracula. Non quæram jam utrum hæ rationes satis graves sint, ad argumentum à miraculis petitum infringendum, de eo enim in sequentibus agendi locus erit, sed argumentabor juxta *Anonymi* concessionem. Christus nempe non solum provocat ad sua miracula sæpissime, ut infra ostendemus, sed & inde suam doctrinam & divinam missionem probare vult, & quidem contra hostes ipsius acerrimos. Quod si per leges naturales fieri aliquando possunt miracula, Christus autem & Apostoli persuasi erant, ea à Deo, non vero ex causarum naturalium concursu oriri potuisse, tum Christus & Apostoli aut ipsimet ignorarunt aliquando miracula ita contingere posse, aut certo sciverunt portenta omnia per ignotas naturæ leges fieri; utrum dicas perinde est, in hoc, de quo agimus argumento. Si ignorarunt, & sæpissime tamen ad ea tanquam cœlestia signa provocarunt, misere decepti sunt, & argumento nullius plane ponderis usi sunt, ad res sua opinione

(*) Prior in libro cui titulus: La Religion Chretienne demontrée par la Resurrection de J. C. en reponse aux objections des Deistes. Posterior vero in tractatu cujus inscriptio: Les Temoins de la Resurrection de Jesus Christ, examinés & jugés selon les regles du Barreau, pour servir de Reponse aux objections du Sr. Woolston & de quelques autres Autheurs. Addi hisce debet LYTTLETONS Anmerkungen über die Bekehrung und das Apostel-Amt Pauli, editus libellus, Hanoveræ 1748.

nione ſanctiſſimas confirmandas. Si hic autem tam miſere errarunt, in aliis etiam palpum ſibi obtrudi, & miſere decipi potuerunt. Si vero ſciviſſent per ordinarias naturæ leges hæc miracula patrata, & tamen adeo confidenter ad ea tanquam divina Dei monumenta provocarunt, Deumque naturæ leges hic mutaſſe affirmarunt, pro Impoſtoribus, *abſit blaſphemia*, habendi eſſent; ſimiles adeoque fuiſſent Agyrtis, qui verboſis ſtrophis ſibi famam adquiſituri, circulatoriis artibus utuntur, & credulæ plebi perſuadent, eas veri nominis τέρατα eſſe; ſimiles eſſent fraudulentis illis & verſutis ſacrificulis v. gr. in Italia, qui capite S. *Januarii* ad ampullam chymico aromate plenam admoto, Neapolitanis civibus, imo omnibus, ſi poſſent hominibus perſuadere vellent, miraculum inſigne hic intercedere. (*) Certe non opus eſſe puto, ut ſi hæc omnia concedantur, probem,

D 2 non

(*) In Miſcellaneis Duisburgenſibus, quæ colligit Vir doctiſſimus, mihique amiciſſimus, D. GERDESIUS, Theologus hodie Groninganus celeberrimus, Tom. II. pag. 195. extſtat Anonymi Epiſtola Gallico Idiomate ſcripta, in qua narratur, qua ratione Nobiliſſimus NEUMANNUS, Doctor Medicinæ Berolinenſis & Profeſſor Chymicarum Artium, evidentiſſime facto experimento ad oculum oſtenderit, nullum in hoc negotio plane intercedere miraculum. Epiſtolam ipſam in gratiam Lectoris Eruditi adponam. Sonat autem ita:

Relation du Miracle de la Liquefaction du Sang à l'imitation de celuy,
qui ſe pratique à Naples au Sang pretendu de St. JANVIER.

MONSIEUR.

MIracle, Miracle! Vous ſerez etonné de cette promte Metamorphoſe de ſentiment d'un homme, que vous connoiſſez ennemi de toute ſupercherie. Vous me repondrez comme les Grecs: θαυματα μωροις, (Miracles pour les Sots.) Mais je vous reponds à préſent: θαυματα σοφοις, (Miracles pour les Sçavants.)

Je me trouvois avant-hier Mardy le 26. de ce Mois dans une Aſſemblée des Sçavants dont je ſuis un Admirateur. Et vous ne refuſerez pas ce titre à Mr. le Preſident, Mſſrs. les Directeurs, & pluſieurs dignes Membres de la Societé Roiale des Sciences à Berlin, qui furent tous conviés à un Repas veritablement Philoſophique par Mr. NEUMAN, Conſeiller de la Cour de Sa Majeſté, Docteur en Medecine & Profeſſeur en Chymie, un des plus grands Chymiſtes de nos jours.

Il ne manqoit rien à cette Table, de ce qui pouvoit repaitre le corps & l'ame. Mais le plus precieux deſſert, ſelon mon gout, étoit le grand Miracle,

non posse non *Incredulos* Religionem spernere. Ipsimet enim, cum tot falsa miracula passim reperiantur, veris miraculis fidem habere nolunt, in quo tamen non magis sapiunt, quam si quis veri nominis Regem fuisse *Augustum*, vel alium quemvis negaret, quod mente captus somniasset aliquando, sibique per tempus persuasisset, se esse Regem illum. Et quid opus pluribus verbis? Nonne *Woolstonus* Anglus

Miracle, que ce sçavant Docteur nous fit voir à tous, si clairement & si distinctement, qu'il n'y a que des incredules, qui puissent en douter.

Mr. le Conseiller NEUMAN nous fit tirer de son Tabernacle, (je veux dire de son Thresor de Laboratoire, & d'Apothicairerie, qui est le mieux entendu, & le mieux reglé, qu'on puisse voir) trois Phioles de Christal, ou de verre bien clair & transparent, dans chacune desquelles fut renfermée une matière en très-petit volume, (je me sers icy des termes du Père LABAT, parlant de la liquefaction du sang de Sr. JANVIER à Naples. Voyez ses voyages en Espagne & Italie Tom. V. pag. 259. 260.) sèche, noire & si dure, qu'elle excitoit du bruit sur les parois des phioles, quand on les remuoit Nous étions pour le moins quatorze temoins, bien examinants la chose. Après cecy Mr. NEUMAN fit apporter une tête de mort. Il n'est pas necessaire de croire, que c'étoit celle de Sr. JANVIER; suffit qu'elle faisoit le même Miracle.

Car Mr. NEUMAN ayant approché la prémière phiole à la tête, la matière devient vermeille (ce sont encore les expressions du Père LABAT l. c.) se liquifie, bouillone, augmente son volume, & remplit la phiole. Voila le prodige qui asseure la bonté de ce Patron.

La seconde phiole étant aprochée à cette tête, ne bouillonoit qu'un peu. Marque de la faveur mediocre de ce Protecteur.

La troisième phiole, contenant la même matière, fut aussi approchée à la tête. Mais tout resta sec, noir & dur. C'est qu'il y avoit des heretiques (comme nous étions tous selon le style Romain) qui causoient de l'indignation au Patron; qui se mit enfin en colere, de voir mepriser ses reliques.

Voila, Monsieur, un recit veritable du miracle, que nous venons de voir. Je n'y vois aucune difference de celuy, qui se pratique si souvent à Naples, si ce n'est (1.) qu'il nous manquoit les solennitez, qui se pratiquent à cette occasion avec beaucoup d'éclat dans Naples: & (2.) que Mr. le Conseiller NEUMAN ne pretendoit aveugler n'i écumer personne par son miracle. Au contraire, il cherche d'éclairer le monde & de le rendre plus circonspect.

Si Messieurs les Prêtres de Naples auroient le cœur aussi bien placé, que ce digne Medecin, ils se communiqueroient les uns aux autres leurs secrets, pour detromper le monde.

Je suis.

A Berlin ce 28. Janvier, 1734.

Anglus omnesque *Increduli* negant, miracula esse sufficiens argumentum, quo probetur Jesum cœlitus esse missum, Ejusque disciplinam divinæ esse originis? Ex quo satis constat, eos qui nullum pondus argumentis è miraculis petitis inesse putant, in *Incredulorum* castra necessario discedere, hostesque potius esse Religionis Christianæ, quam vero ipsius fautores & defensores. Huc accedunt ea, quæ de historia rerum in V.& N. Testamento gestarum narrat *Anonymus*; nimirum concedit, ea, quæ in utroque fœdere narrantur gesta, *quoad summam rerum*, vera esse, de cœteris vero aliquando jure dubitari posse. Ita v. gr. concedi debere, extitisse Mosen & Christum; utrosque fuisse viros dignitate, pietate aliisque virtutibus eminentes; at inde non sequi, necesse ergo esse, ut singulis circumstantiis hinc inde narratis, v. gr. de cæremonialis legis natura & origine divina, de rejectione Gentium imperata à Deo, fides habeatur: Ex quo simul colligendum, si *Anonymum* audiamus, singula, quæ hic illic in V. Testamento, & proinde etiam in Novo referuntur, contra *Deistas* non pertinaciter esse urgenda. At & hic sole meridiano clarius est, hisce concessis, auctoritatem librorum V. & N. Testamenti penitus deprimi. Probe enim observandum, non de quadam variante lectione, aut loco suspecto esse sermonem, sed de circumstantiis maximi momenti. Quod si enim (1.) fidem non possumus habere narrationi rerum gestarum, nisi *quod ad summam rerum*, tum inde necessario consequitur, id propterea fieri, quod tuto omnibus fidem habere non possimus, quoniam vera sunt passim mixta falsis, uti duo exempla, ad quæ Auctor provocat, satis superque hoc manifestum faciunt. Quod si hoc est, non major fides tribuenda est Scriptoribus sacris V. & N. Testamenti quam Historicis Græcis & Latinis, in quibus passim certa dubiis sunt mixta. Ita *quoad summam rerum* credimus *Curtio*, narranti *Alexandrum* extitisse, rerum gestarum gloria magnum: eum Persarum Imperium ad se rapuisse, in cæteris vero circumstantiis credimus, eum sæpe non historici sed rhetoris personam egisse, quod multis erudite ostendit *Celeberr. Clericus*. Sed si talis sit ratio rerum, quæ in V. & N. Testamento narrantur, quis tandem bonæ mentis auctor esse poterit *Incredulis*, ut ejusmodi libros pro divinis admittant? sane ita Canon V. & N. Testamenti in immensum esset adaugendus, si omnes Historici Græci & Latini, qui *quoad summam rerum* non errant, sed verum dicunt, pro divinis scriptoribus essent habendi. Ita *Tolandus*, Auctor libelli cui titulus: *Les princesses Malabares*,

labares, *Collinus* & *Deistæ omnes*, concedunt Mosen & Christum extitisse, uno verbo, ea quæ *ad summam* historiæ pertinent admittunt; at miracula, visiones, apparitiones, originem divinam Religionis Judaicæ & Christianæ, &c. prorsus rejiciunt. Quod si hoc non obstante, tamen Religionis Christianæ confessores dici merentur, conversi sunt antequam convertantur, quod ineptum est. Vult *Anonymus* Incredulos commovere, ut Religioni Christianæ nomen dent; in libris autem illis, quos pro divinis habemus, sunt plurimæ res gestæ: quod si eligere possunt *Deistæ* quod placet, frustra Vir doctus laborat; liberaliter enim omnia illa concedent, sed & hoc ipsum obstare simul dicent, quo minus Religionem Christianam pro divina habeant. (2.) Si cultus cærimonialis, ut *Anonymus* vult, saltem ut *Deistis* videtur, neque ab *Anonymo* improbatur, absonus, ridiculus & sensui communi contrarius est, adeoque eum rejicere possunt *Increduli*, tum universum V. & N. Téstamentum falsi erit suspectum. Notum enim est, ex V. & N. T. cultum cærimonialem à Deo dici institutum per fidelem Ejus servum *Mosen*. Huic cultui innituntur pleraque præcepta & adhortamenta; Ad eum in Prophetis, & Novo Testamento passim provocatur. Quod si vero ea, quæ de origine ejus dicuntur, falsa sunt; si cultus ipse omnibus rectæ rationis principiis repugnat, divinæ originis esse non potest, sed vel *Moses* ipse fraudis & imposturæ reus esset dicendus, (quod impudens Auctor libelli cui titulus: Les Princesses Malabares, Cap. X. sine ambagibus adserit,) qui fictis strophis sibi famam conciliaturus, hæc omnia finxisset, aut inito quodam concilio hominum astutorum leges illas constipasset, atque ad auctoritatem sibi comparandam fabricasset, aut tandem dicendum hæc omnia Canoni longe post fuisse inserta; Quæ omnia ita comparata sunt, ut V. Testamenti Scriptores, qui Mosen erant secuti & Prophetas, qui ad cultum illum cœlitus datum provocarunt, merito omnes redderent suspectos. Ita *Manichæi* iisdem argumentis sunt usi, ad Canonem V. Testamenti rejiciendum. Vide pluribus hæc probantem Cl. *Beausobre*, τον νυν εν άγιοις, *hist. Criticæ de Manichæismo* & *Manichæis*. Tom. I. pag. 270. sq. Et quid tandem dicemus de Christo & Apostolis, ad Mosen tanquam Prophetam à Deo excitatum provocantibus? quid de typis legis cærimonialis ad res N. fœderis spectantibus, & Apostolorum ratiocinationibus, de legis cærimonialis usu, fine & scopo? quid inquam de argumentationibus eorum sentiemus, si omnis & totus ille Cærimoniarum apparatus ineptus

ineptus eſt, temereque vel à ſuperſtitioſo, vel à fraudulento homine excogitatus? conſequentiam negat ipſe *Anonymus*, aut quilibet qui artem ratiocinandi mediocriter intelligit. (3.) Si ea quæ ad *ſummam rerum* in V. Teſtamento narratarum pertinent, duntaxat ſunt firma fide credenda, reliqua autem, quæ ad palatum *Incredulorum* non ſunt, pro lubitu poſſunt rejici, quid tandem *Increduli* ſentient de omnibus extraordinariis rebus geſtis in V. Teſtamento, nimirum de miraculis, prophetiis, viſionibus, apparitionibus? loquantur ſcripta Auctoris libelli *des Princeſſes Malabares*, *Tolandi*, *Collini* & *Wolſtooni*, & reſponſio erit in promptu. Quid judicabunt porro *Increduli* de creatione rerum omnium, hominis præſertim; de lapſu hominis primi, de diluvio, de Sodomæ vaſtatione, de miraculis in Ægypto & deſerto factis, de tot præliis Numinis auctoritate ſuſceptis: verbo de omnibus eventibus extraordinariis? Facilis eſt conjectura: hæc *ad ſummam rerum*, inquient *Increduli*, non pertinent, ſed quemadmodum totus cultus neſcio qua ratione mire cum hiſtoriis eſt contemperatus, ita ſimiles hiſtoriæ & ἱερατα, ut judaicæ genti decus concilietur, erunt adjecta. Sane *Thuani*, *Sarpii*, & *Burneti* longe eſſent præferendi Scriptoribus ſacris, ſi hæc ratiocinandi ratio *Anonymi* locum habet. Et quid porro in ſpecie de N. Teſtamento erit ſentiendum, ſi *quoad ſummam rerum* hiſtoricis duntaxat narrationibus eſt habenda fides. Si ad hanc *ſummam rerum* ſpectes, verum erit, Chriſtum ſub *Auguſto* natum, paſſum ſub *Tiberio*; verum erit, Eum fuiſſe virum præſtantem pietate, & ſanctum; verum erit, Eum morte tandem dicta ſua comprobaſſe; verum erit, Eum habuiſſe multos diſcipulos, qui decreta Ipſius ſecuti ſint, eaque per orbem ſparſerint. At num ad *ſummam rerum* pertinebunt ea, quæ de mirabili ipſius nativitate, de ipſius ἐνσαρκωσει, deſcenſu è cœlo, circumſtantiis nativitatis, mortis, reſurrectionis, aſcenſionis in cœlum, & effuſione Spiritus Sancti &c. dicuntur? hæccine credi poſſunt, ſi myſteria omnia res ſunt plane inintelligibiles? admitti ne hæc poſſunt, ſi miracula ſunt dubiæ auctoritatis, atque per inuſitatas mechaniſmi leges effici poſſunt? ſane ad *miraculum credulum* oportet eſſe *Incredulum*, ſi repudiatis omnibus myſteriis & miraculis nihilominus hæc omnia, quæ ab Evangeliſtis & ab Apoſtolis narrantur, credere poteſt. Verbo, aut ea omnia divinæ ſunt originis, & conſequenter non minus miracula, quam myſteria ſunt admittenda; aut fides omnis decedit Scriptoribus N. Teſtamenti, cum impoſſibile ita ſit ficta à

veris

veris discernere. Cum autem prius non admittant *Increduli*, & secundum *Anonymum* contra eos hæc urgenda non sint, posterius necessario erit inferendum. Imo si vel maxime concederent, miracula à Christo & ab Apostolis præstita & mysteria ibi contenta divinæ esse originis, nihilominus tamen hoc *Incredulos*, quos in viam veritatis reducere vult *Anonymus*, parum moveret. Cum enim mysteria hodie secundum *Anonymum* sint inintelligibilia, miraculaque dubiæ auctoritatis, fieri non potest, ut iis adsensum præbeat *Incredulus*, sed adquiescet in præceptis moralibus, quæ à rectæ rationis principiis sunt petita. Atque hoc postremum necessario debet evenire, si ea tandem etiam perpendamus, quæ *Anonymus* de *fide divina* in medium protulit; nimirum *fidei* nomine nil aliud intelligit, quam claram perceptionem Numinis Ejusque attributorum essentialium. Si *Anonymus Incredulorum* nomine *Atheos* vellet intellectos, sine dubio primo probandum esset dari Numen optimum, sapientissimum &c. à mundo discretum; explicanda essent ejus attributa, ut de reliquis Theologiæ naturalis capitibus nil dicam. At si *Deistas* duntaxat, uti manifestum est, hac ratione ad meliorem frugem revocare vult, magno conatu nil agit. Hi enim hoc, quod Auctor postulat, imo sæpe plura admittunt; at si hoc sufficit, ut Christiani sint & vocentur, jam sunt conversi, & frustra magno molimine Auctor iis probari vult quod nunquam in dubium revocarunt. At nulli Christianorum, si modo sanæ mentis sit, persuadebit, fidem Christianorum absolvi duobus illis articulis, nimirum persuasione de Numinis existentia, Ejusque attributis essentialibus, & si addere quoque velis cognitione, & observantia præceptorum moralium, rectæ rationis principiis innixorum.

Directe ostenditur longe plura ad revocandos Incredulos, & de vera religione convincendos postulari. Et primo quidem hic attendendum est ad

VII. Ex hisce nisi fallor manifestum est, Thesin *Anonymi* manifeste contrarium ejus probare quod probandum erat, atque adeo natura sua, ad confirmandos potius *Incredulos*, quam ad eosdem de errore suo convincendos, & in viam revocandos, aptam esse. Atque hoc ipsum cuivis artis ratiocinandi perito sufficere deberet, ad methodum Auctoris rejiciendam. Quoniam autem ejusmodi argumentationes Thesin equidem adversarii satis superque infirmam reddunt, non tamen rem ipsam, quæ explananda est, satis explicant, naturamque & indolem ejus ostendunt, age directe probemus longe plura, quam vellet *Anonymus* postulari, ad *Incredulos* convincendos, idque ex indole ac natura ipsius Religionis Christianæ articulorumque præcipuorum demonstrabimus. Ex quibus liquido constabit, nonsolum

plane

plane aliam esse fidei christianæ naturam, quam quæ ab *Anonymo* commendatur, sed & Religioni christianæ neminem ex vero nomen dare posse, nisi qui mysteria religionis, miracula & prophetias admittat. Duo tantum, quæ ipsi *Anonymo* æquissima esse videbuntur, præmittam. *Prius* est; in nostra potestate non esse situm, capita Religionis revelatæ, si quæ adest, pro libitu restringere, aut ampliare; sed ea omnia esse admittenda, quæ in ea vel αὐτολεξεὶ, vel per evidentes ratiocinationis leges continentur. *Posterius*: secundum rectæ interpretationis leges, quæ ab omnibus Interpretibus admittuntur, dicta sacrarum Literarum esse intelligenda. Hisce in antecessum positis, primo quidem incipiemus ab ipsa natura fidei christianæ, ubi tamen in antecessum monemus, nos non omnia hic, quæ à Theologis, vel de divina fide in genere, vel de justificante inspecie dicuntur, allaturos, partim quod id nos longius ab incepto nostro deduceret, cunctaque prolixe in omnibus Theologorum nostrorum systematibus passim sint tradita; partim quod hic inprimis ratio habenda est Theseos, ab *Anonymo* in medium prolatæ, quæ sine receptis distinctionibus fidei, falsi potest convinci. Subsistimus igitur hic in generalioribus. Quod igitur ad Thesin ipsius Anonymi spectat, ex antecedentibus satis superque constat, eum *fidei* nomine nonnisi *persuasionem evidentem de Numinis existentia*, *Ejusque attributis intelligere.* At (1.) hæc definitio, etiamsi nonnisi de philosophica quadam Religione sermo esset, manca est. Cum enim omnia, quæ ex rectæ rationis principiis de Deo cognosci possunt, sive sint principia theoretica, sive practica, credenda sint, nempe providentia Dei, leges naturales, mentis immortalitas, patet eorum etiam mentionem in hac fidei definitione esse faciendam. Quicquid autem de hoc sit, agitur hic de fide christiana non philosophica. • Fides Christiana nititur auctoritate Dei loquentis in S. Literis. In his autem, ut omnes norunt, non duntaxat de Numinis attributis essentialibus, sed de variis capitibus creditu necessariis, neque ope rationis solius indagandis, agitur. Igitur fides christiana longe plura complecti debet. Fides hæc innixa Revelatione hoc primum ante omnia ponit, Religionem christianam esse originis divinæ, hoc ubi semel positum est, in nostra potestate situm non est, credere, vel non credere; sed ea omnia quæ in Revelatione continentur necessario pro veris, ut diximus, admittenda sunt, eo ipso quia eam divinæ originis esse sumus persuasi. Quando igitur Anonymus serio, & ex animo, *Incredulos* ad confessionem sinceram

ea, quæ S. Literis de fide traduntur.

Religionis christianæ adducere vult, necesse est, ut ante omnia ipsis probet, veram & divinam esse Religionem christianam, sine qua persuasione impossibile est, ut fide christiana præditi esse possint. Concedimus equidem, omnia, quæ in Revelatione continentur, perfectionibus divinis congruere; concedimus insuper, omnia Theologiæ Naturalis Capita in eadem Revelatione pulcherrime, imo longe exactius, quam in omnium Gentilium scriptis tradi: At contendimus simul, id quod essentiam fidei christianæ constituit, longe plura, eaque rationis solius ope nullatenus cognoscenda, de quibus mox sumus dicturi, complecti. Ex quo solo constat, quam manca sit illa *Anonymi* fidei definitio. Certe nisi plura addas, fidem christianam à Gentilium, Judæorum & Turcarum fide, vel Religione distinguere haud possumus. (2.) Fides christiana non tantum innititur illa persuasione, veram nimirum & divinam esse Religionem christianam, sed & variis articulis, qui tanquam creditu necessarii κατ' ἐξοχὴν in Revelatione repræsentantur. Non omnes hic tangam, sed præcipuos duntaxat. In N. Test. ante omnia hic articulus frequenter inculcatur: nimirum *Jesum Christum verum esse Messiam.* At in hac propositione tria ad minimum includuntur. *Primum* est, Oracula V. Testamenti esse divina. *Secundum*; in iis inter alia etiam prædictum fuisse venturum ita volente Deo Messiam. *Tertium*; Jesum Christum Soterem nostrum doctrina sua & miraculis satis superque probasse, se esse promissum illum Messiam. Hunc articulum ante omnia Christum tanquam creditu ad salutem absolute necessarium ursisse, ex N. Test. evidentissimum est. Vide loca Matth. X, 6. Joh. XI, 21. 26. 27. Joh. I, 42. Joh. XX, 31. Act. VIII, 37. &c.

Quod si igitur Revelatio non solum est divina, sed & hic articulus, ita præcipientibus ipso Sotere nostro & Apostolis, ab omnibus est admittendus, qui Religioni christianæ nomen dare volunt, sequitur denuo definitionem *Anonymi* mancam valde & imperfectam esse. Hoc adeo manifestum, ut illi ipsi, qui articulorum fidei numerum restringere & minuere voluerunt, hoc confessi sint. *Lokius* certe, quem inter credulos homines *Anonymus* non retulerit, in tractatu suo cui titulus: *Quod Religio christiana sit rationi convenientissima*, non solum prolixe probavit, necesse esse, ut omnes qui Christiani sunt, huic articulo subscribant, sed & hoc posito cætera omnia in Revelatione contenta, quantum quisque scrutando & meditando adsequi potest, esse admittenda. At articulus hic ita est comparatus, ut nulla ratione

ex

ex contemplatione naturæ Dei, attributorumque Ejus essentialium, adhibita etiam omni, quæ in hominem cadere potest attentione, erui possit. Hunc tamen Articulum tanquam cognitu necessarium inculcant S. Literæ. Totidem verbis hanc nostram propositionem tuetur *Petrus* Act. IV, 22. *Nec est*, inquit, (*de Jesu Christo loquens*) *in ullo alio salus, nec ullum aliud nomen est sub cœlo apud homines datum, per quod servandi simus.* (3.) Sed nec hæc solum credenda sunt homini Christiano, sed plura alia, quæ essentiam illius fidei christianæ necessario ingrediuntur. Nil hic dicam de fide in Patrem, Filium & Sp. Sanctum; de Deitate filii, de ἐνσαρκώσει ejusdem, de satisfactione & obedientia ipsius, mysteriisque aliis, de quibus infra, ubi ex professo doctrinam de mysteriis contra objectiones *Viri Docti* vindicabimus, agemus. Observo tantum, ex lectione S. Literarum, unicuique constare posse, articulum *de Redemtione Jesu Christi, nostraque cum Deo per Christum consequenda reconciliatione* cuivis Christiano homini esse necessario cognoscendum. In hoc enim centrum & medulla fidei & Religionis christianæ continetur. Cum autem fides nostra non debet esse cœca sed oculata, necesse est, ut in quo Redemtionis illius opus consistat, cognoscamus, utque adeo credamus, Christum non solum esse Θεὸν ἐνσαρκωθέντα, sed & Eundem esse Prophetam divinitus missum, Sacerdotem sanguine suo nos placantem, & remissionem peccatorum nobis promerentem, Regem denique nostrum Spiritu suo nos regentem. Hinc & Scriptura ut hoc credamus passim monet. De munere *Prophetico* vide Joh. III, 2. ibid. VI, 29. Act. II, 22. ib. III, 22. collat. cum Deutr. XVIII, 15. sq. de *Sacerdotali* Hebr. IV, 14. 15. 16. ibid. X. 21. 22. de *Regio* Act. V. 31. Matth. XXIII, 18. ut alia plura loca, quæ hic adferre possem, silentio transeam. Animus non est singula Religionis christianæ capita in S. Literis perspicue tradita, hic in medium proferre, cum ex iis quæ diximus satis superque constet, *definitionem fidei* (de hoc enim jam, non de his aut illis articulis inter Christianos controversis hic agitur) ab *Anonymo* allatam valde esse *imperfectam*, naturæ Religionis christianæ *contrariam*, atque adeo ad convertendos *Incredulos* prorsus *insufficientem.* Conferantur cum nostris, quæ prolixe de hoc argumento meditatus est *Celeberrimus Theologus Tigurinus, Joh. Rodolphus Cramerus, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, in dissertationibus, in quibus examinat, quibus in rebus præstantia Religionis christianæ ponenda sit.* Ex dictis autem simul constat, quam falsa sit sententia *Anonymi* ubique ingeminantis,

Chriſtum duntaxat ſimpliciſſimas veritates, id eſt præcepta moralia Auditoribus ſuis inculcaſſe. *Fatemur* equidem præcepta Jeſu Chriſti eſſe excellentiſſima, rationi convenientiſſima, generique humano utiliſſima. *Fatemur* Eundem S. Soterem pro temporum, perſonarum & circumſtantiarum ratione ita ſua dicta temperaſſe, ut non minus doctiorum, quam ſimpliciorum habuerit rationem. *Fatemur* Chriſti præcepta ſuperare id omne, quod in hoc genere à præſtantiſſimis Literatæ Græciæ & Latii Philoſophis dictum unquam fuerat. *Fatemur* denique Chriſtum prudentiſſima συγκαταβάσει uſum, parcius primo ad diſcipulos ſuos, & ad promiſcuam turbam de Redemtionis opere, illius effectibus, aliiſque myſteriis locutum eſſe, atque in tempora mox ſecutura pleniorem harum rerum explicationem tranſtuliſſe, quod deinde etiam per Apoſtolos inuſitatis donis perfuſos factum erat. At ex his colligi poſſe, Chriſtum Soterem noſtrum duntaxat præcepta quædam moralia inculcaſſe, de articulis Religionis autem creditu neceſſariis, altum ſervaſſe ſilentium, hoc eſt quod plane à vero abhorret, ut ex ſequentibus patebit. Summatim ergo, quoniam de myſteriis Religionis chriſtianæ infra dicturi ſumus, monemus, (1.) præcepta Jeſu Chriſti pleraque iis principiis eſſe ſuperſtructa, quæ ex indole doctrinæ chriſtianæ neceſſario fluunt. (2.) Chriſtum non ut *Doctorem publicum*, ſed inſtar *Legiſlatoris* & *Prophetæ* divinitus excitati, locutum eſſe. Hinc Matth. VII. ỷ. 29. de eo dicitur: ἦν γὰρ διδάσκων αὐτοὺς ὡς ἐξουσίαν ἔχων; quæ verba ſive poteſtatem legiſlatoriam, aut facultatem in ipſos animos vim ſuam exerendi, ſive denique donum miraculorum denotent, perinde hic eſt. Satis enim patet, Eum ſimplicis Doctoris munere non defunctum. Hinc toties audias, ut in Capite hoc citato illud: EGO VERO DICO VOBIS. Itane loqui poteſt ſimplex doctor? *Pythagoræ* diſcipuli ridebantur, quando dogmatis alicujus veritatem probaturi illud αὐτὸς ἔφα ingeminabant. Chriſti autem ſectatores merito ita loqui poſſunt, quia divinus erat Propheta & legiſlatoria dignitate eminens Chriſtus, imo ut mox audiemus, facultate miracula patrandi nonſolum inſtructus, ſed & qui alios iiſdem poterat ornare donis. (*) Quis Doctor publicus inſuper

(*) Talem Doctorem aptiſſimum fuiſſe, nonſolum ad dignitatem ſuam tuendam, & ad conciliandos ſibi hominum animos, ſed & ad commendanda quibusvis hominum generibus ſua præcepta, dudum agnoverunt Viri præſtantis & acuti ingenii. Inter veteres, ORIGENES adverſus CELSUM Lib. I. pag. 25. ita

fuper cum aliqua veri fpecie dicere poterat, Auditoris falutem ita effe à fua Docentis auctoritate & dignitate fufpenfam, ut absque eo difcipulus fpem veræ felicitatis confequendæ habere non poffit? Chriftus autem ait. *Ego fum via, veritas & vita, nemo venit ad patrem*

 nifi

ita differit. ὁ δ' ἡμετερος Ἰησους καὶ ὀνειδιζομενος ὡς ἐκ κωμης γεγονως, καὶ ταυτης ουχ Ἑλλαδικης ουδε τινος ἐθνους ὀντος παρα τοις πολλοις ἐν προαγωγῃ. δυσφημουμενος δε και ἐπι τῳ πενιχρας και χερνητιδος ὑιος εἶναι, και δια πενιαν καταλιπων την πατριδα, ἐν Αιγυπτω μισθαρνησαι. και οἱονει (προς το ληφθεν παραδειγμα) ου μονον Σεριφιος γεγονως, και ἀπο ἐλαχιστης και ἀσημοτατης νησου, ἀλλα και Σεριφιων (ὡς ἐστιν ειπειν) ὁ ἀγεννεστατος, δεδυνηται σεισαι την πασαν ἀνθρωπων οικουμενην, ου μονον ὑπερ Θεμιστοκλεα τον Ἀθηναιον, ἀλλα και ὑπερ Πυθαγοραν, και Πλατωνα, και τινας ἀλλους των ὁποιποτουν της οικουμενης σοφων ἢ βασιλεων ἢ στρατηγων. Τις ουν μη παρεργως ἀνερευνων την των πραγματων φυσιν, ουκ ἀν αυτον καταπλαγειη νικησαντα και ὑπεραναβηναι δυνηθεντα τῃ δοξῃ τα ποιητικα ἀδοξιας παντα, και παντας τους πωποτ' ἐνδοξους; καιτοιγε οἱ ἐν ἀνθρωποις ἐνδοξοι σπανιον ει ἐπιπλειονα ἁμα την δοξαν ἀναλαβειν δεδυνηνται. ὁ μεν γαρ ἐπι σοφια, ἀλλος δ' ἐπιστρατηγια, βαρβαρων δε τινες ταις παραδοξοις ἐξ ἐπωδων δυναμεσι, και ἀλλοι ἐπ' ἀλλοις ου πολλοις ἁμα ἐθαυμασθησαν και ἐνδοξοι γεγενηνται. ουτος δε προς τοις ἀλλοις θαυμαζεται και ἐπι σοφια και ἐπι δυναμεσι, και ἐπι τω ἀρχικω. ἐπεισε γαρ ουθ' ὡς θυραννος συναποστηναι αυτω τινας των νομων, ουθ' ὡς ληστης κατ' ἀνθρωπων ἀλειφων τους ἑπομενους, ουθ' ὡς πλουσιος χορηγων τοις προσιουσιν ουθ' ὡς τις των ὁμολογουμενως ψεκτων, ἀλλ' ὡς διδασκαλος του περι του θεου των ὁλων λογου και της εις αυτον θρησκειας και παντος ἠθικου τροπου, δυναμενου οικειωσαι τω ἐπι πασι θεω τον κατ' αυτον βιωσαντα. i. e. „ Jefus vero nofter, licet
„ opprobretur ei patria vicus, isque non Græcanicus nec alicujus gentis
„ celebratæ: infametur & ipfe ut pauperculæ operariæque filius, & tum
„ ob paupertatem relicta patria mercede famulatus in Ægypto, & ut ad
„ præfens exemplum alludam, nonfolum Seriphius natus è minima igno-
„ biliffimaque Infula, verum etiam Scriphiorum, ut ita dicam, poftre-
„ mus, valuit concutere totum terrarum orbem nonfolum magis quam
„ Athenienfis Themiftocles, fed magis etiam quam Plato, aut Pythagoras,
„ vel fapientum totius orbis quivis alius, aut Regum Imperatorumque.
„ Quis igitur, modo exactius rerum naturam contempletur, non obftupe-
„ fcat eum eluctatum ex omnibus quæ poffent officere gloriæ, & à tergo
„ reliquiffe omnes qui unquam fuere celebres? quamvis paucis hominum
„ contigerit pluribus fimul nominibus gloriam confequi, nam alius fapien-
„ tia, alius Imperatoriis artibus, barbari vero nonnulli incantationum
„ potentia, & alii aliis rebus infrequentibus admirationem fibi parave-
„ runt ac gloriam: hic autem præter cœtera mirandus eft ob fapientiam,
„ ob potentiam, ob imperandi fcientiam. Non enim ut Tyrannus fub-
„ duxit fecum alios à legum obedientia, nec ut latro manum aliquam
„ fuorum armavit contra homines, nec ut opulentus allexit obvios largi-
„ tionibus,

nisi per me. Joh. XIV, 6. *quemadmodum palmes à se non potest ferre fructum nisi manserit in vite*, ita nec *vos nisi in me manseritis.* uno verbo. *Sine me, ait, nihil potestis facere.* Joh. XV, 4. 5. recte *Lactantius* Lib. III. Cap. XXVII. disputans contra Philosophos ait, quid ergo? *nihil ne illi simile præcipiunt? imo permulta: & ad verum frequenter accedunt: Sed nil ponderis habent illa præcepta, quia sunt humana, & auctoritate majori, id est divina illa carent. Nemo igitur credit, quia tam se hominem putat esse qui audit, quam ille qui præcipit.*

Taceo omnia, quæ Evangelistæ & Apostoli de dignitate Jesu Christi memorant. Quod si igitur *Incredulos* ad confessionem veritatis Religionis christianæ reducere vult *Anonymus*, necesse est, ut eos doceat, Jesum Christum nonsolum esse Doctorem publicum, præcepta recte vivendi inculcantem, sed *Doctorem* cœlitus missum, *Doctorem* cujus dicta omnia, sive articuli credendi sint, sive præcepta morum, divinæ sint auctoritatis. *Doctorem*, qui in mentem mortalium & corpus jus habet; qui damnare potest, vel absolvere; unde sequitur

„ tionibus, nec impostorum more attraxit: sed ut Doctor divinæ religio-„ nis & scientiæ, omnisque moralis disciplinæ, quæ juxta eam viventes „ Deo conciliare valeat. „ Inter Recentiores vero acutissimus LOKIUS ita de hoc argumento loquitur: „ Vous pouvez, (dit-il) vous flatter „ avec autant de fondement d'enseigner parfaitement les Mathematiques „ à des gens de journée & au commun peuple, que de leur donner une „ idée parfaite de la Morale par cette voye là. Le veritable & le seul „ moyen de porter les personnes de cet ordre à l'obeïssance & à la prati-„ que de leurs devoirs, c'est de leur donner des commandemens aisez „ à entendre. La plûpart des hommes ne peuvent pas connoitre les cho-„ ses par eux-mêmes; c'est pour-quoi il faut que leur foi supplée au de-„ faut de la science: cela étant, je demande si une personne qui vient „ du Ciel, qui fait des miracles à la vuë de tout le monde, & qui pré-„ scrit en même tems des regles de morale, simples & droites, n'est pas „ plus propre en général à éclairer les hommes, à les instruire de leurs „ devoirs & à les obliger de les remplir, qu'un autre qui voudroit les y „ engager par des raisonnemens, fondez sur les idées générales & sur les „ principes de la Raison humaine? Et supose même qu'on eût démontré „ clairement tous les devoirs de la vie, il est certain que tout bien con-„ sideré, l'on reconnoitroit neanmoins que cette methode d'apprendre „ aux hommes leurs devoirs par demonstration, ne seroit bonne que „ pour un petit nombre de personnes qui auroient beaucoup de loisir, „ dont l'esprit auroit été cultivé par l'étude & qui seroient accoutumez „ à des raisonnemens abstraits, mais qu'à l'égard du peuple, il seroit „ toûjours meilleur de l'instruire par les préceptes & par les principes „ de l'Evangile. „ Hactenus LOKIUS.

quitur etiam, non minus doctrinam ipsius quam præcepta pro divinis esse habenda. Quæ enim quæso, posita divina origine Religionis christianæ, & adserta tanti magistri dignitate causa esset, cur præcepta morum ab eo tradita admitteremus, decreta ipsa vero & articulos credendi non item? non eum vocamus *Stoïcum*, *Epicureum*, aut *Platonicum*, qui præcepta quædam moralia *Chrysippi*, *Epicuri*, vel *Platonis* admittit; sed eum potissimum, qui κυρίας δόξας & *Decreta* horum Philosophorum, quibus dissentientes illorum familiæ ab invicem distinguuntur, simul tuetur.

Cum Christus cœlestem suam doctrinam confirmaturus, ediderit multa miracula, nonsolum illa admittenda sunt, sed etiam universa Jesu Christi disciplina, miraculis confirmata, non præcepta duntaxat, pro divina est habenda.

Quod si porro ad *miracula* Jesu Christi & Apostolorum, quibus doctrinam suam confirmarunt, animum convertamus, patebit longe plura homini Christiano, de disciplina S. Soteris nostri esse credenda, quam vero *Anonymus* nobis persuadere vult. Ex N. Testamento aperte constat, sanctissimum Soterem nostrum, nonsolum miracula plurima edidisse, ad ea tanquam opera divina provocasse, per ea cœlestem & divinam originem disciplinæ suæ comprobasse, Discipulis suis promisisse, se eandem iis facultatem concessurum, imo ipso adhuc in terris vivente & spirante manifestissimis exemplis eosdem de veritate rerum promissarum convicisse, sed & denique ut cœlestem hanc doctrinam, quam *Evangelium* vocamus, per universum orbem divulgarent ipsos fuisse hortatum. Hæc omnia inquam ex N. Testamenti lectione cuivis cordato facile constare possunt. Ex quibus rite probatis manifestum erit, hæc omnia, *Incredulo*, siquidem Religioni christianæ ex animo nomen dare vult, firmiter esse tenenda, & consequenter non solum universam Christi disciplinam, sive mysteria, sive præcepta complexam, sed & miracula ipsius pro certis & indubitatis divinæ missionis operibus esse habenda. Age jam per partes, sed breviter has propositiones probemus. Christum plurima præstitisse miracula Evangelistæ omnes clarissimis verbis testantur; ita *aquam convertit in vinum*, Joh. II, 1. *loquelam mutis*, Marc. VI, 32. Luc. XI, 14. sq. *cæcis natis visum*, Matth. IX, 27. Joh. IX, 1. Marc. VIII, 22. *surdis auditum*, Matth. VII, 32. ib. IX, 25. *claudis incessum restituit*, Matth. XV. 3. *ejecit Dæmonia*, Matth. XII, 22. Luc. XI, 14. *mortuos in vitam revocavit*, Luc. VII, 12. Joh. XI, 1. ut plura passim in Evangelistarum scriptis obvia, mirandæ potentiæ indicia, silentio prætercam. Hæc vero miracula omnia vere esse facta, non est cur ullatenus dubitemus; adeo ut merito ineptire dicendus sit *Woolstonus*, qui singula hæc *allegorice* interpretari voluit, quasi vero meta-

metaphoricis dictis Auditores & Apostoli, qui suis oculis hæc omnia viderant, inducti fuerint, ut crederent, miracula dum hæc loqueretur fuisse edita, & homines variis morbis adfectos, nescio quorum verborum vi & efficacia, ab iis fuisse liberatos. (*) Evangelistæ de hac re loquentes, iisdem utuntur verbis, quibus omnes homines sensu communi instructi uti solent, cum rem quampiam à se visam perhibent; plerumque circumstantias locorum & personarum addunt; ipsi infensissimi hostes Christi non negarunt ab ipso miracula fuisse edita, sed detestanda malitia abrepti, ipsi Diabolo hæc τέρατα adscripserunt. Hæc miracula insuper nullius erant fraudis suspecta, quoniam publice in plateis, foro & circulis hominum, inspectantibus amicis & hostibus fuerunt edita, prouti id à doctissimis Viris, *Anglis* præsertim, qui nuper *Woolstoni* audacem & ineptam opinionem perstrinxerunt, erudite est ostensum. At nonsolum edebat sanctissimus *Soter noster* plurima miracula, sed & ad ea provocavit, probaturus, se à Deo missum esse, doctrinamque suam veram esse atque divinam. Ita Joh. X, 37. & 38. ait: *Si patre meo digna non facio, mihi ne credite, sin facio, si mihi minus creditis, at factis credite, ut & patrem in me, & me in eo esse cognoscatis, ac credatis*, ibid. Cap. XIV, 10. & Cap. II. inquit Christus ad Philippum: *Non credis me in Patre, & Patrem in me esse, quæ ego verba vobis dico mea sponte non dico, sed ipse Pater, qui in me manet, facit opera. Credite mihi, & me in Patre, & Patrem in me esse, aut certe de ipsis factis mihi credite.* Taceo alia loca plura. Ex his certe necessario colligendum, miracula ipsa nonsolum vere contigisse, sed & disciplinam Jesu Christi universam secundum ipsius argumentationem esse divinæ originis. Cum enim Christus ad ea provocet, atque Judæos impudentiæ & pervicaciæ arguat, quod nollent ex hisce miraculis argumentum sumere, quo persuaderi possent de legatione sua divina, disciplinæque cœlestis origine, pondus aliquod inesse debet huic Soteris argumentationi; fuisset autem nullum plane, si miracula veri non essent κριτήριον. Quod si vero ex miraculis potest demonstrari divina origo Religionis a Christo traditæ, necesse est ut omnia quæ à Christo nobis inculcata sunt, sive *decreta*,

(*) Quam absurda, inepta, imo ridicula sit WOOLSTONI de miraculis opinio, præter alios multos in compendio ostendit Reverendiss. in Christo Pater EDMONDUS, Episcopus Londinensis, *Lettre pastorale* pag. 49. sq. adde passim Doctissimum STAKHOUSE libro supra citato.

decreta, five *præcepta*, pro norma infallibili atque certa & fidei & vitæ habeamus. Imo hæc confequentia quam maxime valet refpectu ipforum dogmatum. Quærebatur enim hoc potiffimum; *utrum Jefus Chriftus verus effet Meffias*; quod certe ex miraculis, prophetiis & doctrina erat colligendum. Non opus erat miraculis, ad unum vel alterum præceptum, male hactenus à Doctoribus Judaicis intellectum, explicandum & interpretandum; at ut crederetur, Jefum effe promiffum Meffiam, legis fcopum verum ab ipfo tradi, Ipfum confilio divino à Prophetis ante jam annunciato ad homines Deo conciliandos effe miffum, & per Ipfum duntaxat eos ad poffeffionem veræ felicitatis effe adducendos, graviffimis argumentis opus erat quam maxime. Nihil autem majus pondus in animos Judæorum habere poterat, quam miracula. Unde & talia ab Ipfo poftularunt Matth. XII, 38. 1 Cor. I, 19. Certe fi Chriftus nil aliud præftitiffet, quam ut fententias quasdam ad*Ethicam* fpectantes, quæ hactenus peffime erant à Judæis intellectæ, explicuiffet, eas ex genuinis fontibus repetiiffet, imo fyftema aliquod doctrinæ moralis mathematica methodo adornatum Judæis obtuliffet, fieri equidem potuiffet, ut quidam inter Judæos præftantiori ingenio ornati Eum fuiffent admiraturi, eruditionemque ejus & peritiam verbis fuiffent celebraturi; at longe maxima pars, plebs certe, quæ nexum aliquot propofitionum & ratiocinationum capere non poteft, miffum feciffet omnem illum licet verum & fpeciofum præceptorum moralium apparatum, atque in opinionibus publice receptis potius adquieviffet; ubi vero ex ipfius V. Teftamenti codice, de cujus divina origine non dubitant Judæi, argumenta attulit, verum fcopum Legis & Prophetarum demonftravit, miraculisque fua dicta confirmavit, omnia præftitit, quæ ad eos convincendos melioraque edocendos facere potuerunt. Quo hæc mea dicta tendant, nemo non videt: *Anonymus Incredulum* de veritate Religionis chriftianæ vult convincere; neceffe eft igitur ut characteribus Revelationis prius animo rite repræfentatis, Codicem N. Teftamenti diligenter & ἀθερ παθων evolvat *Incredulus*, cunctaque decreta & præcepta examini fubmittat, ea ad characteres illos expendat, & omnibus inter fe rite perpenfis fyftema aliquod propofitionum maximi momenti conficiat. Ponamus autem eum examine hoc facto ante omnia deprehendere, ea quæ de regulis recte & pie vivendi à Chrifto in Evangeliis traduntur, præftantiora effe iis omnibus, quæ à politiorum gentium doctoribus hactenus fuerint tradita, eumque pro-

pterea in summam rapi admirationem, magnificeque de præceptis illis judicare; ponamus, inquam, *Incredulum* ita judicare, atque propterea etiam eum laude dignissimum esse, nemo tamen inde collegerit, eum hoc confecto labore, ulterius progredi non debere; cum enim idem pulchre norit, in ipso N. Testamento universam Christi disciplinam contineri, ad cœtera etiam simili cura atque solicitudine evolvenda & examinanda animum appellat necesse est. Idem igitur, ubi serio legit Evangelia, (ut de aliis partibus N. Testamenti jam nil dicam,) inter alia multa deprehendet, S. Soterem nostrum plurima hic illic præstitisse miracula, Ipsum Judaeos in suam sententiam pertracturum, ad ea tanquam certissima divinæ suæ legationis documenta provocasse, contra nitentes tanquam impudentes & obstinatos veritatis hostes perstrinxisse, atque adseruisse tandem, hæc omnia quæ fecisset, Prophetarum oraculis, quibus Judæi ipsi omnes subscribebant, esse prorsus convenientia. Hæc inquam omnia, si modo ad verborum & phrasium sensum attendat, manifestissime deprehendet. Forte hic paulisper hærebit attonitus *Incredulus* noster, quoniam animus ejus ab omnibus illis, quæ insolita & mira videntur, abhorret, atque existimat, ea quæ ad Religionem pertinent, debere esse planissima, evidentissima, omniumque ingeniis attemperata. Pronunciaturus autem tandem suam de miraculis illis sententiam, aut dubitabit utrum vere gesta sint nec ne; vel conficta esse illa dicet, aut tandem vere gesta esse illa fatebitur; si in primam vel secundam inclinat sententiam, id fiet, vel quod non satis perspicua sint verba, quibus hoc vel illud miraculum contigisse exprimitur; vel quod miracula prorsus fieri posse neget, vel quod tandem Evangelistis talia narrantibus plenam fidem haberi posse inficietur. At si candide agit, *primum* ratione nulla negare poterit: cum enim pulchre intelligat verba, quibus hoc vel illud egregium præceptum traditur; quæ causa tandem esset, cur intelligere non possit, hunc vel illum claudum, cæcum &c. sanatum fuisse? certe hoc idem esset, ac si quis *Platonis* sententias cogniturus legeret ipsius verba, eaque quæ placent approbaret, cætera vero captu difficiliora *Platonis* Scriptis eo potissimum nomine contineri negaret, quoniam palato suo non arriderent. Quod si forte hic vel illic in N. Test. obscuriora sint verba, alibi, ubi de eadem re sermo est, clarissima esse deprehendet. Quod ad *secundum* spectat, aut putat miracula plane fieri nulla ratione posse, quoniam impossibilia sint, aut fieri quidem posse, Deum autem ut homines duntaxat meliora edoceret, talia non

perpe-

perpetraturum: at manifestum hic ante omnia est, hominem illum animo veritatis studioso ad examen Religionis non accedere, quoniam ea, quæ in hac ipsa revelatione clarissimis verbis designata & expressa esse videt, tamen admittere non vult, quia opinionibus ante animo infixis contraria sunt. Miracula plane fieri non posse, si modo quid miraculi nomine intelligatur sciat, probare nulla ratione poterit, nisi forsan ostendat, ea contradictionem, uti in scholis loquuntur, involvere. Cum autem *Deistæ*, quibuscum nobis jam quidem res est, Theologiæ naturalis præcipua capita admittere soleant, neque major sit difficultas intelligendi qua ratione mortuus in vitam revocetur, quam quomodo Universum hoc tot creaturis instructum à Deo produci potuerit, causam non habet satis gravem, cur neget, miracula, quæ Christo tribuuntur, vere contigisse: non magis insuper reddet rationem, cur sibi persuadere non possit, Deum in gratiam Judæorum & Gentilium leges naturæ mutasse; quod si enim ἀτερ παθων volumina illa evolvit, deprehendet, eo tempore miserandam fuisse Judæorum & Gentilium animi cæcitatem; utrosque pravis & superstitiosis opinionibus ita fuisse imbutos, ut ad rationis & revelationis decreta prorsus non attenderint; Doctorum decreta fuisse maximam partem inepta, Deo contumeliosa & ad promovendum pietatis studium aut parum aut prorsus nil facientia; negare non poterit, Deum Optimum M. & generis humani cupidissimum decere, omnia illa facere, quæ ad homines ab erroribus revocandos facere possunt; miracula denique opera esse ejus naturæ, ut homines non plane mentis corruptæ convincere possint, Deum curam agere rerum humanarum, Eundemque talia edendo nil aliud intendere posse, quam ut ea ad animum revocent, atque iis, qui talia perpetrant, fidem habeant. Hæc saltem efficere debent, ut *Incredulus* non statim opinionibus, quibus semel imbutus est, album calculum adjiciat. Saltem si sapit, credere debet, Deum aliquid facere posse, cujus rationes omnes non plane nobis sint cognitæ atque perspectæ, de quo inferius, ubi rationes *Anonymi* data opera expendemus, plura. Denique nec *tertio* dubio locus est: cum enim credat *Incredulus*, Christum sanctissima præcepta clare & perspicue inculcasse, quoniam Discipuli, qui ab ore ejus pendebant, & familiarissime eo utebantur, hæc testantur, causa reddenda esset, cur illis fides esset habenda, quando auribus aliquid se percepisse ajunt, non item vero, quando aliquid se vidisse testantur; sane nil, quod alicujus momenti sit, in medium adferre poterit, nisi ad dubia jam jam

recenſita denuo recurrat. Quod ſi vero *Incredulus* his non obſtantibus ſuſpecta habeat illa miracula omnia, aut Chriſtum, abſit blaſphemia, pro homine fanatico vel impoſtore habere debet, qui ſpecie pietatis aliis imponere voluerit, aut teſtes illos eſſe maleferiatos homines, qui ut auctoritatem Magiſtri ſui extollerent, pleraque è cerebro ſuo effinxerint. Sed ita etiam non ſolum de miraculis, ſed & de Ethica horum hominum peſſime ſentire debet. Verbo, ſi *Incredulus* negare vult, miracula vere geſta fuiſſe, omniaque, quæ captu paululum difficilia ſunt, rejicere vult, totum tandem fidei illius ſyſtema huc redibit: *In libro neſcio à quibus hominibus, fraudis certe manifeſtiſſimæ ſuſpectis, fieri verba de Chriſto aliquo, cui inter alia, aut abſurda, aut minus veriſimilia, egregia recte vivendi præcepta tribuantur.* Quæro ex *Anonymo*, omnibusque, qui verum rectumque amant, utrum talis *confeſſio* nomen *fidei chriſtianæ* mereri poſſit, & utrum operæ pretium facturus ſit, qui ad edendam ejusmodi *confeſſionem* invitet *Incredulum?* Quod ſi contra *Incredulus* noſter fateatur, vere geſta eſſe illa miracula, & facta eſſe illa ad diſciplinam univerſam comprobandam, neceſſe ſimul eſt, ut omnia quæ à Chriſto tradita ſunt, ſive decreta, ſive præcepta, admittat, atque adeo univerſam Chriſti doctrinam divinæ originis eſſe credat. In hoc autem ſuo judicio confirmabitur, ſi in iisdem Evangeliis legat, S. Soterem noſtrum nonſolum Diſcipulis ſuis promiſiſſe, ſe iis facultatem talia miracula patrandi conceſſurum, atque hujus ſui promiſſi memorem ipſos hujus rei ante ſuum diſceſſum è vita participes feciſſe; ſed & voluiſſe, ut univerſam ſuam doctrinam, miraculis confirmatam, omnibus gentibus annunciarent. Ut à poſtremo incipiam, notum eſt ex Matth. XXVIII, 19. Luc. XXIV, 47. Marc. XVI, 15. S. Soterem ante obitum ſuum præcepiſſe Diſcipulis, ut per univerſum orbem Evangelium hoc ſuum ſeu lætum nuncium ſpargerent. Num autem Evangelium hoc de Jeſu Chriſto nihil aliud comprehendit, quam ſummam aliquot præceptorum moralium? ubi tandem vox illa in N. Teſtamento, vel Auctore græco ita ſumitur? Certe nulli rectius, & quid ſit Evangelium, & quis finis & ſcopus ejus ſit, ediſſerere poſſunt, quam Chriſtus & Diſcipuli ipſius. *Paulus* in oratione valedictoria ad Presbyteros Melitenſes, Act. XX. 20. 21. ita ait: *nihil quod utile eſſet detrectavi, quo minus vos inſtituerem ac docerem, tum publice, tum intra parietes.* Et quænam tandem ſumma hujus doctrinæ? audi: διαμαρτυρόμενος Ἰουδαίοις τε καὶ Ἕλλησι τὴν εἰς τὸν θεὸν μετάνοιαν, καὶ πίστιν τὴν εἰς τὸν κύριον Ἰησοῦν χριστόν.

verſu

versu 24. vocatur breviter hæc doctrina το Ἐυαγγελιον της χαριτος τȣ Θεȣ. Act. XIII. 26. vocatur ὁ λογος της σωτηριας. ibid. Cap. XIV, 3. λογος της χαριτος. Rom. XVI, 25. appellatur ἀποκαλυψις μυστηριȣ, quia in eo manifestatur το μυστηριον τȣ Ἐυαγγελιȣ, uti *Paulus* loquitur ad Eph. VI, 19. audi qua ratione fidissimus Christi Discipulus Joannes fidem Evangelio suo imponat: *Et alia quidem* (inquit) *multa miranda fecit Jesus in conspectu suorum Discipulorum, quæ non sunt in hoc libro scripta: hæc autem scripta sunt, ut credatis Jesum esse Christum Dei Filium, utque credentes vitam per ejus nomen adipiscamini*, Joh. XX, 30, 31. Confer quæ Christus ipse dixerat Luc. VI, 18. collata cum Es. LXI, 1, 2. Ex hisce sole meridiano clarius est, Jesum Christum voluisse, ut universa sua doctrina miraculis confirmata imbuerentur omnes, totumque consilium Dei de reconciliatione hominis cum Deo, per Jesum solum facienda, cunctis aperiretur. Si vero hoc necesse fuit facere primis illis temporibus, cur nostra ætate homines ad Religionis christianæ confessionem adducendi, monendi tantum essent, ut præcepta Jesu Christi admitterent, non item dogmata ejus & decreta? quæ causa tantæ mutationis? cur cognitu necessarium tandem non erit, quod Christus & Apostoli inculcarunt? Sane ego lubens audierim causas novæ hujus methodi. Idem patebit, si perpendamus, Christum Discipulis suis promisisse, se facultatem patrandi miracula ipsis concessurum. Sane loca Matth. X, 1. Luc. X, 19. Marc. XVI, 17. Joh. XVII, 12. satis hoc clare docent. Imo senserant ipso actu Discipuli Christi, hac facultate sese esse instructos. vide Luc. X, 17. magis autem de eo post Christi discessum fuerant confirmati, ut ex pluribus locis Actorum constat. vide Act. II, 4. Cap. VIII, 17. C. IX, 17. C. XIX, 6. C. X, 44. C. XIV, 7, 8. C. XX, 10. C. VIII, 13. C. XXVIII. 8, 9. mitto reliqua, quandoquidem nemo unquam N. Test. ita obiter legit, quin miraculis illustres fuisse Apostolos satis superque deprehendere potuerit. Nihil igitur aliud credere poterant illi Discipuli, quam divina quadam majestate & potentia esse instructum Soterem nostrum, Eumque liberali illa tantorum donorum concessione hoc unum voluisse, ut nimirum omnes sine discrimine sentirent, Auctorem tam insignis beneficii à Deo in generis humani utilitatem esse missum, decretaque ipsius humili obsequio esse recipienda. Sane ita postea semper locuti sunt Discipuli & sectatores Jesu Christi, ut manifestum fuerit, eos credidisse, Soterem nostrum voluisse, ut facultate illa edendi miracula cunctis probarent, divinam & cœlestem esse universam disciplinam ab ipso

 tradi-

traditam. (*) Non faciebant miracula, ut homines duntaxat in neſcio quem ſtuporem conjicerent, oculosque ſpectatorum paſcerent, ſed ut iis capeſſendam cœleſtem Philoſophiam perſuaderent. Quid exinde pro noſtra ſententia colligamus obſcurum non eſt. Quod ſi enim Diſcipuli hi, facultate edendorum miraculorum inſtructi, ex mente & voluntate Soteris noſtri, ea præſtiterunt eum in finem, ut homines de origine divina diſciplinæ chriſtianæ edocerent, atque illi admiſſa demum admirabili hac doctrina pro genuinis Diſcipulis habiti ſunt, ad confeſſionem ſaltem publicam hujus Religionis quod ſpectat, neceſſario ſequitur, eos qui noſtra ætate inter ſectatores diſciplinæ Jeſu Chriſti referri volunt, non ſolum miracula pro certis divinæ miſſionis ſignis & κριτηρίοις agnoſcere debere, ſed & eosdem univerſam Chriſti diſciplinam, licet captu in quibusdam difficiliorem, pro divina & cœleſti admittere, omnesque, qui genuini Religionis chriſtianæ Confeſſores dici & haberi volunt, non ſolum præceptis Chriſti, uti quidem vellet *Vir Doctus*, ſed & omnibus in univerſum Chriſti & Apoſtolorum decretis ſubſcribere debere. Denique addendum aliquid eſt de Prophetiis Jeſu Chriſti. Vaticinatum eſſe S. Soterem noſtrum de rebus futuris, nullaque arte humana cognoscendis, ex iisdem Evangeliſtarum libris maniſeſtiſſimum eſt. Ita de inſtante πανωλεθρία Judaicæ reipublicæ & templi, de mortis ſuæ genere, de reſurrectione, adſcenſione in cœlum, abnegatione Petri, Judæ proditione, rejectione Judæorum & Gentilium converſione ad fidem, futurisque Eccleſiæ eventibus, antequam eveniſſent, diſſeruit. Hæ prophetiæ autem evidenter ſatis docent, Jeſum fuiſſe verum Prophetam à Deo miſſum, Ejusque decreta propterea tanquam divina oracula eſſe recipienda. Ex quibus omnibus rite perpenſis colligimus tandem, eos, qui Religioni chriſtianæ verè & ex animo nomen dare volunt, nonſolum præcepta Jeſu Chriſti admittere, ſed & miracula ipſa, decretaque miraculis confirmata, firmiter credere debere, atque adeo hac in parte methodum Anonymi *Incredulos* converſuri, non tantum imperfectam & mancam eſſe, ſed & veræ indoli, naturæque Religionis chriſtianæ, à Chriſto & Apoſtolis traditæ, contrariam eſſe. Rationes, quibus Anonymus miracula & myſteria impugnat, in ſequentibus examinabimus.

DISSER-

(*) Vide de hoc argumento inſignem locum MATHÆI CAMARIOTA libro ſecundo de Fato adverſus GEMISTUM PLETHONEM, adductum à Cl. FABRICIO, in libro cui titulus: *Salutaris Lux Evangelii &c.* p. 161. ſq.

DISSERTATIONUM
DE
RECENTIORUM QUORUNDAM ERUDITORUM PRÆPOSTERIS ADVERSUS INCREDULOS DISPUTANDI METHODIS,

PARS SECUNDA.

Thes. I.

In prima nostra Dissertatione duo potissimum probare voluimus: *Prius* est; tantum abesse, ut methodus *Anonymi* ad revocandos in viam *Incredulos* aliquid conferre possit, ut potius per evidentes consequentiæ leges, eorum animos à Religione christiana reddat alienos. *Posterius:* In Revelatione nobis exhiberi plane aliam Religionis christianæ ideam, aliosve credendi articulos, quam quales nobis commendare voluit *Anonymus*. Hæc argumenta ita mihi comparata esse videntur, ut omnes ratiocinandi periti, Religionisque christianæ non plane ignari, intelligere facile possint, Religionem essentialem ab *Anonymo* descriptam, nullo plane niti fundamento. Animus igitur erat in secunda hac dissertatione directe ipsa fundamenta, quibus suam sententiam *Anonymus* superstruxit, expendere & subruere. Meditanti autem de hoc themate duo in mentem venerunt argumenta, quæ rationibus in prima dissertatione adductis magnum, mea opinione, addere possunt pondus. *Prius* petitum est ex indole præceptorum Jesu Christi, Incentivis, quæ ad pietatis studium suppeditat Religio christiana, & mediis denique, quæ sanctissimæ disciplinæ alumnis sufficientes vires ad strenue in stadio virtutis decur-

Scopus hujus dissertationis & nexus cum præcedentibus ostenditur.

decurrendum exhibere poſſunt. *Poſterius* vero ex fide antiquiſſimorum & Apoſtolicis temporibus proximorum Religionis chriſtianæ ſectatorum. Quod ſi ex his conſtet, præcepta Jeſu Chriſti & Incentiva ad pietatem longe aliis niti fundamentis, quam ſimplici duntaxat perſuaſione de exiſtentia Numinis & attributis ipſius eſſentialibus, in quo fidei veræ eſſentiam poſitam eſſe exiſtimat *Anonymus*, antiquiſſimosque & ævo Apoſtolico proximos Religionis chriſtianæ ſectatores fidem ſuam miraculis & myſteriis ſuperſtruxiſſe, manifeſtiſſimum erit, Religionem *Anonymo* commendatam à diſciplina Jeſu Chriſti eſſe prorſus alienam, atque adeo neminem, qui unquam ſerio, & ἄθερ παθῶν, Religionem in S. Literis contentam expendit, ſententiæ *Anonymi* album adjicere poſſe calculum.

Religio chriſtiana continet præcepta æquiſſima & rationi convenientiſſima.

II. Ut igitur à priore tractationis noſtræ parte, nimirum à præceptis Religionis chriſtianæ & incentivis illius initium faciamus, dicendum ante omnia, in quo cum *Anonymo* circa hoc argumentum conveniamus. Concedimus igitur *primo loco*, præcepta Jeſu Chriſti eſſe rationi convenientiſſima, æquiſſima, omniumque & ſingulorum ſaluti attemperata. Non potuit Deus ſanctiſſimus, æquiſſimus & humani generis cupidiſſimus, alia humano generi dare præcepta. Neque poſſet homo rectæ rationis capax, injuſtis, contradictoriis & præſtitu impoſſibilibus præceptis unquam ſubſcribere. Concedimus *ſecundo*, incitamenta Religionis chriſtianæ ad omnis generis virtutes ſectandas ſæpe peti ab iis rationibus, quas & ipſius rectæ rationis leges præſcibunt. Sic argumentantur Chriſtus & Apoſtoli à Numinis Majeſtate, Excellentia, Bonitate & Miſericordia; ab æquitate ipſorum præceptorum, ab eorum præſtantia & utilitate &c. Voluerunt enim Optimus Soter & Diſcipuli ipſius, omnis generis adhortamenta adhibere, ut omnium & ſingulorum captui ſeſe accommodarent, atque ipſi Proceres inter Judæos, Phariſæi imprimis, errorum ſuorum, quibus conſtringebantur, & pudendæ cæcitatis convincerentur. Eo magis autem hoc neceſſarium erat, quod officia illa tum temporis aut plane negligerentur, aut tot falſis interpretamentis involverentur, ut plebs genuinam indolem præceptorum moralium difficulter intelligere potuerit.

Tertio concedimus denique, Chriſtum facillima ad præcepta ſua inſinuanda uſum eſſe mothodo. Nimirum brevitate, perſpicuitate, exemplis, parabolisque & ſimilitudinibus in vulgus notis, uſus eſt; aptior hæc erat ad quosvis ſuorum officiorum commonefaciendos,

quam

quam methodus mathematica, definitionibus, axiomatibus & demonstrationibus, continuo nexu inter se copulatis, constans; aptior quam εἰρωνεία *Socratis*, quæ à quovis rite intelligi non poterat. Ex quo simul colligi potest, quam male illi consulant Religioni christianæ, qui virtutem commendaturi, mysticis, i. e. obscuris valde, & perplexis vocibus & phrasibus utuntur, quique nescio quam *Unctionem*, uti loquuntur, florido cuidam & innumeris figuris vestito dicendi generi inesse existimant. Hæc & alia quæ de præstantia præceptorum Jesu Christi dici possent, quæve, ut alios mittam, in compendio exhibuit Cl. *A. Turrettinus*, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, part. II. Libri de *Veritate Relig. christ.* gallice à clarissimo & amicissimo *Verneto* adornati & aucti, lubentes admittimus. (*)

III. Erraret autem nostra opinione vehementer, qui in hisce, quæ hactenus adduximus, præstantiam & dignitatem Ethicæ christianæ positam esse sibi persuaderet. Alia sunt quæ potissimum eam commendant, quæ paucis exponemus. In eo tamen præstantia Ethicæ christianæ non est posita. Quod probatur.

Et *primo* quidem Sanctissimus Soter noster non loquitur instar Philosophi, præcepta sua duntaxat commendantis, & magno ratiociniorum apparatu probantis; sed instar Legislatoris, divina auctoritate & potestate instructi, quique in ipsam hominum vitam jus habet. Præceptionibus Philosophorum nulla alia inest vis, quam ea, quæ ipsius propositionis vel officii certitudine & evidentia nititur. Si eas negligas, forte rectæ rationis decretis te repugnare dici potest, sed ultra nihil. At Christus se à Deo missum esse ait, tanquam Prophetam & Legislatorem cœlitus missum, cujus præcepta omnia totidem leges sint, quæ præstare necessario teneamur, quique tale in nos habeat Jus & Imperium, ut repugnantes nonsolum præsentibus, sed & futuris possit addicere pœnis, contra vero fideles præceptorum suorum custodes reddere in hac & altera vita felices. Quin hoc multum facere possit, ut homines ad verum pietatis studium commoveantur, nemo dubitabit. Hinc & Apostoli ita ratiocinantur. Vide inter alia Epistolæ ad Hebræos Cap. II. ℣. 1 - 9. & Cap. XII. 1 - 3.

Secundo præcepta Jesu Christi præstant cæteris omnibus, quia nobis detegunt mali moralis verum fontem, corruptionis nostræ vim, mutandæ mentis necessitatem, adminicula denique, quibus ex infelici hoc nostro statu emergere possumus. Verum est Gentiles quoque

(*) Adde Ejusdem *Instruction chretienne*, cumprimis partes III. IV. V.

agnovisse, homines imbecillos valde in hanc lucem edi, mentem educatione, perversa institutione, exemplisque aliorum sensim perverti, adeoque necesse esse, ut ea assidua exercitatione perficiatur: at imperfectissime hæc cognoverant, neque ex genuinis & veris principiis suas præceptiones hauserant, vel media tandem malo huic apta suppeditarunt. Videatur Cl. *Witsii Dissertat. de Justificatione hominis ex mente Gentilium*, & *Schefferus* de *Constitutione Philosophiæ Italicæ.*

Tertio, Apostoli ex ipsis potissimum decretis Religionis christianæ & miraculis incentiva ad homines Deo conciliandos petunt. Solide hoc præter alias ostendit *excellentissimus Werenfelsius*, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις in Meditatione de *S. Scripturæ ad Virtutem Incitamentis.* Postquam enim meminisset Incitamentorum, quæ ex perfectionibus divinis S. Scriptura depromit, ita pergit. pag. 132. Edit. prioris.

Super omnia vero (inquit) *Dei in hominem collata beneficia magnopere eminet ingens illud Opus Redemtionis, cæteræque omnes benedictiones spirituales in supra cælestibus in Christo, cum tanto beneficio connexæ, quales sunt Electio, Vocatio, Conversio, Justificatio, Adoptio: quicquid denique ad peccatorem cum Deo reconciliandum atque in æternum salvandum pertinet. In hoc opere potissimum occupata est S. Scriptura. Hoc promittunt libri Mosis & Prophetarum, hoc Evangelium tandem præstitum annuntiat. Nihil omittitur in hoc libro quod ad hujus beneficii magnitudinem demonstrandam facere potest. Hic vides speculum profundissimæ miseriæ, ex qua homo est liberatus. Vides qualis fuerit ante liberationem, quid in futurum ipsi erat timendum. Hic cernis statum beatissimum, in quo per Redemtorem est collocatus, & in altera vita collocandus. Ibi summam spectas ejus dignitatem qui tantum opus suscipere dignatus est; Filius Dei est Verbum caro factum, Deus manifestatus est in carne. Inde miraris immensum* λύτρου *pro hominis salute soluti pretium. Hominum salus Deo sanguine suo, pretioso sanguine Filii constitit. Agnoscis tandem ex his omnibus ineffabilem Dei* φιλανθρωπίαν, *qui proprio filio suo non pepercit, sed eum pro nobis omnibus tradidit; summum amorem filii, qui postquam vitam pro nobis posuit, Spiritum quoque suum misit, qui tantum beneficium confirmaret & firmissime obsignaret. Hic non quærendum est, sitne liber, qui in hujus operis descriptione paria cum Scriptura faciat. Silent de eo ad unum omnes; humano ingenio hæc in mentem venire non potuerunt; Sola Scriptura lætum hunc nuntium nobis attulit. Quam immensum vero hoc Dei beneficium ad Deum glorificandum calcar habet? hoc mysterium*

vere

vere est mysterium pietatis, *i. e. gravissimum ad pietatem incentivum*, *vinculum validissimum quod nos Deo nostro in perpetuum devincit; ut liberati à manu inimicorum nostrorum, Deum colamus in Sanctitate & Justitia coram ipso, omnibus diebus vitæ nostræ*, Luc. I. 74, 75. *ut pretio emti glorificemus Deum in Corpore nostro & Spiritu nostro, quæ Dei sunt*, 1. Corinth. VI. 20. hactenus eximius ille Theologus. Ex hisce simul quivis facile colligere potest, verba Christi & Apostolorum absurde & contra omnes bonæ interpretationis regulas esse sumenda, si ad *Anonymi* fidei definitionem atque ideam, quam de Jesu Sotere nostro fingit, ea essent exigenda. Ostendamus hoc uno vel altero exemplo. *Paulus* in citato loco 1. ad Corinth. VI. ℣. 20. ita hortatur Christianos: Ἠγοραϑητε τιμης, δοξασατε δη τον Θεον ἐν τω σωματι ὑμων, καὶ ἐν τω πνευματι ὑμων, ἁτινα ἐςι τυ Θευ. Quæro ex *Anonymo*, quid tandem illud *pretio estis emti* significet, si Christus nonnisi præcepta quædam Philosophiæ moralis tradidit? Quid sentiendum de prægnantissimis verbis Apostoli ad Titum II. 11-14. Nimirum hoc, si Anonymi Religionem essentialem sequamur: *Illuxit Orbi illustris Doctor, cujus Doctrinæ Summa hæc est: Omnes quotquot felices esse volunt, summa ope niti decet, ut habeant evidentem perceptionem Numinis & attributorum Ejus essentialium; ut aliis non faciant, quod sibimetipsis fieri nollent, neque tandem temere voluptatibus fræna solvant, quia facile fieri posset, ut iis indulgendo nociva sibi concitarent pericula.* Egregia sane verborum Pauli Interpretatio! Rursus invitantur homines ad pie vivendum & credendum in Soterem, quia fides hæc homines salvare possit. ita Joh. III: 16. ibid. VI; 40. Act. VIII: 37. Rom. I: 16. Quodsi fides christiana nil aliud est, quam perceptio evidens Numinis & attributorum Ipsius essentialium, quomodo tandem cum hac perceptione potest esse conjuncta immota spes consequendæ salutis? num credere in filium Dei, secundum ductum S. Literarum, & perceptionem evidentem habere Numinis idem tandem est? Idem *Paulus* ad *Colos. III:* 1. ad *Corinth. XV.* alibique resurrectionem Jesu Christi inter κυριας δοξας, & præcipua Religionis christianæ capita ponit, atque eo nomine Christianos ad constantiam in retinenda disciplina Christi & ad alias virtutes exercendas hortatur. Si vero miracula dubiæ sunt auctoritatis, & resurrectio Jesu Christi suspecta est, nonsolum nullum plane robur inesset argumentationi Apostoli, sed & is merito vel pro homine plane insano, menteque capto, aut Impostore esset habendus. Sane quod *Plinius Hist. Nat. Lib. VII. cap.*

 10. de

10. de *Democrito* dixerat, de Sotere nostro (absit blasphemia) Sanctissimo esset repetendum. *Similis* (inquit) *& de adservandis corporibus hominum ac reviviscendi promissa Democrito vanitas, qui non revixit ipse.*

Quarto eædem S. Literæ docent, Deum piis auxilio suo & gratia adesse, atque efficere, ut in stadio virtutis gnaviter pergant. Vide loca *Ephes. I:* 17, 18. 1. *Joh. V:* 4. 1. *Petr. I.* 3. 2 *ad Thessal. II.* 13, 14. *Joh. I.* 12, 13. Nil tale efficere possunt præcepta Philosophorum. Possunt equidem hominem commovere, ut ad rectæ rationis decreta actiones suas exigat; ut Incentivis in medium prolatis ad Naturæ impetus refrænandos, quantum valere possunt, utatur; ut denique variis iisque molestis exercitationibus corpus subjiciat &c. at hæc quidem intellectui contemplanda offerri possunt; voluntatem ipsam vero aut parum, aut nil permovent. Christianus vero nonsolum incitamenta gravissima ex ipsius Revelationis fonte, & totius administrationis divinæ Oeconomia hausta, frequenter in animum revocat, probe gnarus, in his verum præsidium ad strenue in stadio virtutis decurrendum esse quærendum; sed & opus esse gratia Spiritus S., ut nonsolum mens salutari luce perfundatur, sed & ut voluntas potenter ad cœlestia bona desideranda & officia præstanda flectatur, firmiter persuasus, Deum juxta promissiones suas sanctissimæ disciplinæ alumnis auxilio suo adfuturum. Quando igitur Christus & Apostoli Christianos incitamentis, ex ipsius Religionis christianæ articulis petitis, ad studium veræ pietatis commovere volunt, necesse est, ut homo de Revelationis divinæ origine persuasus, hos ipsos articulos pro veris & indubitatis habeat. Unde denuo sequitur, fidei descriptionem ab Anonymo datam, nonsolum esse mancam valde & vanam, sed & eandem Religionis christianæ indoli & naturæ prorsus esse contrariam.

Ostenditur hoc exemplo officiorum erga Deum, proximum & nosmetipsos.

IV. Juvat autem breviter, quoniam id ad Institutum nostrum facit, eandem veritatem ostendisse, respectu officiorum erga Deum, proximum & nosmetipsos. Quod igitur officia adversus Deum spectat, ratio docet, de Deo magnifice esse sentiendum, Eum maximi esse æstimandum, laudandum, celebrandum, invocandum, gratias illi esse agendas, & quæ alia sunt hujus naturæ. Hæc officia omnia inculcant etiam S. Literæ, sed addunt *Incentiva* rationi ignota, & ex ipsius Oeconomiæ Salutis indole petita. Ita ad amorem Numinis nos invitant argumenta petita ab ipso amore Dei Patris, Filium suum ad redimendos homines mittentis, Filiique pretioso sanguine suo nos

Deo

Deo reconciliantis, Joh. III: 16. 1. Joh. IV: 9, 10 Incentivum hoc nititur veritate dogmatis de cruenta Jesu Christi morte pro nobis obita. Hoc si tollas, decedit argumentationi & incitamento omnis vis. Si vero valet, prout omnis, qui aliqua S. Literarum reverentia ducitur, hoc concedere debet, sequitur articulos quibus incitamenta haec nituntur, obsequioso animo esse admittendos. In iisdem S. Literis docetur, nonsolum Patrem, sed & Filium & Spiritum Sanctum adorandos esse *Joh. V:* 23. *Philipp. II:* 8-11. *Joh. XIV.* 13, 14. Haec rationi sunt inaccessa. Si divina vero est Revelatio, hoc officium est praestandum, simulque ea, quae de divinitate Filii & Spiritus Sancti dicuntur, sunt credenda.

Si ad amorem proximi accedamus, patebit rursus, fortissimum argumentum, quo nos proximum diligendum Scriptores Sacri invitant, depromptum esse ab insigni illo & incomparabili amore, quo Jesus Christus nos tantis beneficiis indignos affecit, mortem nimirum pro nobis obeundo. *Eph. V:* 2. 1. *Joh. IV:* 2. eodem utuntur, quando nos ad amorem hostium commovere volunt atque eo adducere, ut delicta contra nos commissa ex animo ipsis condonemus, *Eph. IV:* 32. *Colosf. III:* 12, 13, 14. Haec incentiva, ut quilibet videt, non sunt petita ex iis principiis, quae leges Juris Naturae suppeditare possunt, sed ab insigni aliquo Religionis revelatae articulo. Dicet forte *Anonymus* cum *Socinianis*, amorem Jesu Christi erga nos ex eo satis patere, quod Is recte vivendi praecepta dederit, exemplo vitae facem aliis praetulerit, & morte, quid viro bono faciendum sit, commonstraverit. Haec omnia non negamus; at sufficere haec ad vim phrasium, quibus utuntur Scriptores Sacri, quando Christum pro nobis morti traditum docent, infitiamur. De quo argumento prolixius suo tempore, ubi *Anonymi* de Satisfactione Jesu Christi sententiam examinaturi sumus, agemus. Hoc unum asserimus, si dicta Apostolorum ex mente *Anonymi* & *Socinianorum* interpretemur, tum dicendum, Apostolos nescivisse quid dicant, & contra caeterorum hominum omnium consuetudinem loquendi verba sua inflexisse. Quod si denique intueamur officia ad nos ipsos pertinentia, videbimus etiam hic occurrere *Incentiva* ex ipsis Religionis christianae penetralibus desumta. Ita, ut nos totos dedamus Dei servitio, atque ipsum mente & corpore celebremus, non semel argumentantur Apostoli ab insigni illo Jesu Christi erga nos praestito amore & arctissimo, quod veri nominis Christianis cum Eo intercedit, vinculo. *Rom.*

XIV: 8,9. 1. *Corinth. VI:* 19,20. ibid. *Cap. VII:* 22,23. Aliter ſane ſonant rationes philoſophicae, quæ nos ad corpus, mentemque conſervandum commovere ſolent. Verba hæc Apoſtolorum, ſi ad mentem *Anonymi* & *Socinianorum* explicentur, denuo omni vi & efficacia deſtituuntur. Idem enim eſt, ac ſi quis Philoſophus hominem ad rationi convenienter vivendum invitaturus, ita ratiocinaretur: *Fac ut mentem ſanam habeas in corpore ſano, quandoquidem Socrates idem præſtitit, licet is ab Athenienſibus veneno fuerit ſublatus.* Reſponſio ſane eſſet in promtu hæc: *quid ad me tandem exemplum Socratis?* alia igitur ratio debet eſſe argumentationis Apoſtolicæ, quando, ut Deo mente & corpore ſerviamus, ad pretioſam Chriſti Redemtionem provocatur. Ad hunc denique rationalem noſtri amorem ſpectat, quod ipſa Revelatio depoſcat, ut Deo in Sacris loquenti vacivas præbeamus aures, licet ſingulas divinorum conſiliorum rationes ignoremus, perſuaſi quippe, Sapientiſſimum Numen in Oeconomia ſalutis optimam ad felicitatem perveniendi viam commonſtraſſe. vide 1. *ad Corinth. I: v.* 21. *ſq.* De hac ſpeciali obligatione homo Revelatione deſtitutus nil ſcire poteſt. Novit equidem adquieſcendum eſſe in iis, quæ ab Optimo & Sapientiſſimo Deo facta ſunt & adhuc fieri ſolent. At cum Revelatio excellentiorem Deum colendi rationem ſola oſtendat, mediumque Deo nos reconciliandi monſtret, hominis vere chriſtiani officium eſt, nonſolum Revelationem ipſam pro cœleſti dono habere, ſed & totam illam Oeconomiam divinam, in magnifico Gratiæ opere elucentem, ſancte & pie venerari, licet cur hanc non aliam ingreſſus Deus ſit viam, in hac rerum caligine prorſus ignoret. Hinc etiam in S. Literis reprehenduntur Judæi & Gentiles, quod inani ſuperbia tumentes, ſapientiſſimæ adminiſtrationi gratiæ, in Evangelio patefactæ, ſubſcribere & in Jeſu Chriſti ſanguine ſpem ſalutis ponere noluerint. Hæc tamen cenſura plane eſſet vana & ſevera, ſi præter præceptorum quorundam moralium epitomen Revelatio tradidiſſet nihil, & omnis fides chriſtiana nonniſi evidenti perceptione Numinis & attributorum Ejus eſſentialium abſolveretur.

Ad Incentiva hæc confirmanda plurimum valent promiſſiones & commi-

V. His tandem omnibus pondus addunt promiſſiones & comminationes in Sacris Literis contentæ, quæ incredibilem Incitamentis illis addunt vim. Non equidem diſtituuntur rationes ab honeſto, utili, vel neceſſario petitæ ſuis commodis, ſed aliquid valent in animos eorum hominum, qui rebus ſingulis ſuum ponere ſciunt pretium; at pauciſſimos mortalium ita natura eſſe comparatos, ut ſponte verum

rectum-

rectumque custodiant, atque ad æternas veritatis regulas suas actiones componant, eheu! tristi constat experientia. Obstant enim hic præjudicatæ opiniones, mala exempla, affectus cumprimis, qui utplurimum plus valent quam rationes gravissimæ. Revelatio vero his opponit promissiones atque comminationes, non consilia duntaxat, atque pro certo ponit, mentem esse immortalem, atque fore tandem ultimum aliquod judicium, in quo omnium hominum rationem Deus ita habiturus sit, ut pii interminabilem omnium bonorum, quæ quidem in celsam mentem cadere possunt, possessionem adepturi sint, pervicaces vero divinorum præceptorum transgressores gravissimas experturos pœnas. Quin hæc multum adjiciant ponderis Incitamentis, quibus homines ad officia sua commoveri solent, nemo facile dubitaverit. Quod si vero promissiones illas & comminationes singillatim consideres, quatenus nimirum illæ remissionem peccatorum, justificationem, adoptionem, regenerationem, pacem conscientiæ & fruitionem denique bonorum, quæ quidem in hominem cadere possunt, præcellentissimorum post hanc vitam consequendorum complectuntur, hæ vero pœnas gravissimas certo intentant, insignem ad hominem à vitiis retrahendi vim habent. Metus enim pœnarum gravissimarum & spes fruendi boni exquisiti, plus valent, quam rationes speciosissimæ & gravissimæ.

nationes II. Revelatione contentæ.

Cum autem certitudo harum promissionum & comminationum nitatur non testimonio duntaxat hominis eruditi & sapientis, sed Legislatoris divinitus missi, miraculis illustris & è mortuis in vitam revocati, crescit ipsius obligationis vis & efficacia. Quod si vero Incitamenta illa omnia, quæ Revelatio suppeditat, vera sunt, & nulli dubitationi obnoxia, veritates etiam illas capitales, quibus nituntur illa Incitamenta, veras, indubias & homini christiano credendas esse necesse est. Confer jam persuasionem hominis non dicam Gentilis, cujus Religio innumeris fabulis deturpata est, sed illius, qui credit fidem absolvi perceptione evidente Numinis & attributorum ejus, & si addere velis (quod tertia parte libelli sui adjiciendum esse putavit *Anonymus*) Providentiæ & mentis immortalitatis, & mox patebit, quam debilis ejus vis sit collata cum persuasione, quæ divina nititur Revelatione. Ut enim nil dicam de variis difficultatibus & dubiis, quæ seposita Revelatione circa attributa Dei moralia & Providentiam Dei oriri solent, quæque eheu nostra ætate ultra quam necesse fuerat à P. *Baylio* fuerunt aucta, multiplicata & dilatata, nobis hoc

hoc unum jam sufficit, quod doctrina ipsa de mentis immortalitate, statuque ejus post mortem, quatenus philosophicis duntaxat innititur rationibus, vulgi capacitati attemperata non sit. Explicandum nimirum ejusmodi homini, quid per substantiam spiritualem sit intelligendum; probandum, mentem esse substantiam à corpore plane secretam; probandum, eam posse destructo corpore superesse; probandum, eam facultates, quibus ornata erat, post mortem non amittere; probandum, Deum velle ut ea non destruatur; probandum Eundem velle ut nonsolum suarum actionum sit conscia, sed & ut vel praemia exspectet vel pœnas. Haec homines nulli ratiocinandi arti adsueti difficulter capient. Multa insuper occurrunt dubia, quae homines illos facile circumvenire possunt. Quidam dubitabunt, utrum sufficientem cognitionem naturae mentis habeamus, ut sine formidine erroris affirmare possimus, eam destructo corpore superfuturam; alii ad imperfectionem Naturae humanae confugient, existimantes, Deum adeo accuratam actionum humanarum curam non habere, ut homines post hanc vitam vel praemiis affecturus, vel pœnis subjecturus sit. Aliis aliae occurrent difficultates. Hinc etiam fuerunt Viri Docti, qui existumarunt, Immortalitatem mentis nonnisi ex sola Revelatione solide probari posse. Hoc certum, celeberrimos Viros, *Socratem*, *Ciceronem*, *Senecam*, aliosque dubitanter de hoc argumento locutos esse, de quo alibi fusius egimus. Patet simul, quam levem vel nullam potius incentiva ad virtutem, à Philosophis illis adducta, vim habuerint. Recte atque ingeniose propterea dixerat *acutissimus Lokius* de hoc argumento agens; *A la Verité les Philosophes relevoient la beauté de la vertu, ils ornoient si bien cette divine fille du ciel, qu'elle attiroit les yeux des hommes, & gagnoit leur approbation; mais comme ils ne lui assignoient aucune dot, il y en avoit peu qui voulussent l'épouser.* Que la Relig. chret. est très raisonnable pag. m. 326.

Ex hactenus dictis veri amanti, ni fallor, constabit, quantum roboris accedat sententiae nostrae ex Incentivis illis ad omnis generis officia praestanda, quae ex gravissimis Religionis christianae articulis depromta sunt. Nimirum Incentiva illa aut nituntur veritatibus indubiis & cum certissima spe salutis conjunctis, aut propositionibus dubiis & falsis. Si quis postremum asserit, Apostolos (ut de Sanctissimo Sotere nil dicam) aut pro hominibus fanaticis vel impostoribus habere debet, qui aut nesciverint plane quid locuti fuerint, aut qui data opera homines decipere voluerint. Sane si articuli, quibus Incentiva

centiva sua superstruunt, sunt propositiones inintelligibiles, ut de Mysteriis loquitur *Anonymus*, similes essent Medico vel mente capto, vel versuto & maligno, qui ægro medicinam allaturus diceret: *Confestim utere pretioso hoc medicamento*, *composito nimirum* ex *Blitri* & *phlattotrattophlattotratt*, id est terminis plane nihil significantibus. Verbo; qui de articulis Religionis christianæ ita loquuntur, ut contendant, nullum plane ad pie vivendum ex iis posse peti incitamentum, Religionem christianam albis dentibus rident. Si vero prius est, si recte ratiocinati sunt Apostoli; si Incentiva ad omnis generis officia nituntur gravissimis Religionis christianæ articulis, sequitur articulos illos ad essentiam Religionis christianæ pertinere, omnibus Christianis illos esse credendos, *Anonymi* definitionem fidei nonsolum esse falsam, sed & omnia, quæ ab eo de mysteriis Religionis christianæ dicta sunt, cum veritate Religionis christianæ nulla ratione conciliari posse.

Antiquissimi & ævo Apostolico proximi Religionis christianæ sectatores, nostræ, quam tuemur, sententiæ favent.

VI. Pergamus ad alterum Argumentationis nostrae caput, quod in hac dissertatione pertractandum est, nimirum ad antiquissimorum sanctissimae disciplinaeAlumnorum testimonia, ex quibus, quid de Religione christiana & praecipuis ipsius capitibus senserint, constabit. Eum in finem probabimus (1) antiquissimos & Apostolicis temporibus primos Religionis Antistites, praecipuos articulos quos *Anonymus* noster ad essentiam Religionis christianae non pertinere existimat, admisisse: (2) eosdem gravissimis hisce capitibus, tanquam *Incentivis* ad pietatis studium, fuisse usos: (3) tandem ostendemus, quantum roboris nostrae sententiae exinde accedat. Hoc autem dum aggredimur, Lectorem monemus, nos non omnia quae hic dici possent, in medium esse allaturos, aut singula loca à Patribus de mysteriis Religionis tradita contra Veterum & Recentiorum censuras vindicaturos, quod magnae molis institutum esset, sed delectum argumentorum & testimoniorum habituros. Eminent autem inter antiquissima illa Religionis christianae monumenta Epistolae *Ignatii* breviores, ab Illustri *Usserio* & *Is. Vossio* editae, Epistolae *Policarpi* ad*Philippenses*, *Barnabæ* & *Clementis* duae ad *Corinthios*. Haud ignoro, non omnes Eruditos Epistolas hasce pro genuinis habere. Notum est à doctissimis Viris, *Salmasio*, *Dallæo*, *Blondello* aliisque, *Ignatii* Epistolas vehementer fuisse impugnatas, ab *Usserio* vero, *Hammondo*, & *Pearsonio* inprimis, viris excellentissimis, defensitatas. Alii, ut *Zwikerus*, *Sandius*, *Souverainius*, *Artemonius*, i. e. *Crellius*, in his monumentis testi-

monia ad *Arii* & *Socini* dogmata tuenda quærunt; *Wisthonus* breviores illas *Ignatii* Epistolas pro spuriis habuit, quandoquidem S. S. Trinitatis dogma iis contineri vidit; longiores vero & interpolatas probavit, quoniam *Arii* opinionibus haud parum favere perspexit. De *Barnabæ* & *Clementis* secunda epistola non heri demum, sed antiquioribus jam seculis dubitatum & disputatum fuit, de quibus conferendæ Virorum Doctorum commentationes, quæ in *Cotelerii Patribus Apostolicis* reperiuntur. (*) Hoc certum, plerosque Eruditorum citatas epistolas pro genuinis habere. Nescio quid *Anonymus* noster de hisce monumentis sentiat. Si spuria etiam omnia & suspecta illi videantur argumenta nostra ex iis petita, tantisper pro incertis habere potest; neque tamen bonitati causæ nostræ quicquam decedit; argumenta enim ejusdem ponderis petere possumus ex Scriptis Patrum antiquissimis, nulliusque fraudis suspectis, nimirum ex *Justino* M. *Irenæo*, Cl. *Alexandrino*, *Athenagora*, *Tertulliano*, aliisque. Hoc autem dum facturus sum, animus non est probare, antiquissimos Ecclesiæ Doctores iisdem phrasibus semper, quæ hodie in usu sunt, ad explicandos gravissimos Religionis articulos usos esse, omnibusque systematum hodie receptorum apicibus inhæsisse, aut nunquam de hoc vel illo articulo obscurius locutos esse; assentimur potius hac in parte doctissimo *Petavio*, qui *præfatione* disquisitioni *de Trinitate* præmissa *Tom. II. opp. Cap. I.* fatetur, plures Antiquorum, quos Auctores ac testes appellamus fidei nostræ, de pluribus dogmatibus, præsertim vero de Trinitate multum à nobis diversa scripsisse; diversitatem autem illam in loquendi modo potissimum constitisse, eosdem vero in præcipuis & quæ ad summam spectant Mysterii totius, ut concordes invicem fuisse, ita nobiscum congruisse.

Ostenditur antiquissimos eligionis christianæ sectatores, articulos gravissimos, quos Anonymus scitu necessarios esse negat, admisisse.

VII. Summa igitur theseos nostræ, quam probare aggredimur, hæc est: *Antiquissimos nimirum & ævo Apostolico proximos Ecclesiæ christianæ Doctores, de SS. Trinitate, satisfactione Jesu Christi, & Redemtionis pretio, de ἐνσαρκωσει τȣ λογȣ, necessitate credendi in Jesum Christum, de ipsius passione, resurrectione, miraculis, futuroque judicio, quoad summam rerum recte & convenienter S. Literis sensisse, atque adeo Religioni subscripsisse, quæ ab ea, quam inducere vult Anonymus, toto cælo diversa est.* Ut autem in thesi nostra probanda ordine incedamus,

(*) Addenda hisce quæ inter recentiores Cl. LARDNERUS in der Glaubvvirdigkeit der evangelischen Geschichte, & Cl STOSCH in Commentatione critica de Canone N. Testamenti in medium attulerunt.

damus, singula in articulos quosdam dispescemus, atque primo quidem ex citatis antiquis monumentis, *Ignatii* nimirum, *Polycarpi*, *Clementis* Romani, atque *Barnabæ*, testimonia ad singulas theseos nostræ partes probandas petemus; in sequentibus vero singillatim omnes ex *Irenæo*, *Justino* M. *Athenagora*, cæterisque Ecclesiæ christianæ Doctoribus confirmaturi. Primus propositionis probandæ articulus hic sit: *Primi & antiquissimi Civitatis Sacræ Moderatores ad S. Oracula V. & N. Testamenti, tanquam ad divinam credendi normam provocarunt & ex iis Articulos Religionis hauserunt.* Non quæritur, utrum respectu adplicationis horum vel illorum locorum Scripturæ, inprimis V. Testamenti, errarint aliquando Patres nec ne; fatemur enim eos frequenter hoc in casu fuisse lapsos; sed de hoc agitur, utrum nempe αὐθεντίαν librorum sacrorum admiserint, & ex iis ad probandos Religionis articulos argumentati fuerint, quod lectio ipsa quemlibet satis edocere potest. Ita *Ignatius* in Epistola ad *Philadelphenos* (intelligimus breviores illas ab *Usserio* & *Vossio* editas, quod semel dixisse sufficiat) Sect. V. Patrum Apost. *Cotelerii* pag. 31. Evangelistarum, Apostolorum & Prophetarum Scripta pro Canone fidei esse habenda, perspicue tradit, dicens: *Fratres mei valde effusus sum in amorem vestri; & supra modum exultans, tutos cautosque vos reddo. Non ego quidem, sed Jesus Christus, in quo vinctus plus timeo, ut adhuc imperfectus. Sed oratio vestra ad Deum me perficiet, ut sorte per misericordiam mihi assignata potiar, confugiens ad Evangelium tanquam ad carnem Jesu, & ad Apostolos velut ad Ecclesiæ Presbyterium. Sed & Prophetas diligamus, propterea quod & ipsi Evangelium annunciaverint & in Christum speraverint, & ipsum exspectaverint: in quo & credentes salutem consecuti sunt in unitate Jesu Christi, cum essent sancti amore & admiratione digni, à Jesu Christo testimonium adepti, & connumerati in Evangelio spei communis.* Ibid. Sect. VIII. ait: *Obsecro autem vos nil per contentionem facere, sed juxta Christi disciplinam.* Ἐπεὶ ἤκουσά τινων λεγόντων. ὅτι ἐὰν μὴ ἐν τοῖς ἀρχαίοις (alii legunt ἀρχείοις) εὕρω, ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ οὐ πιστεύω. καὶ λέγοντός μου αὐτοῖς. ὅτι γέγραπται, ἀπεκρίθησάν μοι; ὅτι πρόκειται. ἐμοὶ δὲ ἀρχεῖά ἐστιν Ἰησοῦς Χριστός. Τὰ ἄθικτα ἀρχεῖα ὁ σταυρὸς αὐτοῦ, καὶ ὁ θάνατος, καὶ ἡ ἀνάστασις αὐτοῦ, καὶ ἡ πίστις δι' αὐτοῦ, ἐν οἷς θέλω ἐν τῇ προσευχῇ ὑμῶν δικαιωθῆναι. i. e. *Quandoquidem audivi quosdam dicentes: Nisi invenero in Archivis, Evangelio non credo. Et dicente me ipsis, scriptum est; responderunt mihi, præjacet. Mihi vero pro Archivis est Jesus Christus: illibata*

Archiva crux ejus & mors & resurrectio ejus, & fides quæ per ipsum, quibus justificari cupio per precationes vestras. Dissentiunt equidem inter se Viri Eruditi, utrum legendum sit, ἐν τοῖς ἀρχείοις, an vero ἐν τοῖς ἀρχαίοις: priorem lectionem tuentur *J. Vossius*, *Cotelerius*, aliique: posteriorem vero defendit *J. Clericus* in notis ad h. l. & ad num. XXVI. *Hist. Eccles. Sect. II.* cujus Interpretatio mihi non contemnenda esse videtur. (*) Quicquid autem de eo sit, apparet, pium Martyrem recte de Scriptis Vet. & Novi fœderis sensisse, hinc addit Sect. IX. hujus Epistolæ: *Eximium autem quiddam habet Evangelium: nimirum adventum Salvatoris Domini nostri Jesu-Christi, passionem ipsius,*

(*) Verba celeberrimi Viri ita sonant: In antiquis, ἐν Ἀρχαίοις ut habet MS. Florentinus, sed Pseudo-IGNATIUS habet ἐν Ἀρχείοις, quod similitudo pronuntiationis pro altero invexit. Scio VOSSIUM & COTELERIUM ex ejus auctoritate & sequentibus, ubi bis legitur, Ἀρχεῖα, sic voluisse legi. Sed caret omnino ea lectio, ut mihi quidem videtur, sensu: nam in quibusnam Archivis debuere esse Evangelia? non in Judaicis neque in Ethnicis: in Christianis vero sine dubio inveniebantur, cum in Ecclesiis hoc seculo legi solerent, ut ex Apolog. I. JUSTINI patet. Non erat ergo cur quisquam negaret se posse credere Evangelio, nisi in Archivis esset. Sed poterant dicere Judæi, se ei fidem non habere, nisi id quod habet ἐν Ἀρχαίοις, nempe βιβλίοις τῶν προφητῶν, *in antiquis libris Prophetarum* inveniretur. Sic ipsi Veteres Hebræi à Christo Matth. V. sæpius ἀρχαῖοι dicuntur, & ab IGNATIO traditiones judaicæ μαθήματα παλαιὰ ad MAGNESIANOS Cap. VIII. & Judæi παλαιοῖς πράγμασι ἀναστραφέντες Cap. IX. Sic HESYCHIUS, ἀρχαίοις, τοῖς ἐξ ἀρχῆς παραδεδομένοις, interpretatur. Ideo respondet iis noster ὅτι γέγραπται, hoc est, extare sat multa Vet. Testamenti de Christo vaticinia; nam ea vox Scripturæ citationibus præfigi, ut omnes norunt, solet. Id verò negant Judæi, his verbis, ὅτι πρόκειται, ubi omissa est, ut recte animadvertit Is. VOSSIUS negativa particula; contendebant enim Judæi dogmata christiana, οὐ προκεῖσθαι, *non proponi* in Vetere Testamento, seu de iis in eo non agi, nam προκείμενον est id, de quo agitur. Reponit vero IGNATIUS, Jesum Christum, seu ejus doctrinam sibi esse τὰ ἀρχαῖα, hoc est antiquorum omnium vaticiniorum loco; & quidem ἄθικτ illibata, seu incorrupta omnia antiqua in ejus cruce, morte, resurrectione & fide inveniri, cum hæc summam Religionis totius complectantur. Sententia est perspicua, quæ nulla est, si retineatur vox ἀρχεῖα, qui enim hæc, quæ diximus, *Archiva* vocari possint? Hic obscuri & propter obscuritatem suam corrupti loci videtur esse sensus, qui Interpretes frustra exercuit. Hactenus celeb. ille Vir. Huic Interpretationi inter Recentiores sese opposuit Cl. STOSCH in Commentatione de Canone N. Testamenti Sect. XXIX. &c. sq.

ipsum, *ac resurrectionem. Dilecti namque Prophetæ annuntiaverunt ipsum.* *Polycarpus* in Epistola ad *Philippenses* Sect. III. meminit epistolæ *Pauli* ad ipsos datæ. Clem. *Romanus* in 1. Epist. ad *Corinthios* Sect. V. ad *Paulum* & *Petrum*, nuper Martyrii gloriam adeptos provocat, eosque τȣς ἐγγιϛα γενομενȣς ἀθλητας appellat, ibid. Sect. 47. epistolæ Pauli ad *Corinthios* scriptæ mentionem facit. Inprimis notandum est, B. Martyrem *Ignatium*, contra *Docetas* insurgentem in epistola ad *Trallianos* Sect. X. confiteri, se *stultissimum* plane fore hominem, qui ad professæ mortis audacem viam tanta mentis alacritate contenderet, nisi persuasus esset, Jesum vere passum & in vitam revocatum esse. Postquam enim Sect. IX. egregiam hanc confessionem edidisset, ita sonantem: *Obturate igitur aures vestras, cum vobis quispiam loquitur sine Jesu Christo, qui ex genere Davidis, qui ex Maria, qui vere natus est, edit & bibit, vere persecutionem passus est sub Pontio Pilato; vere crucifixus & mortuus est, videntibus cœlestibus, terrestribus & subterraneis; qui & vere resurrexit è mortuis, resuscitante ipsum Patre ipsius, secundum similitudinem qua & nos ipsos credentes ita resuscitabit Pater ipsius in Christo Jesu; sine quo veram vitam non habemus;* statim subdit: Ἐι δε ὥσπερ τινες ἄθεοι ὄντες, τȣτεϛιν ἄπιϛοι, λεγȣσιν, το δοκειν πεπονθεναι ἀυτον, ἀυτοι ὄντως το δοκειν, ἐγω τι δεδεμαι; τι δε ἐυχομαι θηριομαχησαι; δωρεαν ȣ̓ν ἀποθνησκω. ἀρα ȣ̓ καταψευδομαι τȣ κυριȣ, i. e. *Si vero, ut quidam Athei, hoc est infideles, ajunt ipsum secundum apparentiam esse passum; ipsi secundum apparentiam existentes; ego quid vinctus sum? & cur opto cum bestiis depugnare? frustra itaque morior. Profecto non mendacia confingo de Domino.* Eadem iisdem fere verbis usus repetit in epistola ad *Smyrnæos.* Imitatus sine dubio *Paulum* Apostolum, qui 1 *ad Corinth. XV.* 12-19. negata resurrectione Jesu Christi, vanissimam Christianorum spem & miserrimum vitæ genus esse pronuntiavit. Idem B. Martyr de veritate Religionis christianæ persuasus, fortiter pro ea decertandum esse asseruit in epistola ad *Romanos* Sect. III. postquam enim ibid. dixerat: *Solum petite mihi vires, & intus & foris, ut non modo dicam, sed & velim; ut non tantum dicar Christianus, sed & inveniar. Si enim inventus fuero, etiam dici potero, & tunc fidelis esse, cum mundo non apparebo. Nihil æternum quod videtur. Quæ enim cernuntur, sunt brevis ævi; inconspicua sunt æterna. Deus quippe noster Jesus Christus in Patre existens magis apparet*, addit; ȣ̓ σιωπης το ἐργον, ἀλλα μεγεθȣς ἐϛιν ὁ χριϛιανισμος, ὅταν μισηται ὑπο κοσμȣ; ad

quem locum videantur notæ *Clerici*. Atque hæc perſuaſio altiſſime animo B. Martyris inſidens effecit, ut intrepido plane vultu mortem & tormenta exciperet, atque in ſequentibus in has erumperet voces; *Ignis, crux, ferarum concurſus, lacerationes, diſtractiones, oſſium diſcerptiones, membrorum conciſio, totius corporis contritiones, mala Diaboli tormenta in me veniant; tantummodo ut Jeſum Chriſtum nanciſcar. Nil me juvabunt deliciæ mundi, nec regna hujus ſeculi. Majus eſt mihi emori in Jeſum Chriſtum, quam imperare finibus terræ. Quid enim juvabitur homo, ſi lucratus fuerit mundum totum, anima vero ſua mulctatus fuerit? Illum quæro qui pro nobis mortuus eſt: Illum volo qui propter nos reſurrexit. Illud fœnus mihi imminet. Ignoſcite mihi Fratres: ne mihi impedimento ſitis quo minus vivam; ne me velitis mori, volentem Dei eſſe; cum mundo ne gaudeatis. Sinite me purum lumen haurire. Cum illic fuero homo Dei ero. Sinite me imitatorem eſſe paſſionis Dei mei. Si qui eum in ſe ipſo poſſidet, intelligat quid volo, & compatiatur mihi, ut qui ſciat quæ me conſtringunt.* Quod ſi quis lectis his verbis objiciat, me in diſſertatione mea prima de *Viſionibus*, quæ primis poſt exceſſum Chriſti & Apoſtolorum ſeculis obtigiſſe dicantur quibusdam Chriſtianis, aſſeruiſſe, quosdam Martyres & inter eos ipſum noſtrum *Ignatium*, Religione commotos, limites interdum ipſius Religionis transgreſſos, atque ardentius quam par erat, martyrii gloriam appetiiſſe, illi rationum & reſponſionis loco, in mentem revoco judicium *Antiſtitum Eccleſiæ Smyrnenſis* de *Quinto* quodam, natione *Phryge*, occaſione Martyrii B. *Polycarpi* latum apud *Euſeb. Hiſt. Eccleſ. Lib.* IV. cap. 15. Sonat autem ita: *Secuto dein poſt ejusmodi acclamationes graviſſimo motu, Quintus quidam natione Phryx, qui nuper ex Phrygia advenerat, cum feras & quæ præterea intentabantur tormenta vidiſſet, fracto animo expavit, tandemque vitæ retinendæ ſtudio ceſſit. Hic porro Quintus, ut in eadem epiſtola docetur, temeritate quadam ac levitate ductus, non cum pio & religioſo metu, una cum aliquot aliis ad tribunal proſiluerat.* Hiſce narratis hæc adduntur: ἁλοντα δ' ουν ὁμως καταφανες ὑποδειγμα τοις πασι παρασχειν ὁτι μη δεοι τοις τοιουτοις ῥιψοκινδυνως και ἀνευλαβως κατατολμαν. i. e. *Sed continuo captus illuſtre documentum omnibus præbuit, ne præcipiti audacia, ſine ullo infirmitatis ſuæ reſpectu, hujusmodi periculis ſeſe ſubjicerent.*

Chriſtiani Veteres S. Sanctum

VIII. Articulus ſecundus: *Antiquiſſimi Eccleſiæ naſcentis Doctores, nonſolum Dogma S. S. Trinitatis admiſerunt, & Chriſtum Deum appellarunt, ſed & Filii æternam exiſtentiam, reliquasque virtutes Majeſtate*

Numinis

Numinis in Secula benedicti dignas, *Eidem tribuerunt*. In hac thesi prolanda nobis instituti & temporis habenda est ratio, quandoquidem nonsolum eruditissimi Viri in explicatione monumentorum antiquissimorum, de S. S. Trinitatis dogmate agentium, inter se dissentiunt; sed & *Socini* & *Arii* discipuli omnes ingenii nervos intendunt, ut probent, antiquissimos disciplinæ christianæ alumnos sententiam habuisse circa hoc argumentum à fide Christianorum ætatis nostræ longe diversam. Quæ omnia, si pro rei dignitate essent excutienda, non uno sed pluribus voluminibus opus esset. Nobis brevitati est studendum, ita tamen, ut hinc illinc, ubi necesse esse putamus, citata loca vel vindicemus, vel ad eos, qui pluribus ea explicarunt, Lectorem amandemus. Qui vero accuratam dogmatis controversi, singulorumque locorum eruditas discussiones cognoscere avet, præter fontes consulere oportet Doctissimorum Virorum, *Petavii*, *Cudvvorthi*, *Clerici*, *Huetii*, *Curcellæi*, *Grabii* & *Bulli* opera, ut de iis, qui data opera *Clarkios*, *Wisthonos*, *Crellios*, cœterosque recentiores vel *Arii*, vel *Socini* asseclas impugnarunt, nil dicam. Sed veniamus ad rem, atque ex Epistolis illis antiquissimis primo afferemus loca, ubi S. S. Trinitatis in genere mentio fit. *Ignatius* in Epistola ad *Ephesios* Sect. IX. ita loquitur: *Ut qui lapides sitis templi Patris*, *præparati in Dei Patris ædificium*; *sublati in altum per machinam Jesu Christi*, *quæ est crux*, *Spiritu S. pro fune utentes. Fides autem vestra subvectrix vestra*, *caritas vero via deducens ad Deum. Estis igitur & viæ comites omnes Deiferi & Templiferi*, *Christiferi*, *Sanctiferi*, *per omnia ornati præceptis J. Christi.* De metaphoræ ab *Ignatio* hic usurpatæ natura, titulisque θεοφοροι & χριστοφοροι &c. vide ad h. l. *Cotelerium*. Clarius adhuc de hoc argumento loquitur Sect. XVIII. *purgamentum meum*, inquit, *spiritus est crucis*; *quæ Incredulis scandalum*, *nobis vero salus est*, *& vita æterna. Ubi sapiens? ubi conquisitor? ubi gloriatio eorum*, *qui dicuntur prudentes?* Ὁ γαρ θεος ἡμων Ἰησȣ ὁ Χριστος ἐκυοφορηθη ὑπο Μαριας κατ᾽ οἰκονομιαν θεȣ ἐκ σπερματος μεν Δαβιδ, πνευματος δε ἁγιȣ. In Epistola ad *Magnesianos* Sect. XIII. inquit pius Martyr: *Studete igitur ut confirmemini in dogmatibus Domini & Apostolorum*, *ut omnia quæ facitis*, *prospere vobis succedant*, *carne & spiritu*, *fide & charitate in Filio*, *& Patre*, *& Sp. Sancto*. In Inscriptione Epistolæ ad *Romanos* meminit Patris Filii, quem θεον ἡμων vocat, & Sp. Sancti. Similiter ad *Philadelphenos*.

Trinitatis Mysterium admiserunt.

Ante-

Antequam ulterius progrediamur, paucis examinanda sunt, quæ Cl. Vir *Joh. Clericus* occasione Inscriptionis epistolæ *Ignatii* ad *Ephesios* monet. Ita autem ille Hist. Eccl. pag. 561. ad annum CXVI. loquitur. *In Parenthesi seu Hyperbate Inscriptionis, est loquendi genus verum quidem, sed Apostolis minus notum. Certe eo in epistolarum inscriptionibus nunquam utitur Paulus*, ἐν θελήματι τῦ πατρὸς, καὶ χριςῦ τῦ Θεῦ ἡμῶν, *in voluntate Patris & Jesu Christi Dei nostri, vide Rom. I: 7. 1. Corinth. I: 7. 2. Corinth. II: 3. Galat. I: 3, &c. Dixisset Paulus* Θεῦ πατρὸς, καὶ Ἰησῦ χριςῦ κυρίῦ ἡμῶν: *Verum hæ epistolæ forte non ab Arianis tantum sunt interpolatæ, & adauctæ multis laciniis, verum etiam ab aliter sentientibus; quod à controversiis Nicænis frequenter ab utrisque factum, in locis antiquiorum Scriptorum,* ubi *de Christo agunt.* Ita Vir Doctissimus. Juvat, ne quis dictum hoc nobis fraudi esse putet, sequentia responsionis loco monuisse. Non quæritur utrum Doctissimus Vir *Socini* opinioni in hoc argumento addictus fuerit nec ne; non semel, dum vixerat, conquestus est, injuriam sibi afferre omnes, qui ipsum *Socini* opinionibus subscribere asserant. Vide inter alia *Bibl. choisie Tom. III. pag.* 34. *sq.* & hoc ipso in loco genus loquendi *verum* esse ait. Sed quicquid de eo sit, quæritur duntaxat, utrum vox Θεῦ in hac inscriptione temere sit adjecta: verisimile hoc esse putat *Clericus*, quod Apostoli in suis inscriptionibus aliis utantur formulis: mihi secus videtur: neque enim vel ab *Arii* discipulis, vel ab *Athanasianis* hoc tentatum credibile: *Ariani* nullam habuerunt causam vocem *Dei* adjiciendi. Quod ad *Athanasii* Sectatores spectat, dicendum esset, id factum fuisse nonsolum in inscriptione hac ad *Ephesios*, sed & in reliquis; at quæ tandem causa esset, cur inscriptioni huic vocem Θεῦ infarsissent, cum in ipsis epistolis *Ignatii* & reliquorum frequenter Christus, ut ex mox dicendis patebit, nonsolum θεὸς, sed & μονογενὴς & ἀΐδιος appelletur? cur fraudulenti illi homines epistolæ *Polycarpi*, ubi nulla aut rarior, quando de Christo agitur, vocis θεῦ mentio, textum non interpolarunt? Quod vero ad formulas, quibus usi sunt Apostoli, in suis inscriptionibus & salutationibus, collatas cum Apostolicorum Virorum dicendi genere spectat, conferenti patebit, eas inter se non solum circa hanc vocem, sed & alias plures phrases plurimum differre, atque adeo certi nil ad dogmata quod attinet, nisi ea prorsus a genio Religionis christianæ abhorreant, ex iis colligi posse. Crediderim ego potius, *Ignatium* frequentibus, ubi de Christo loquendum

erat,

erat, voce *Dei* uſum, cum quod, uti ex omnibus epiſtolis patet, ardentiſſimo Soteris noſtri amore fuerat incenſus, tum quoniam illius ætatis hæreticis, qui Divinitatem Ipſius impugnabant, omni data occaſione reſiſtere voluerat.

Et quid opus pluribus verbis? Ipſe Vir Doctiſſimus ſui quaſi oblitus, diſſertatione contra W. Whiſtonum conſcripta & Volum. II. Patrum Apoſtolicorum adjecta, noſtræ ſententiæ accedere videtur. Sect. XX. inter alia oſtendit, ab Arianis prolixiores Ignatii epiſtolas eſſe mutatas, atque vocem Θεον, Chriſto Soteri noſtro in brevioribus datam, eraſam fuiſſe. Provocat ad hoc probandum ad Inſcriptionem epiſtolæ brevioris ad Epheſios, in qua dicitur Eccleſia Epheſia fuiſſe id quod erat, ἐν θεληματι τȣ πατρος και Ἰησȣ χριςȣ τȣ Θεȣ ἡμων. „ Voces illæ, inquit Vir Doctus, τȣ Θεȣ ἡμων cum viderentur æquare, aut arctius conjungere Patrem & Filium, quaſi eſſent unus idemque Chriſtianorum Deus, ſunt ſede motæ, & ſic totus locus expreſſus: ἐν θεληματι Θεȣ πατρος καὶ κυριȣ ἡμων Ἰησȣ χριςȣ τȣ Σωτηρος ἡμων. Si ita ſcripſiſſet Epiſcopus Antiochenus, nunquam eſſent mutatæ, cum ſic etiam ſoleant omnes Chriſtiani loqui. Sed quia Ariani non ferebant Patrem & Filium ἕνα Θεον, unum Deum dici, Paraphraſtes cenſuit aliter mentem Martyris eſſe efferendam.„ Ibid. Sect. XXII. negat Athanaſii Sectatoribus unquam fuiſſe exprobratum, quod S. Literas vel antiquiſſima illa Chriſtianorum monumenta corruperint. „ Nemini (inquit) ignotum eſt, eos, qui erant in ſententia Athanaſii, exprobraſſe Arianis corruptiones Scripturæ, quod oſtendimus Artis Crit. P. III. Sect. I. cap. 15. Si Orthodoxi falſaſſent Scripturas atque Epiſtolas Ignatianas, quî hoc diſſimulaſſent Ariani? Si dicuntur libri Arianorum periiſſe, ac proinde non poſſe probari hodie rem Athanaſianis ab iis eſſe exprobratam; reponemus, mirum eſſe in tot horum libris nullum eſſe quem quidem norim, aut prolatum viderim, ubi qui cum Athanaſio ſentiebant, conati ſint ejusmodi accuſationem repellere. Nihil ſane atrocius iis exprobrari poterat, nec videntur potuiſſe in re tam gravi ſilere.„ Hæc verba noſtræ ſententiæ non parum patrocinantur. Si enim Athanaſiani textui epiſtolarum Ignatianarum tam frequenter vocem Θεον, ubi de Chriſto agitur, adjeciſſent, corruptores eſſent manifeſti. At quis quæſo credat, cum omnia Exemplaria corrumpere haud potuerint, Arianos, hoſtes eorum acerrimos, non frequenter fraudem illam ipſis exprobraturos fuiſſe? De-

nique Sect. XXV. hujus dissertationis, ubi objectionem Whistoni contra breviores Ignatii epistolas ex eo petitam, quod nimirum Christus in iis θεος ἡμων vocetur, expendit, ita respondet: „ Potuit ea res pe-
„ culiaris esse *Ignatio*, ut Christianos secerneret primum ab Ethnicis,
„ qui Jovem & multos inferiores Deos colebant; deinde etiam a
„ Judæis, qui verum quidem unum agnoscebant Deum, sed qui a
„ cultu Jesu Christi abhorrebant. Quisquis enim *Deum* aut *Deum*
„ *suum* vocat Christum, se Christianum profitetur; at *cultor Dei* non
„ est eo ipso Christianus. Sic *Athanasius* in Oratione de Incarna-
„ tione Verbi. Num. 46. ποτε μεν την των ἰδωλων θρησκειαν ἠρξαντο
„ καταλιμπανειν ὁι ἀνθρωποι, ἐι μη ἀφ᾽ ὁυ γεγονεν ὁ ἀληθινος τυ θευ
„ θεος λογος ἐν ἀνθρωποις. i. e. quando homines idolorum supersti-
„ tiones deserere cœperunt, nisi ex quo verus Deus, Dei sermo, fuit
„ inter Homines? Ideo Christus dicitur *verus Deus*, & *Deus* simpli-
„ citer, ut opponatur commenticiis Numinibus, utque Judæi intel-
„ ligerent a Christianis quidem coli Deum, quem illi se colere pro-
„ fitebantur, sed simul Jesum Christum; unde fit ut paulo post di-
„ cat, Christum persuasisse hominibus ἱνα καὶ τον ἀυτον κυριον σεβειν,
„ καὶ δὶ ἀυτυ θεον τον ἀυτυ πατερα, unum & eundem Dominum &
„ per eum Deum ejus Patrem. „

At nonsolum de Trinitatis dogmate in genere in his epistolis occurrunt satis clara vestigia; sed & in specie ad Christum quod spectat, Eum nonsolum θεον appellant, sed & *Filium Dei* τον μονογενη, æternum, & benedictum in secula &c. Ita in epistola ad *Smyrnæos* Sect. I. inquit *Ignatius*. Δοξαζω Ἰησυν χριςον τον θεον τον ὑτως ὑμας σοφισαντα. Epistolam ad *Polycarpum* sic claudit. ἐρρωσθαι ὑμας διαπαντος ἐν θεω ἡμων Ἰησυ χριςω ἐυχομαι ἐν ὡ διαμεινητε ἐν ἑνοτητι Θευ καὶ ἐπισκοπη. Clem. *Romanus* Epist. ad *Corinth.* II. Sect. I. ait. Ἀδελφοι, ὑτως δει ἡμας φρονειν περι Ἰησυ χριςυ, ὡς περι Θευ, ὡς περι κριτυ ζώντων καὶ νεκρων. Et in prima, Sect. II. ait. Τοις ἐφοδιοις τυ Θευ ἀρκυμενοι καὶ προσεχοντες τυς λογυς ἀυτυ ἐπιμελως, ἐςερνιςμενοι ἠτε τοις σπλαγχνοις, καὶ τα παθηματα ἀυτυ ἠν προ ὀφθαλμων ὑμων. i. e. *Dei viatico contenti & accurate attendentes sermonibus ejus; dilatati eratis in visceribus, & passiones illius præ oculis vestris erant.* Ubi attendi velim ad verba τα παθηματα ἀυτυ, *passiones* ejus, ejus sane cujus in proxime præcedentibus mentio facta, τυ Θευ, Dei, qui alius esse nequit quam Jesus Christus Filius Dei, Patri enim παθηματα tribui nulla ratione possunt. Pluribus hunc locum contra *Zvvikerum* defendit *Grabius*

apud

apud *Bullum def. Fid. Nicænæ* pag. 60. & contra *Artemonium*, i. e. *Sam. Crellium* Vir juvenis Doctiſſimus, Joh. *Baraterius* pag. 289. in libello quem *Anti - Artemonium* inſcripſit. Supra jam notavimus, Chriſtum ab *Ignatio* in inſcript. Epiſtolæ ad Epheſios τον Θεον ἡμων vocari, quo titulo etiam inſignitur in epiſtola ad *Romanos*. Præter titulum *Dei* alia adjunguntur epitheta, quæ divinam J. Chriſti dignitatem declarant. Ita in Epiſtola *Ignatii* ad *Magneſianos* dicitur fuiſſe προ αἰωνων. Ibid: Sect. VIII. de Chriſto dicitur: ὁς ἐϛιν αὐτȣ λογος αἰδιος, ȣ̓κ ἀπο σιγης προελθων, ὁς κατα παντα ἐυηρεϛησεν τω πεμψαντι αὐτον. i. e. *Qui eſt Verbum ipſius æternum non a ſilentio progrediens; quique in omnibus ei qui ipſum miſerat, complacuit.* Ad hunc locum dignæ ſunt lectu V. Doctiſſimorum J. *Voſſii*, *Cotelerii* & inprimis *Pearſonii* cogitationes. Exiſtimaverat enim Cl. *Dallæus*, cum hic aperta mentio fiat *Siges Valentini*, qui poſt *Ignatii* martyrium fabulas ſuas propalavit, νοθειας harum epiſtolarum indubitatum adeſſe indicium.

In Inſcriptione Epiſtolæ Clem. ad *Romanos* Chriſtus nonſolum vocatur Θεος, ſed & υἱος τȣ πατρος, item μονογενης, & Sect. III. appellatur, ὁ Θεος ἡμων Ἰησȣς ἐν πατρι ὠν. Clem. *Romanus* Epiſt. 1. ad *Corinth.* Sect. XVI. de Chriſto ait: Το σκηπτρον της μεγαλωσυνης τȣ Θεȣ, ὁ κυριος ἡμων χριϛος Ἰησȣς, ȣ̓κ ἠλθεν ἐν κομπω ἀλαζονειας, ȣ̓δε ὑπερηφανιας καιπερ δυναμενος, i. e. *Sceptrum Majeſtatis Dei, Dominus noſter Chriſtus Jeſus non venit in jactantia arrogantiæ neque ſuperbiæ cum potens ſit.* Quantum ad dignitatem Jeſu Chriſti Soteris noſtri hic locus faciat, oſtenderunt Viri excellentiſſimi *Fellus* & *Grabius*; *prior* in notis ad h. l. Patr. Apoſt. Tom. II. p. 156. *poſterior* vero in defenſionis fidei Nicænæ, a Reverendo Bullo conſcriptæ, additamentis pag. 49. In Epiſtola Clem. ad *Romanos* Sect. VII. Chriſtus vocatur Θεανθρωπος. Eodem titulo inſignitur in Epiſt. ad *Epheſ.* Sect. XIX. taceo alia plura loca pro Divinitate filii ex hiſce monumentis afferti ſolita, quæ *Bullus*, *Grabius* aliique in medium attulerunt, & contra *Zuvikeri*, *Sandii*, *Crellii*, aliorumque veterum, & recentiorum cenſuras vindicarunt.

III. Art. *Antiquiſſimi S. Soteris noſtri Sectatores de nativitate Jeſu Chriſti, ejus paſſione, morte pro nobis obita, reſurrectione, futuro judicio, & miraculis ſatis perſpicue verba faciunt.* Age oſtendamus hoc breviter. Sæpe hoc facere ſolent uno in loco enumerando omnes illos articulos fidei. Ita *Ignatius* in Epiſtola ad *Trallianos* Sect. IX.

 præci-

præcipuos articulos fidei recenſet, ut ex verbis ſupra jam adductis patet. ad *Rom.* Sect. VI. paſſionis & reſurrectionis meminit. ad *Smyrnæos* Sect. I. & II. ita loquitur: *Glorifico Jeſum Chriſtum Deum, qui tanta vos ſapientia donavit. Cognovi enim vos perfectos in fide immota; ut affixos cruci Domini noſtri Jeſu Chriſti, & carne & ſpiritu; & firmatos in caritate, in ſanguine Chriſti; plene perſuaſos in Dominum noſtrum: vere exiſtentem de genere Davidis ſecundum carnem; filium Dei ſecundum voluntatem, & potentiam Dei; natum verè ex virgine, baptizatum a Joanne, ut impleretur ab eo omnis juſtitia; verè ſub Pontio Pilato & Herode tetrarcha clavis confixum pro nobis in carne. Ex quo fructu nos ſumus, per divine beatam paſſionem ejus; ut elevet ſignum in ſecula, per reſurrectionem, ſanctis & fidelibus ſuis, ſive in Judæis, ſive in Gentibus, in uno corpore Eccleſiæ ſuæ. Omnia enim hæc paſſus eſt, propter nos, ut ſalutem conſequamur.* In ſpecie vero & ſingillatim hic illic de graviſſimis illis articulis agunt antiquiſſimi illi Religionis chriſtianæ Defenſores. Ita *neceſſitatem manifeſtationis Jeſu Chriſti in carne* probe cognoverant. *Barnabas* in ſua Epiſtola Sect. V. ait de Chriſto loquens: *Si non veniſſet in carne, quomodo poſſent homines ſanari? Cum reſpicientes ſolem, qui eſt opus manus Dei, non poſſunt radios ejus diutius intueri; Filius ergo Dei ideo in carne venit, ut conſummationem peccatorum definiret eis, qui perſecuti ſunt ad mortem Prophetas illius.* Eadem ingeminat Sect. XIV.

Chriſtum Jeſum tanquam hoſtiam piacularem ſe pro nobis obtuliſſe ſingulis fere Epiſtolarum ſuarum confitentur paginis, & de *pretio* atque *efficacia mortis Jeſu Chriſti* magnificis loquuntur verbis. Ita *Ignatius* Epiſt. ad *Epheſ.* Sect. I. ait. *poſtquam audiſtis me vinctum a Syria pro communi nomine & ſpe, ſperantem, quod veſtris precibus conſequar, ut Romæ adverſus beſtias pugnem, quo per martyrium adipiſci poſſim diſcipulus eſſe illius*, τȣ ὑπερ ἡμων ἑαυτον ἀνενεγκοντος Θεω προσφοραν ϗ θυσιαν. Ad *Trallianos* Sect. II. Τον δι ἡμας ἀποθανοντα, ἱνα πιϛευσαντες εἰς τον θανατον αὐτȣ, το ἀποθανειν ἐκφυγητε. *Polycarpus* Sect. I. ait: *Magnopere gratulatus ſum vobis in Domino noſtro Jeſu Chriſto, quod firma fidei veſtræ radix ab antiquis temporibus annunciata usque adhuc permanet, ac fructum fert in Domino noſtro Jeſu Chriſto*, ὁς ὑπεμεινεν ὑπερ των ἁμαρτιων ἡμων ἑως θανατȣ καταντησαι. Ibid. Sect. VIII. *Indeſinenter ergo perſeveremus in ſpe noſtra, & pignore Juſtitiæ noſtræ; quod eſt Chriſtus Jeſus, qui pertulit peccata noſtra in corpore ſuo ſuper lignum, qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore*

ejus;

ejus; sed propter nos, ut in ipso vivamus, omnia sustinuit. Ad *Ephes.* Sect. XI, ait *Ignatius. Novissima jam sunt tempora: revereamur & timeamus Dei longanimitatem, ne in judicium nobis cedat. Aut enim futuram timeamus iram, aut præsentem gratiam diligamus; unum ex duobus, modo in Christo Jesu inveniamur ad veram vitam vivendam. Sine ipso nil vos deceat; in quo vincula circumfero, spirituales margaritas, in quibus erectum stare mihi contingat oratione vestra, cujus me semper opto fieri participem.* In fine Epistolæ ad *Philadelphenos* ait: τιμησει αυτους ὁ κυριος Ιησους χριστος, εἰς ὃν ἐλπιζουσιν σαρκι, ψυχη, πιστει, ἀγαπη, ὁμονοια. Ἔῤῥωσθε ἐν χριστω Ἰησου τη κοινη ἐλπιδι ἡμων. Apud Cl. *Romanum* Sect. LVIII. Christus vocatur noster Αρχιερευς καὶ προστατης. Quam appellandi rationem contra *Photinum* vindicat *Bullus def. fid. Nicæn.* pag. 48. Ibid. Sect. XLIX. *In caritate nos assumsit Dominus; propter caritatem quam erga nos habuit Christus Dominus noster ex voluntate Dei, sanguinem suum pro nobis tradidit & carnem pro carne nostra, & animam pro animabus nostris.* Christum esse vitam nostram fatetur *Ignatius* Epist. ad *Ephes.* Sect. III. καὶ γαρ Ἰησους χριστος (inquit) το ἀδιακριτον ἡμων ζην. Ad *Magnesianos*, Sect. IX. inquit pius Martyr: *Si igitur qui in vetustis rebus versati erant, ad novitatem spei venerunt non amplius Sabbathum colentes, sed juxta Dominicam viventes, in qua & vita nostra exorta est per ipsum & mortem ipsius (per quod mysterium fidem accepimus & propter hoc sustinemus, ut inveniamur discipuli Jesu Christi, solius Doctoris nostri) quo modo poterimus nos vivere sine ipso? Barnabas* Epist. suæ *Sect. VIII.* Christum dicit nos renovasse per mortem suam. Clem. *Romanus* epist. 1. ad *Corinth. Sect. XXXVI.* dignitatem Jesu Christi, ejusque pro nobis præstitam obedientiam, in cœlum tollit laudibus. *Hoc est iter* (inquit) *Carissimi, in quo salutare nostrum invenimus, Jesum Christum, Pontificem oblationum nostrarum, infirmitatis nostræ patronum, & auxiliatorem. Per hunc in cælorum altitudines oculos defigemus; per hunc immaculatum & supremum illius vultum speculabimur: per hunc oculi cordis nostri aperti sunt; per hunc insipiens & obscurata mens nostra in admirabilem ejus lucem repullulat; per hunc voluit Dominus ut immortalem cognitionem gustaremus; qui cum sit splendor Majestatis ejus, tanto major est Angelis, quo excellentius nomen sortitus est. Justificari nos fide in Jesum Christum* agnoscit *Ignatius* Epist. ad *Philadelph*, Sect. VIII. Τα ἀθικτα ἀρχεια ὁ σταυρος αὐτου, καὶ ἡ πιστις ἡ δἰ αὐτου, ἐν οἷς θελω ἐν τη προσευχη ἡμων δικαιωθηναι.

& Clem. *Rom. I.* ad *Corinth. Sect. XXX.* ait: *Et nos igitur ex voluntate illius in Christo Jesu vocati, non per nos ipsos justi efficimur, neque per sapientiam nostram, aut intelligentiam aut pietatem, aut opera, quæ in cordis sanctitate operati sumus: sed per fidem, per quam cunctos, qui unquam justi fuerunt, justificavit Deus omnipotens.* Iidem ingeminant, eos, qui beneficiorum divinorum participes esse volunt, vitam vivere debere Religioni christianæ convenientem, atque pro ea, si necesse sit, forti animo oppetere mortem: ita ad *Magnesianos* inquit *Ignatius* Sect. V. *Quia igitur res finem habent, incumbunt duo simul, mors & vita, & unusquisque in proprium locum iturus est. Quemadmodum enim sunt numismata duo, alterum quidem Dei, alterum autem mundi; unumquodque etiam ipsorum characterem proprium habet impositum, infideles mundi hujus, fideles autem in characterem Dei Patris per Jesum Christum; per quem nisi propensa nobis est voluntas mori in ipsius passionem, nec vita ipsius in nobis est.* Similitur loquitur *Polycarpus* Sect. I. Epist. ad *Philipp.* & *Clemens Romanus* Epist. II. *ad Corinth.* Sect. I. cujus postremi verba digna sunt quæ adducantur: *Fratres*, ait, *ita nos oportet de Jesu Christo tanquam de Deo, tanquam de Judice vivorum & mortuorum judicare; nec decet nos humilia sentire de salute nostra; dum enim humiliter sentimus de illo, parva etiam accepturos nos speramus; & dum tanquam exigua audimus, peccamus, nescientes unde & quomodo vocati sumus & a quo, & in quem locum, & quanta sustinuit Jesus Christus pati propter nos. Quam igitur nos ipsi dabimus remunerationem, aut quem fructum dignum eorum quæ nobis ipse dedit? Quanta vero ei debemus Pia? Nam lucem nobis largitus est; tanquam Pater filios nos appellavit; pereuntes nos servavit. Qualem ipsi laudem tribuemus aut mercedem compensationis eorum quæ accepimus? qui mente eramus capti, & adorabamus lapides, ligna, aurum, argentum atque æs, hominum opera, tota vita nostra nil aliud quam mors; obscuritate itaque circumdati, & tali caligine plenum habentes visum, respeximus, ipsius voluntate deponentes eam qua cingebamur nebulam. Nam miseratus & nos & visceribus commotus salvos fecit.*

Art. IV. *Iidem tandem S. Disciplinæ Alumni, nonsolum miracula Jesu Christi, sed & resurrectionem ipsius tanquam rem confessam admiserant, nosque vi hujus resurrectionis post mortem in vitam revocatum iri adseruerant.* Præter loca supra jam adducta, addenda sequentia, nimirum *Clementis Rom.* I. ad *Corinth.* Sect. XXIV. in quo ita loquitur: *Consideremus Dilecti, quemadmodum Dominus continue nobis osten-*

oſtendat reſurrectionem quæ futura eſt; cujus primitias fecit Dominum Jeſum Chriſtum, ſuſcitans eum e mortuis. Polycarpus graviter ita hortatur Sect. II.

Propter quod ſuccincti lumbos ſervite Deo in timore & veritate; relinquentes inane vaniloquium & plurimorum errorem; credentes in eum qui ſuſcitavit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum a mortuis, & dedit ei gloriam, ac ſedem ad dextram ſuam; cui ſubjecta ſunt omnia cœleſtia & terreſtria; cui omnis Spiritus ſervit; qui venit judex vivorum & mortuorum; cujus ſanguinem requiret Deus ab iis, qui non credunt in illum. Is verò, qui ſuſcitavit ipſum a mortuis & nos ſuſcitabit, ſi fecerimus ipſius voluntatem, & ambulaverimus in mandatis ejus, atque dilexerimus ea quæ ipſe dilexit. Ignatius in Epiſt. ad Smyrnæos Sect. III. act. Εγω γαρ και μετα την ἀνασασιν ἐν σαρκὶ ἀυτον οἰδα. *Et confeſtim ipſum tetigerunt, atque crediderunt, convicti carne ipſius & Spiritu. Propter hoc etiam mortem contemſerunt; ſupra mortem vero inventi ſunt. Poſt reſurrectionem autem cum iis comedit & bibit, ut carnalis, quamvis ſpiritualiter unitus Patri.* Ad priora hujus teſtimonii verba græce poſita, videantur præter notas J. *Voſſii* & *Cotelerii* Lib. II. Caput X. *Vind. Ignat.* a Reverendo *Pearſonio* ſcriptarum. Similia habes in ejusdem *Ignatii Epiſtola ad Epheſ. Sect. XX.* ut plura, quæ paſſim in hiſce monumentis occurrunt, brevitatis cauſa omittam. *Barnabas* denique Epiſt. ſuæ Sect. V. Chriſtum τερατα καὶ σημεια feciſſe conteſtatur. Atque ſic quidem ſufficientibus, quantum Inſtituti ratio poſtulabat, teſtimoniis probavimus, antiquiſſimos Religionis chriſtianæ confeſſores Myſteria in S. Literis contenta nonſolum admiſiſſe; ſed & vi hujus perſuaſionis compulſos vitam ad ſanctiſſimæ diſciplinæ normam eſſe componendam arbitratos fuiſſe.

IX. Progrediendum nunc eſſet ad cæteros Civitatis Sacræ Antiſtites, quorum Scripta unanimi Eruditorum conſenſu pro indubiis ſunt recepta, nimirum ad *Juſtinum M. Irenæum, Cl. Alexandrinum, Originem, Athenagoram, Tertullianum*, &c. Sed intercedit hic *Souverainius*, Auctor *detecti Platoniſmi* gallice ſcripti, atque ex his ipſis adductis monumentis probare vult, venerandos illos Religionis Confeſſores, Chriſtum pro mero homine, ſed excellentiſſimis virtutibus ornato, habuiſſe, & cui ob miraculoſam nativitatem & exaltationem nomen Dei fuerit inditum. Quod mirum autem eſt, illuſtris *Pearſonii* auctoritate ad hoc probandum uti ſuſtinet *Souverainius*. Ut autem eruditus Lector ſentiat, quo jure id fiat, Ceſtrienſis Epiſcopi verba ſunt addu-

adducenda. Extant illa *vindic. Ignat.* Lib. II. cap. I. pag. 359. *Patr. Apost. Cotel. Tom. II.* Sonant autem ita : „ Erat certe Ignatius in„ ter eos qui Christum θεολογεῖ, ut Catholici illius ætatis faciebant, „ nam qui Religionem nostram deseruerant, referente Plinio, *affir„ mabant hanc fuisse summam vel culpæ suæ vel erroris, quod essent „ soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo di„ cere secum invicem.* Ut recte observavit vetus ille Auctor apud „ Euseb. Lib. 5. cap. 28. ψαλμοι δε όσοι και ώδαι αδελφων απ αρ„ χης ύπο πισων γραφεισαι τον λογον τȣ Θεȣ τον χριϛον ύμνȣσι Θεο„ λογȣντες. i. e. Psalmi & cantica fratrum, quæcunque ab initio a „ fidelibus conscripta sunt, Christum Verbum Dei concelebrant, Di„ vinitatem ipsi tribuendo. Post autem receptam in Ecclesia doctri„ nam platonicam, tum secundi, tum tertii seculi scriptores non soliti „ sunt adeo simpliciter Christum τον Θεον ubique prædicare, ut hæc „ plane Ignatianam ætatem sapiant. Objiciebat aliquando Photius Clem. „ Romano ότι αρχιερεα και προςατην τον κυριον ήμων Ἰησȣν χριςον „ ἐξονομαζων, ȣδε τας Θεοπρεπεις και ύψηλοτερας αφηκε περι αυτȣ „ Φωνας. i. e. quod summum Sacerdotem Præsidemque Dominum „ nostrum Jesum Christum appellans, ne illas quidem Deo convenien„ tes & sublimiores de eo voces pronunciaverit. Et secundæ ejus epi„ stolæ minus receptæ hoc adminiculum adhibet, quod ἐν αρχη χριςον „ τον Θεον κηρυσση, *in ipso initio Christum Deum prædicet.* Prima enim „ illius epistolæ verba sunt. Ἀδελφοι, ȣτως δει ήμας Φρονειν περι Ἰησȣ „ χριςȣ, ώς περι Θεȣ. Primis itaque Ecclesiæ temporibus hanc appella„ tionem maxime convenientem putavit optimus Censor Photius ; Ea „ autem toties ab Ignatio repetita, nec cum ullis posteriorum limitatio„ nibus prolata sed nude & simpliciter ubique prædicata, maximam ve„ nerandæ illius antiquitatis & simplicitatis speciem exhibet. Charisma„ tum meminit tunc in Ecclesia maxime florentium, & Spiritus Sancti „ ad se nonnunquam loquentis, quod posteriores facere non solent. „ Parcissime utitur testimoniis S. Scripturæ. Paulinas quidem epistolas „ ubique imitatur, quæ a principio in Ecclesiis omnibus fuere receptissi„ mæ ; Evangelia parcius citat, quæ serius recipiebantur & a spuriis „ distinguebantur ; quæque secundi Seculi jam adulti & tertii Scrip„ tores frequentissime usurpabant. Ipsum scriptionis genus non „ minimum est ejusdem ævi indicium. Nihil in his epistolis extra„ neum, nihil ex eruditione Gentilium ; omnia doctrinam pure Evan„ gelicam & simplicitatem Viri Apostolici redolent. Qui postea

scripsere

„ ſcripſere, Doctorum apud Gentes ſententias uſurpare, & eorum „ nonnunquam etiam dogmata chriſtianæ Religioni immiſcere ſole- „ bant; id autem ex ea rerum ſcientia, qua antequam Chriſtiani „ fierent, præditi fuerant, præſtiterunt, ut Tertullianus obſervat. „ Ignatius diu jam Epiſcopus fuerat & chriſtianam Religionem tum „ primum ſuſceperat, cum perpauci ex Gentibus Docti Chriſtiani „ facti ſunt; in eo igitur perſpicimus animam pure chriſtianam, „ non Scholis formatam, non Bibliothecis exercitatam, non Acade- „ miis & Porticibus Atticis paſtam. „ hactenus *Pearſonius*. Ex hiſce Reverendi Epiſcopi verbis plura colligere vult *Souverainius*, quæ ad ſententiam ſuam ſtabiliendam facere poſſe exiſtumavit. Inprimis vero id agit, ut probet, ex ipſis *Pearſonii* verbis patere, antiquiſſimos & ætati Apoſtolicæ proximos Chriſti Diſcipulos, Jeſum Chriſtum pro mero habuiſſe homine, qui propter exaltationem ſuam Dei nomen adeptus ſit. Expendamus, ne verba illius repetenda ſint, ſingillatim rationes, quas ex citatis celeb. Viri verbis depromit. Et (1) quidem merito quisque miretur, *Souverainium* in partes ſuas pertrahere voluiſſe virum, qui fortiſſimis argumentis ad Divinitatem Jeſu Chriſti probandam fuerat uſus, acerrimoque ſtudio *Socini* & *Arii* ſententias impugnaverat. Vel ſola *Expoſitio Symboli Apoſtolici* teſtis eſſe poteſt omni exceptione major. (2) *Souverainius* mala fide egit in citatione teſtimonii *Pearſonii*, omiſit enim ea verba quæ clariſſime monſtrant, eum oſtendere voluiſſe, *Ignatium*, Chriſtum pro *Deo* habuiſſe. Sunt autem ſequentia, quæ teſtimonium *Euſebii* immediate excipiunt. *Ita quidem Ignatius* (loquitur Pearſonius) *ſimpliciter Chriſtum Deum appellat, ut Epiſtola ad Smyrnæos*, δοξάζω Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Θεόν: & ὑποδεξάμενοι, ὡς διακόνους Χριστοῦ Θεοῦ: *ad Polycarpum*, ἐν Θεῷ ὑμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ. *Ad Epheſios*, ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ἐκυοφορήθη ὑπὸ Μαρίας: *ad Romanos*, κατὰ πίστιν καὶ ἀγάπην τοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν. Hæccine ſunt indicia, *Pearſonium* probare voluiſſe, Chriſtum à pio illo Diſcipulo pro mero homine fuiſſe habitum? nugæ! (3) Obſtant huic interpretationi ea omnia, quæ in antecedentibus Cl. Epiſcopus de ſectis ævi Apoſtolici obſervaverat. nimirum pag. 359. monet duas potiſſimum hæreſes de natura Chriſti ea tempeſtate obtinuiſſe, ut veritati catholicæ, ita & ſibimetipſis prorſus contrarias. Harum unam *Docetarum* fuiſſe à *Simonianis* ortorum, humanæ naturæ veritatem in Chriſto deſtruentium; alteram *Ebionitarum*, divinam prorſus naturam & æternam generationem de-

negantium, legiſque cærimonias urgentium: utramque *Ignatium* in ſuis epiſtolis impugnaſſe. Quomodo autem hæc dicere potuiſſet *Illuſtr. Vir* & ſimul tamen probare, *Ignatium* Chriſtum pro mero homine habuiſſe? (4) Pugnat interpretatio, quam *Souverainius* affingit verbis *Pearſonii*, cum ipſo principali ſcopo, quem, ut in univerſo hoc eruditiſſimo libello, ſic in hoc capite inprimis intendit. Probare nimirum vult antiquitatem & αὐθεντίαν Epiſtolarum *Ignatii*, ab *Uſſerio* & *Voſſio* editarum: ponit autem ad hoc probandum fundamenti loco hanc propoſitionem: nimirum antiquiſſimos & ætati apoſtolicæ proximos diſciplinæ ſanctiſſimæ alumnos miſſis vocibus è Platonis Philoſophia petitis, quibus ſequentis ævi Doctores ad explicandum Myſterium S. S. Trinitatis uſi ſunt, ſimpliciter Chriſtum Deum, & quidem more Apoſtolis recepto, appellare. Cum autem notiſſimum & extra controverſiam poſitum ſit, *Pearſonium* Divinitatem Chriſti credidiſſe & ſtrenue propugnaſſe, abſurdum eſt dicere, cum heic loci probare voluiſſe, Chriſtum merum fuiſſe hominem, ob exaltationem duntaxat Deum vocatum. (5) *Souverainius* vocem ἐθεολόγουν ita explicat, quod nimirum primi Chriſtiani S. Soterem pro homine virtutibus excellenti habuerint. At perperam ſane, & contra ſcopum teſtimonii ab *Euſebio* allati. Novimus quidem vocem Θεολόγος *Ciceroni*, *Plutarcho*, *S. Empirico*, fuiſſe receptam; at hic ubi de Chriſto adhibetur, alio ſenſu ſumendam eſſe natura rei, de qua agitur, docet. Ita quando Apoſtolus Joannes κατ' ἐξοχὴν Θεολόγος dicitur, probabile quammaxime eſt, id ideo factum, quod Chriſti Divinitatem data opera aſſeruerit. Nec infeliciter hoc probarunt Viri Doctiſſimi, *Stephanus le Moyne* in notis ad *varia ſacra* p. 1015. *Petavius* in *Prolegom.* ad *dogmat. theolog.* cap. 1. *Lampius* in *Prolegom. Commentarii* in *Evang. Johannis*, pag. 121. & *Suicerus* noſter *in Theſauro Eccl.* Quod ſi *Souverainius* locum *Euſebii* inſpexiſſet, vidiſſet manifeſte, per vocem ἐθεολόγουν nil aliud denotari poſſe, quam hoc, *Divinitatem illi tribuebant*; vel: *loquebantur de eo ut Deo.* Agit enim Cap. hoc XXVIII. Lib. V. inter alia de *Artemonitis*, antiquitatem doctrinæ de Chriſto mero homine demonſtraturis: verba illius ita ſonant: *Porro in cujusdam ex illis Auctoribus libro adverſus Artemonis hæreſin elaborato, quam Paulus Samoſatenſis noſtris temporibus renovare aggreſſus eſt, extat quædam narratio, hiſtoriæ, quam præ manibus habemus, valde accommodata. Supradictam enim hæreſin, quæ Chriſtum merum hominem eſſe dicebat, ante paucos annos invectam eſſe exarguens Auctor ille, quandoquidem ſectæ illius principes vetuſtiſſimam illam eſſe jactabant; poſt*

alia

alia multa adversus impium eorum mendacium adducta hæc ad verbum refert. Affirmant enim, inquit, priscos quidem omnes, & ipsos Apostolos, ea quæ ab ipsis nunc dicuntur & accepisse & docuisse; ac prædicationis quidem veritatem custoditam usque ad Victoris tempora, qui tertius decimus à Petro Romanæ urbis Episcopus fuit: à Zephyrini autem temporibus qui Victori successit, adulteratam fuisse veritatem. Ac fortasse id quod dicunt credibile videretur, nisi eis refragarentur, primum quidem divinæ Scripturæ; deinde fratrum quorundam Scripta, Victoris ætate antiquiora, quæ illi adversus Gentes, & contra sui temporis Hæreticos pro veritatis defensione scripserunt, Justinum intelligo, & Miltiadem, & Tatianum, ac Clementem aliosque quamplurimos, ἐν οἱς ἁπασι Θεολογειται ὁ Χριϛος. Τα γαρ Ειρηναιȣ τε και Μελιτωνος και των λοιπων τις ἀγνοει βιβλια, NB. Θεον και ἀνθρωπον καταγγελλοντα τον Χριϛον; ψαλμοι δε ὁσοι και ὠδαι ἀδελφων ἀπ᾽ ἀρχης ὑπο πιϛων γραφεισαι τον λογον τȣ Θεȣ τον Χριϛον ὑμνȣσι Θεολογȣντες; *Cum igitur* (pergit Cajus Presbyter Romanus florens sub *Victore* & *Zephyrino* Pontificibus Romanis.) *tot abhinc annis ecclesiastica doctrina prædicata sit, qui fieri potest, ut omnes usque ad Victoris tempora eam quam isti dicunt doctrinam promulgaverint? Quomodo eos non pudet hujusmodi calumniam adversus Victorem concinnare, cum certo sciant, Theodotum Coriarium qui defectionis illius Deum abnegantis* ταυτης της ἀρνησιθεȣ ἀποϛασιας *Parens, & Auctor fuit, primusque Christum nudum hominem esse asseruit, per Victorem a communione Ecclesiæ ejectum fuisse.* Hactenus *Cajus.* Quis non videt ex hoc loco vocem ἐθεολογȣν de divinitate Jesu Christi esse sumendam? cæterum de antiquissimis Christianorum *Hymnis V. Fabricium Bibl. Gr. Libr. V.* & *Bingh. Antiquit. Eccl. Lib. XIII. c. XI.* in specie autem ostendit Doctissimus *Baratierius* Cap. XIV. & XV. sui *Anti-Artemonii* in Antiquissimis Christianorum hymnis Christum tanquam Deum benedictum in secula celebratum; ibidem etiam disquirit, quid per πολυωνημον ὠδην, quam *Lucianus*, vel quisquis Auctor est Dialogi *Philopatridis*, Christianos usurpasse ait, sit intelligendum. (6) Sed provocat *Souverainius* ad *Plinium*, scribentem inter alia ad *Trajanum.* quod essent soliti Christiani carmen Christo *quasi* Deo secum invicem dicere, illud enim *quasi* nostræ obstare sententiæ: at illud *quasi* pro *ut*, vel *utpote* sumi, ut & Græcorum ὡς dudum Eruditi monuerunt. Et quod ad Græcos spectat vide loca à Cl. *Wolfio*, το νυν ἐν Ἁγιοις, adducta ad *Evang. Joh. I:* 18. Latinorum *quasi*, hic

pro *ut*, vel *utpote* adhiberi, præter alia docet locus *Tertulliani* qui *Apologet.* Cap. II. pag. 24. ad hanc ipsam *Plinii* epistolam provocans pro voce *quasi* particulam *ut* adhibet, ubi legendus Doctiss. *Havercamp. Eusebius Hist. Eccl. Lib. III. c. XXXIII. pag.* 85. edit. *Valesii*, mentionem etiam faciens hujus Epistolæ, græce sic exprimit: καὶ τον Χριςον Θεȣ δικην ὑμνειν, quod *Valesius* reddit, *canere Christo, ut Deo.* Atque hoc eo magis verisimile est, si in memoriam nobis revocemus præcepta Apostolorum omnibus Christianis injuncta, ut nimirum odas & hymnos canant in laudes Dei, τῳ κυριῳ, vide Ephes. V: 19. Coloss. III: 16. His denique duo accedunt, quæ sententiam nostram non parum confirmant; prius est, quod ab omni veri specie abhorreat, Christianos, ab omni Idololatria alienissimos, confessuros fuisse, se Christum ut Deum colere, si persuasi fuissent, ipsum merum fuisse hominem; *Posterius*, quod cæteri Apologetæ, *Justinus M. Athenagoras*, *Theophilus*, *Tertullianus* &c. ubi confessiones publicas Christianorum exponunt, aperte testentur, Christianos Soterem nostrum pro Deo habere & colere. conferatur ad hoc argumentum Doctissimi *Wesselingii Probabilium caput X. & XXXIII.* Fatetur equidem *Souverainius*, vocem Θεολογειν adhiberi aliquando ubi de Patre sermo est; sed vocem illam nil aliud denotare, quam cum reverentia loqui de Deo & laudes illius celebrare, non vero Divinitatem illi attribuere. At mira plane est hæc Interpretatio. Quomodo enim quis potest cum reverentia de Deo loqui, ejus laudes celebrare, neque tamen pro Numine ipsum vel Deo habere? locus ipse ad quem *Souverainius* provocat abunde hoc demonstrat. Agit enim *Euseb. Lib. X. cap. II. & III.* de Ecclesiarum Instaurationibus & Dedicationibus, jussu *Constantini Magni* factis, gaudioque quod inter Christianos ex eo ortum erat: inter alia autem inquit: *una erat divini Spiritus virtus, per universa commeans membra; una omnium anima; eadem alacritas fidei*, καὶ εἰς ἐξ ἁπαντων Θεολογιας ὑμνος, i. e. ex versione *Valesii*, unus omnium concentus Divinitatem hymnis celebrantium. Quid si dicamus verba esse de Patre, Filio, & Spiritu Sancto? Si vero de Patre solo hic agatur, qua veri specie dici potest eos laudes ejus celebrasse, neque tamen pro Deo habuisse? Quando de *Paulo* & *Sila* Act. XVI. v. 25. dicitur quod προσευχομενοι ὑμνȣν Θεον, quisquamne dubitat, quin ita agendo divinitatem Numinis admiserint? de loco *Clementis Romani* ad quem *Souverainius* provocat, supra jam egimus.

X. Idem

X. Idem vero ſententiam ſuam confirmaturus provocat ad epiſtolam *Polycarpi*, datam ad *Philippenſes*. In ea nonſolum phraſes, ut ipſe ait, Platonicas, nimirum τον λογον, præexiſtentiam filii &c. non reperiri, ſed ne quidem appellationem *Dei*; dici duntaxat, quod filius ſit æternus Pontifex & Filius Dei, quem Pater à mortuis in vitam revocaverit, & exaltaverit; dein allatis quibusdam verbis ex ipſa epiſtola petitis, quæ Symbolum aliquod fidei *Polycarpi* complecti autumat, oſtendere vult, ipſum *Philippenſes* revocare voluiſſe ab opinionibus Platonis de λογω, eosque contra docere, Chriſtum propterea duntaxat dici Deum, quod per miraculum fuerit natus, ex mortuis in vitam revocatus atque exaltatus. Et hanc loquendi rationem convenire cum Apoſtolorum doctrina de Jeſu Chriſto. Reſpondemus (1), Chriſtum ob rationes a *Souverainio* adductas ab Apoſtolis Deum vocatum nos negare. Vel ſolus locus Joh. I: 1, 2. contrarium probat, ibi enim ante omnem nativitatem τον λογον Θεον fuiſſe clariſſimis verbis teſtatur Johannes. Novi quidem *Socinianorum* explicationes hujus loci; haud ignoro *Sam. Crellium* legendum eſſe cenſere, non καὶ ὁ Θεος ἠν ὁ λογος; ſed καὶ Θεου ἠν ὁ λογος. Quam vana autem ſit & contorta explicatio *Socinianorum*, in ſequentibus, ubi data opera de hoc argumento acturi ſumus, oſtendemus; Quod vero ad *Crellium* ſpectat, hoc ſufficiat notaſſe, quod lectio, quam fingit, nullis plane Codicibus manuſcriptis innitatur. Cæteras vero ipſius rationes longe petitas magna cura examinarunt viri doctiſſimi, *Weſſelingius*, *Wolfius*, *Baratierius* aliique, quos adeant Veritatis ſtudioſi. (2) Supra docuimus, Chriſtum in antiquiſſimis illis monumentis nonſolum dici *Dei Filium*, *Deum*, ſed & *Filium* μονογενη, ἀΐδιον, *benedictum in Secula* &c. Num hæc tandem ſignificant, Chriſtum merum ſaltem hominem eſſe, titulo Dei ob exaltationem ornatum? (3) Mirum eſt *Ignatium* in epiſtola ad ipſum *Polycarpum* data Sect. VIII. Chriſtum Deum appellare, *Polycarpum* vero, qui ipſum *Ignatium* ultima Epiſtola ad *Philippenſes beatum* prædicat, Chriſtum pro mero homine habuiſſe, antiquiſſimosque Viros, Apoſtolicæ doctrinæ tenaciſſimos, in graviſſimo Religionis dogmate diſſenſiſſe? (4) Fruſtra tanquam Symbolum aliquod, aut confeſſionem fidei data opera nobis exhibere vult *Souverainius*, quod nonniſi exhortationem ſimplicem comprehendit. Verba ita ſonant: *propter quod ſuccincti lumbos, ſervite Deo in timore & veritate; relinquentes inane vaniloquium & plurimorum errorem; credentes in eum, qui ſuſci-*

Expenduntur aliæ ejusdem objectiones.

tavit Dominum nostrum Jesum Christum à mortuis, καὶ δοντα αὐτῳ δοξαν, καὶ θρονον ἐκ δεξιων αὐτυ. ῳ ὑπεταγη τα παντα ἐπυρανια καὶ ἐπιγεια, ῳ πασα πνοη λατρευει, ὁς ἐρχεται κριτης ζωντων καὶ νεκρων. In sequentibus pergit ad alia officia *Philippensibus* inculcanda; at Dei nomen, inquit *Souverainius*, non adest ubi de Christo sermo est; sed quid inde? num igitur Apostoli de Christo verba facientes semper & ubique Deum ipsum appellant? sed urget *Souverainius* voces, κενην ματαιολογιαν, καὶ την των πολλων πλανην, existimans tangere voluisse *Polycarpum* eos, qui Christum τον λογον, ὑιον μονογενη &c. vocibus ex opinione nimirum sua, è philosophia platonica petitis, appellaverint. At unde novit hoc *Souverainius*? An non potius perstringere voluisse Hæreticos dicendus est, nimirum *Marcionitas* & *Valentinum*? Audi *Irenæum lib. III. contra Hæreses.* Cap. III. pag. 177. edit. *Massueti. Polycarpus autem* (inquit) *nonsolum ab Apostolis edoctus, & conversatus cum multis ex eis qui Dominum nostrum viderant; sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea, quæ est Smyrnis, Ecclesia constitutus Episcopus, quem & nos vidimus in prima nostra ætate (multum enim perseveravit & valde senex gloriosissime & nobilissime martyrium faciens exivit de hac vita) hæc docuit semper, quæ ab Apostolis didicerat, quæ & Ecclesiæ tradidit, & sola sunt vera. Testimonia his perhibent, quæ sunt in Asia Ecclesiæ omnes*, & *qui adhuc successerunt Polycarpo; qui Vir multo majoris Auctoritatis*, & *fidelior veritatis est testis, quam Valentinus & Marcion, & reliqui qui sunt perversæ sententiæ. Is enim est, qui sub Aniceto, cum advenisset in urbem, multos ex his, quos prædiximus Hæreticos convertit in Eccesiam Dei, unam & solam hanc veritatem annuntians ab Apostolis percepisse se, quam & Ecclesiæ tradidit.* Et paulo post: *Est autem & epistola Polycarpi ad Philippenses scripta perfectissima* (sic vocem reddit. V. Interpres gr. ἱκανωτατη, rectius *luculentissima*) *ex qua & characterem fidei ejus, & prædicationem veritatis, qui volunt & curam habent salutis suæ, possunt discere.* Ubi notandum *Valentinum* circiter An. CXXI. dogmata sua spargere incepisse; *Polycarpum* in urbem Romam venisse A. 157. aut 58. Qualis autem Theologia hujusce hominis fuerit, notum est; certe nulla magis titulum κενης ματαιολογιας merita est, quam hæc. Quid igitur mirum esset, si B. Martyr *Philippenses*, quorum sine dubio, ut fieri solet, animos species sublimis Scientiæ in Systemate hoc occurrentis corruperat, adversus eam præmunire voluisset? Quod si vero concederemus, *Polycarpum* digitum intendisse ad Docto-

Doctores quosdam publicos, phrasibus platonicis Mysterium S. S. Trinitatis perperam explicantes, nil causæ nostræ, quam defendimus, bonitati decederet. Concessit enim Illustr. *Pearsonius*, quem vindico contra *Souverainium*, Seculo II. ad finem properante & III. fuisse Doctores, qui bono quidem fine, sed minus prudenter, voces platonicas in argumento gravissimo adhibuerint. Et certe talis erat ipse *Justinus Martyr.* *τοις πλατωνικοις χαιρων διδαγμασι*, uti ipse Apolog. II. de se ipso loquens fatetur, ut de aliis nil dicam. At hæc omnia nil faciunt, ad causam *Souverainii* tuendam. Probandum enim non *Ignatium* solum, sed Apostolos ipsos asseruisse, Christum merum hominem fuisse, & *Deum* duntaxat vocatum ob resurrectionem ex mortuis & exaltationem. Quisquamne credat, *Polycarpum* asserere voluisse, Joannem, qui Christum *τον λογον* vocavit & Deum, *κενην ματαιολογιαν* proposuisse atque turpiter verbis lusisse? sed nondum hæc sufficiunt Nostro, provocat ad ipsam confessionem *Polycarpi*, quam proximus morti ediderat, probaturus nimirum ex ea, Eum Christum pro mero homine habuisse, neque adeo divinitatem illi tribuisse. Audiamus eam: sonat autem ita: *κυριε ὁ Θεος ὁ παντοκρατωρ, ὁ τȣ ἀγαπητȣ καὶ εὐλογητȣ παιδος σȣ Ἰησȣ Χριςȣ πατηρ, δι᾽ ȣ̓ την περι σȣ ἐπιγνωσιν εἰληφαμεν, ὁ Θεος ἀγγελων καὶ δυναμεων, καὶ πασης της κτισεως καὶ παντος τȣ γενȣς των δικαιων, οἱ ζωσιν ἐνωπιον σȣ*: *benedico te, quoniam me hoc die atque hac hora dignatus es, ut partem caperem in numero Martyrum tuorum, in calice Christi ad resurrectionem vitæ æternæ & animæ & corporis, in incorruptione Spiritus Sancti. Quapropter de omnibus laudo te, benedico te, cum sempiterno & cœlesti Jesu Christo, dilecto tuo filio; cum quo tibi & Spiritu Sancto gloria & nunc & in futura Secula, Amen.*

Ex hisce verbis colligit *Souverainius*, B. Matyrem Christum nonnisi Pontificem æternum, non vero Deum vocasse, atque adeo pro mero habuisse homine, ob resurrectionem & exaltationem *Dei titulum* adepto. Sed infirma plane nobis videtur hæc argumentatio: rationes sunt sequentes. (1) Ipsi Apostoli in suis *δοξολογιαις* & Salutationibus non semper filio titulum Dei expressis verbis tribuunt, persuasi licet de ejus divinitate. (2) unde novit *Souverainius*, *Polycarpum*, dum Christum *αἰωνιον, καὶ ἐπȣρανιον εὐλογητον καὶ ἀγαπητον* filium appellat, nonnisi hominem intelligere Deo charum, & ob passiones & vitæ probitatem ad dignitatem divinam evectum? certe Jesus Christus Sect. XIX. vocatur *ὁ κυριος ὑμων, καὶ κυβερνητης των σωμα-*

των

των ἡμων, καὶ ποιμην της κατα την οικυμενην καθολικης Ἐκκλησιας: an non hæc poſſunt de Chriſto Θεανθρωπω intelligi? præſertim cum Sect. XVII. convenienter ſine dubio doctrinæ *Polycarpi* Smyrnenſes dicant: Τυτον μεν γαρ (de Chriſto ſermo eſt) ὑιον οντα τυ Θευ προσκυνυμεν; cui Sect. XX. gloriam, honorem, imperium & majeſtatem in ſecula tribuunt; imo æqualem gloriam in Oratione, de qua ſermo eſt, Patri, Filio, & Spiritui Sancto. Mitto alia, quæ hic dici poſſent. Videantur interim pluribus de hoc argumento agentes G. *Bullus def. Fid. Nicænæ* pag. 53. & *Olearius diſſert. de adoratione Dei Patris per Filium.* Neque magis nos moratur, quod *Souverainius* theſin ſuam defenſurus provocat ad *Conſtit. Apoſt.* Lib. VI. cap. XXXI. & *Ignatii* ad *Tharſenſes Epiſt.* Sect. II. in qua eos *Impios* eſſe dicunt, qui Chriſtum pro Deo ſupra omnia habeant; præterquam enim quod Doctiſſimorum Virorum conſenſu Conſtitutiones Apoſtolicæ ſint interpolatæ, & Seculo demum IV. labente, uti videtur, ſcriptæ, epiſtola vero ad *Tharſenſes* ſuppoſititia, dubium non eſt, quin hæc ex calamo *Ariani alicujus*, quem *Leontium* Tripolitanum in Lydia Epiſcopum fuiſſe putat *Thomas Bruno*, fluxerint, qui negabant Chriſtum ita vocari poſſe, quamvis Paulus ad Rom. IX. diſerte Eum ita appellet. Hinc c. XLVI. Conſtitut. in fine Chriſtus vocatur ἀρχιερευς τυ ἀσυγκριτυ Θευ, ſummus Sacerdos Dei Incomparabilis. Forte Conſtitutionum & Epiſtolarum Auctores *Simonis Magi* diſcipulos vellicare voluerunt, quod exiſtimant Viri Doctiſſimi, *Uſſerius* in *Diſſertatione* de *Ignatii & Polycarpi Scriptis*, in notis item ad Conſtitutiones Apoſtolicas cap. XII. & *Cotelerius* ad *citatum* Conſtitutionum locum. Crediderim, ſi & meam afferre licet conjecturam, ſubdole Auctores per conſequentiam orthodoxam voluiſſe impugnare doctrinam, argumentando nimirum ita; ſi Chriſtus ſit Deus, id eſt Ens à ſe ipſo, ſequi eum eſſe Deum ſupra omnia, hanc vero ſententiam impiam eſſe, quod ita Chriſto ea tribuerentur, quæ Patri duntaxat competunt. At & hæc argumentandi ratio nil obſtaret noſtræ ſententiæ: Fatemur enim, (verbis utor Reverend. Epiſcopi *Bulli defenſ. fidei Nicænæ pag.* 54.) *ultro, Patrem ſolum eſſe aliquo reſpectu ſummum Deum, nempe quia, ut loquitur* Athanaſius, πηγη θεοτητος, *fons Deitatis ipſe ſit, hoc eſt, ſolus à ſe ipſo Deus, à quo ſuam Deitatem accipiunt Filius & Spiritus Sanctus; atque eadem de cauſa appellationem veri Dei Patri ſæpius tum in Sacris Literis, tum in Veterum Scriptis, præſertim quoties divinæ perſonæ ſimul nominantur, proprie tribui. Interim conſtanter iidem*

aſſerimus,

asserimus, Filium esse lumen ex lumine, Deum ex Deo, adeoque Deum verum ex Deo vero, cum Patribus Nicænis. Sed pergit noster, atque ad *Eusebii* Lib. I. cap. XIII. provocat. In eo mentionem facit hic Scriptor Legationis *Thaddæi* ad Regem *Abgarum.* Inter alia autem quæ de Christo dicuntur, asseritur etiam, ipsum *Deum* esse. Hæc appellatio male habet *Nostrum*, clamantem, *Valesium* nonsolum confessum esse, in optimis Manuscriptis vocem Dei non reperiri, sed & Veteres titulum hunc Deo Patri duntaxat adscripsisse. Ex quo colligit, loca antiquissimorum Scriptorum, in quibus Christus Deus appellatur, fraudis esse suspecta. At neque hæc objectio magni est ponderis. *Primo* enim nonsolum ipsemet *Souverainius*, sed & doctissimi quique & artis criticæ peritissimi Scriptores de Legationis illius & narrationis veritate dubitant. (2) ἄτοπον est, ex uno hoc testimonio, vel judicio *Valesii*, sententiam de antiquissimorum & apostolicæ ætati proximorum Christianorum fide, in re maximi momenti ferre. Quinam enim sunt Veteres illi Valesio? *Ignatius* certe, *Polycarpus*, *Irenæus*, *Justinus M. Origenes*, *Clem. Alexandrinus*, *Athenagoras*, *Tertullianus*, ut de aliis nil dicam, Christum nonsolum Deum appellarunt, sed & omnes virtutes Numinis Majestati convenientes Ipsi attribuerunt. Ante æram autem Christi XXX. quâ Legatio hæc dicitur facta, nulla sunt monumenta ecclesiastica, ex quibus *Valesius* quicquam colligere poterat. (3) Ipsemet *Souverainius* in antecedentibus concesserat, Christum aliquando ab antiquissimis Christianis *Deum* appellari, sed id fieri, quod homo virtutibus excellens ad summam dignitatem fuerit evectus. At ubi quæritur quam potestatem primi illi nascentis Ecclesiæ alumni huic voci adscripserint, nonsolum vox illa Deus, sed & reliquæ appellationes & phrases sunt perpendendæ. Atqui nos docuimus, nonsolum Christum ab iis appellari Θεὸν, & cum articulo τὸν Θεὸν (cui articulo insignem vim, si *Socinianos* audias, ad probandum, eum qui hoc titulo insignitur, verè Deum esse, inesse existimant) sed & Filium Dei, τὸν μονογενῆ, ἀΐδιον, benedictum in secula, &c. Quod si hæ voces ad Apostolorum v. gr. Johannis, qui Christum à principio apud Patrem, & in sinu Patris, imo Deum fuisse testatur, mentem explicentur, patebit, Christum ita appellatum fuisse, antequam in terras descendisset, & per passiones viam ad cœleste regnum capessendum sibi stravisset. Instat *Souverainius*, ipsumque *Valesium* malæ fidei arguit, contendens, eum in textum *Eusebii Hist. Cap. II. Lib.*

VIII. ubi de Martyribus Phrygiæ dicitur, eos invocasse Christum, verba græca, τον ἐπι παντων Θεον, temere infarsisse, cum verba hæc neque in textu græco *Christophorsoni*, neque in versione latina *Ruffini* reperiantur, & hæc appellandi Christum ratio primitivæ Ecclesiæ consuetudini repugnet. At ego causam non video cur hic *Valesius*, quem jam jam tanquam testem causæ suæ produxerat, vapulet; nullus enim ego dubito, quin in quibusdam bonæ notæ Manuscriptis lectionem illam invenerit doctissimus vir. (2) A vero abhorret, phrasin hanc ab ipso *Eusebio* textui fuisse additam. Notum enim est *Eusebium Arianismi* non sine causa fuisse suspectum. Quid igitur ipsum commovisset, ut verba illa adjiceret? (3) Asserere, antiquissimos Christianos Christum pro mero homine habuisse, & propterea phrasin Apostolicis Scriptoribus usurpatam admittere nolle, regulæ Logicorum, quæ vetat το ἐν ἀρχῃ λαμβανειν, repugnat. Et cur tandem adeo exosa est hæc phrasis *Souverainio*, quam tamen *Paulus* ad Rom. IX. 5. usurpat dum Christum ἐπι παντα Θεον appellat? Ignoravitne insignis ille disciplinæ christianæ Propugnator, quomodo Christus sit appellandus? forte & hic suspectus est *Souverainio*. At conveniunt hic Codices græci Manuscripti omnes, versiones omnes, Patres item ante- & post- Nicæni, uti copiose ad h. l. docuit *Millius*. Imo ipse *Irenæus* phrasi hac usus est Lib. IV. cap. V. p. 232. edit. *Massueti*; postquam enim locum Matth. XXII. in quo Christus contra Sadducæos disputat, attulisset, hæc verba adjicit: *Per hæc utique manifestum fecit, quoniam is qui de rubo locutus est Moysi, & manifestavit se esse Deum Patrum, hic est viventium Deus. Quis enim est vivorum Deus, nisi qui est Deus super quem alius non est Deus?* Atque hæc ad vindicandum *Illustrem Pearsonium* sufficiunt. Plura equidem ad suam sententiam tuendam affert *Souverainius*, sed quæ jam quidem excutere non possumus.

Ostenditur, antiquissima illa testimonia de articulis Religionis, quibus subscripserant Christiani, nostram

XI. Dispiciendum nunc est, quid ex testimoniis antiquissimorum Christianorum de gravissimis Religionis capitibus ad tuendam nostram causam colligi possit. *Anonymus*, uti in prima nostra dissertatione prolixe docuimus, contendit, fidei christianæ nomine nonnisi perceptionem evidentem Numinis & proprietatum ejusdem essentialium intelligendam; cæteros articulos, de Trinitate, Satisfactione &c. utpote nulla arte intelligendos, mittendos esse, miraculorum in demonstranda Religione christiana rationem haberi non posse, quod multas ob causas falsi sint suspecta &c. Ostendimus autem

nos

nos contra antiquiſſimos & ætati apoſtolicæ proximos chriſtianæ diſciplinæ alumnos, momentoſiſſimos Religionis articulos de J. Chriſti Deitate, ʼενσαρκώσει, Satisfactione, de ipſius reſurrectione & miraculis admiſiſſe, & ad S. Literas, tanquam ad oracula divina provocaſſe. Ex quo per legitimas conſequentiæ leges ſequitur, ſanctiſſimæ hujus diſciplinæ alumnos, qui ab ore Chriſti & Apoſtolorum pependerant, de veritate horum articulorum vel ex ipſius Chriſti & Apoſtolorum ore, vel ex ipſis Veteris & N. Fœderis voluminibus, fuiſſe edoctos; Eosdem fuiſſe perſuaſos, articulorum memoratorum eam eſſe naturam, ut ad eſſentiam Religionis chriſtianæ pertineant; ſequitur, Anonymi fidei definitionem, ab ea, quam antiquiſſimi illi Chriſti & Apoſtolorum ſectatores amplexi erant, toto cœlo differre; ſequitur denique, proſcriptos ab eodem Religionis articulos ita ad eſſentiam Religionis chriſtianæ pertinere, ut ſine illis quid ſit Religio chriſtiana nequidem intelligi poſſit. Hoc primum eſt, quod ex teſtimoniis illis colligi poteſt.

ſententiam comprobare, Anonymo vero prorſus contraria eſſe.

Secundo loco velim attendi ad vitam antiquiſſimorum Chriſtianorum. Si quæ fides habenda antiquis rerum in cœtu chriſtiano geſtarum ſcriptoribus, fatendum, multos ex iis nobiliſſimis virtutibus eluxiſſe, & Religioni, quam profitebantur, admirabili conſtantia, inter mille perſecutiones & tormenta, ad ultimum uſque vitæ halitum adhæſiſſe. Non quæritur hic, utrum multi Viri docti non ultra modum pietatem Chriſtianorum primorum temporum extulerint, atque Chriſtianos tantum non omnes tanquam cœlo delapſos homines vel angelos depinxerint, quod non negamus; ſed utrum omnibus teſtimoniis, quæ quidem ab antiquiſſimis & fide dignis ſcriptoribus afferuntur, rite perpenſis, utrum, inquam, non jure aſſeri poſſit, omnis generis virtutes magis in primorum temporum, quam ſequentis ætatis Chriſtianis eluxiſſe. Certe niſi evidentiſſima quæque in dubium vocare, & ob præconceptas opiniones data opera alium in ſenſum rapere velimus, fatendum nobis erit, animis multorum illius temporis Chriſtianorum, ſinceram quandam & maſculam pietatem inſediſſe. Atqui ad probitatis illud, pietatis & amoris vere divini ſtudium compulſi fuerunt argumentis, ex ipſius Religionis chriſtianæ capitalibus articulis petitis; ex quo denuo ſequitur, eosdem non ſolum de veritate horum articulorum fuiſſe perſuaſos, ſed & hos ipſos articulos non eſſe ſonos ſenſu vacuos, aut propoſitiones inintelligibiles, quod *Anonymus* vellet, ſed veritates, quæ rite ad animum revocatæ plurimum valent, ad omnes veri rectique amantes perſua-

dendos & ad virtutis ſtudium inflammandos. Hæc quin ad refellendam *Anonymi* opinionem plurimum faciant, nemo non videt. Nimirum *Anonymo* & *Deiſtis* ſeculi noſtri vel repetendæ ſunt acerbiſſimorum Eccleſiæ chriſtianæ hoſtium criminationes, dicendumque vel fidem Chriſtianorum fuiſſe potius inflexibilem mentis pervicaciam & inſaniam, quam ſolidam perſuaſionem: aut omnia incentiva, quibus utebantur ad animum Religione & pietate imbuendum, hominiſi ineptis propoſitionibus niti; aut fatendum denique eſt, perſuaſionem tam alte animis infixam, tamque ſalubres edentem fructus, niti rationibus, quæ ad optimum quemque & ſanæ mentis hominem perſuadendum plurimum conferant. At neque primum, neque ſecundum ulla cum veri ſpecie tueri poſſunt, niſi prius probent, Religionis articulos à cordatis illis & ſanæ mentis hominibus admiſſos, omnibus rectæ rationis decretis eſſe contrarios. Hactenus autem, qualicunque tandem ingenii acumine polleant, hoc παράδοξον iis, qui verum à falſo rite diſcernere poſſunt, quique naturam Religionis chriſtianæ perſpectam habent, perſuadere non potuerunt. Non enim hic de una alterave ſingulari hypotheſi, de qua inter diſſidentes Chriſtianos lis eſt, agitur, ſed ſermo nobis eſt de articulis Religionis graviſſimis, quibus totum Religionis chriſtianæ ſyſtema innititur. Quod ſi dicant Religionem chriſtianam inter alia præcipue myſteriis eſſe ſuperſtructam, & inde petita eſſe pleraque ad pie vivendum incentiva, non negamus, ſed potius aſſerimus, Chriſtianos, uti oſtendimus ſupra, vi articulorum graviſſimorum, inprimis magni illius operis Redemtionis inductos, ad illum pietatis gradum progreſſos fuiſſe. Quo recentior autem rerum à Chriſto & Apoſtolis geſtarum fuerat memoria, eo firmior erat earum perſuaſio. Probandum ergo *Anonymo* & ſequacibus, aut articulos Religionis, de quibus perſuaſi erant primi illi ſanctiſſimæ diſciplinæ aſſeclæ, conſtare propoſitionibus mere contradictoriis; aut nulla plane incentiva ad animum convincendum eſſe apta niſi ea, quæ nitantur ideis adæquatis & propoſitionibus evidentiam mathematicam æquantibus. Sed neque prius, neque poſterius ſolide probare poſſunt. Non prius; quia nemo poteſt aſſerere contradictoriam eſſe propoſitionem, cujus terminos rite non intelligit. In myſterio autem Trinitatis, quod inprimis oppugnant, nondum perſpectum eſt, quid ſit *perſona*. (*) Non poſterius; quia poſita hac

(*) Lectu dignus eſt locus AUGUSTINI de hoc argumento. Ita enim Libro V. cap. 9. de Trinitate loquitur: „ Non audemus dicere unam eſſentiam, „ tres ſubſtantias; ſed unam eſſentiam vel ſubſtantiam, tres autem per-

hac hypothesi nulla plane Religio locum habere posset. Ipsa enim Religio naturalis sequentibus nititur propositionibus; Deum esse infinitum, æternum, sapientissimum, optimum, omnipotentissimum &c. &c. dari Providentiam ad omnia maxima, medioxima, minima, sese extendentem; dari leges naturales; mentem esse immortalem, Deum esse colendum; proximo bene cupiendum, &c. &c. At hæ propositiones omnes licet satis evidentiæ habeant ad sanæ mentis verique amantem hominem persuadendum, non tamen ad rigorem geometricum evehi possunt. De quo tamen argumento pluribus in sequentibus, ubi fundamenta, quibus innititur universum systema *Anonymi*, trutinabimus, agemus.

XII. Forte ingeminabunt quidam ex hac turba, detracturi nempe virtutum splendori primorum Christianorum, Viros doctos, v. gr. *Dodwellum* ostendisse, multa alia præter articulos Religionis ad acuendam & alendam Martyrum constantiam, gloriam nempe singularem, quam consecuturi sint Martyres, contulisse; *J. Clericum*, *Basnagios*, *Barbeyracium*, aliosque fassos fuisse, ardentius quam par erat, multos Christianos ad tormenta subeunda sese accinxisse; *Illustrem* denique *Leibnizium*, at quantum Virum! dixisse, Martyres cruciatus exquisitissimos sustinuisse non alia ratione, quàm forti imaginatione futuræ gloriæ. Multa ad hanc objectionem responderi possent, siquidem pro dignitate materiæ hæc excutienda jam quidem essent. Sed angustia chartæ jubet nos breves esse. Hoc igitur tantum dicimus, *primo* non omnibus narratiunculis, quæ in Martyrologiis de insolito martyrii gloriam obtinendi desiderio referuntur, fidem esse habendam. (2) *Dodwellus* non de omnibus Martyribus in genere & promiscue locutus est, sed de quibusdam tantum. (3) Argumenta *Dodwelli* non probant *solius gloriæ studio* pios illos homines tam professæ mortis audacem viam grassatos, sed hoc tantum; gloriam in cœlis exspectandam homines castæ Religionis amore incensos, & de veritate Religionis christianæ dudum persuasos, fortius ad talia subeunda & perpetienda stimulasse. Nihil autem in eo est quod rationis vel revelationis indoli

Expenditur objectio Incredulorum.

 contra-

„ sonas, quemadmodum multi Latini ista tractantes, & digni auctoritate „ dixerunt, cum alium modum aptiorem non invenirent, qui enunciarent verbis, quod sine verbis intelligebant. Revera enim cum Pater non „ sit Filius, & Filius non sit Pater, & Spiritus S. ille, qui etiam donum „ Dei vocatur, cum nec Pater sit, nec Filius, tres utique sunt. Ideoque pluraliter dictum est: Ego & Pater unum sumus. Dictum tamen „ est tres personæ, non ut aliquid diceretur, sed ne taceretur. „

contrarium ſit; nam & ipſa Revelatio ampliſſima piis promittit præmia, quæ animos ad graviter in ſtadio virtutis decurrendum vehementer commovere poſſunt. Quando vero Viri docti de vehementiori gloriam martyrii obtinendi ſtudio loquuntur, id de quibusdam duntaxat, quod lectio ipſa docet, intellectum, nihilque cæteris virtutibus Martyrum detractum volunt: fatentur enim, bonos viros contra amorem vitæ, altiſſime omnibus impreſſum, ad præſentiſſimam mortem feſtinaturos nunquam fuiſſe, niſi de Religionis chriſtianæ veritate & futuris præmiis fuiſſent perſuaſiſſimi. Martyres certe ex eadem conſtabant, qua cæteri homines, materia, iisdemque quibus reliqui, affectionibus erant obnoxii: dolores omnes fugimus, & procul à nobis eſſe volumus; quæ grata contra ſunt omni virium contentione quærimus. Non eſt igitur credibile, vanam duntaxat, nullisque rationibus ſuperſtructam ſpem, homines illos ad tanta pericula ſubeunda commoviſſe. Denique quod ad *Illuſtr. Leibnizii* judicium circa hoc argumentum ſpectat, verba ipſa, quantum ad hoc argumentum faciunt, ne alienam mentem ipſi tribuamus, Lectoris æqui oculis ſunt ſubjicienda. Extant illa *Otii Hanoverani pag.* 169. atque ita ſonant: *Conſtat, Martyres cruciatus exquiſitiſſimos ſuſtinuiſſe, non alia ratione quam forti imaginatione futuræ voluptatis, nam alioqui dolori aut voluptati obſiſtere nobis impoſſibile eſt, niſi contrariis oppoſitis. Sapientis erit, ſemel in univerſum ſibi firmiter imprimere pulchritudinem futuræ vitæ, id eſt, Dei, in quo conſiſtit & amor Dei ſeu harmoniæ rerum. Hanc ſi ſatis fortiter ſibi impreſſerit; ſi ex hac perpetuam voluptatem capiat; ſi hæc ſemper recurrat, duo ſequentur, tum ut homo ſemper agendo reſpiciat finem, tum ut nullis tormentis ab amore Dei ſeparari poſſit. Adeo ut in tauro Phalaridis beatitudinem unice cogitet, cum Stephano ſub lapidibus cælum ſibi apertum imaginetur. Hoc qui poterit, omni humana vi ſuperior erit, nec arte ſe in ſtuporem dandi, cum torquetur, indigebit. Hæc porro imaginatio cum aſſenſu conjuncta, id quod in fide divus Thomas piam affectionem vocat, amorem etiam Dei ſuper omnia, & contritionem, & proinde certam ſalutem continet. Sybaritæ præmia ei decernebant, qui nova genera voluptatis reperiſſet: Ego Rempublicam chriſtianam plurimum debituram ei arbitror, qui effecerit, ut ſumma ſit jucunditas in pietate.* ita Illuſtr. *Leibnizius.* Nemo non videt, *Leibnizium* nihil Martyrum virtutibus detrahere voluiſſe; conjungit enim cum illa imaginatione & futura ſpe certam animi de Religionis chriſtianæ veritate perſuaſionem,

nem, quæ si deest, nemo nisi planæ ratonis expers, tanta sibi præmia polliceri posset.

XIII. Instabunt alii, atque dicent, primos illos christianæ Religionis asseclas fuisse homines simplices, nullis disciplinis excultos, & ad quidvis credendum faciles, eumque in finem ad *Lucianum* (*) & ad *Celsum* (**) provocant, ex quo colligunt, nil aut parum valere omnia, quæ ex articulis Religionis, quibus primi Christiani subscripserunt, ad probandam articulorum illorum necessitatem & utilitatem petuntur. Sed & hæc objectio causæ, quam tuemur, parum obesse potest. Occurritur alii objectioni.

Primo enim rationem nullam video, cur in quæstione maximi momenti, virulentissimis potius Christianorum hostibus, quique neque naturam Religionis christianæ rite introspexerant, neque mores Christianorum ad rectæ rationis regulas unquam expenderant, quam vero testibus fide dignis, vitæ innocentia conspicuis, & Religionis christianæ fundamentorumque, quibus illa innitebatur, probe gnaris, fidem habeamus.

2.) Si plebem christianam cum pagana, & Eruditos inter Christianos cum iis conferamus, qui iis temporibus inter Gentiles eruditionis famam consecuti sunt, patebit, eos, qui ita ratiocinantur christianæ Religioni male cupere. Respiciamus hic saltem ad ea, quæ ad castum Numinis cultum Religionisque cognitionem, in quo non postremus eruditionis apex ponendus, pertinent. Plebs inter Paganos

(*) In morte Peregrini ita loquitur de Christianis Tom. II. edit. Amstel. p. 568. καταφρονουσιν ἁπαντα ἐξισης, και κοινα ἡγουνται ἀνευ τινος ἀκριβους πιστεως τα τοιαυτα παραδεξαμενοι, ἢν τοινυν παρελθῃ τις εἰς αὐτους γοης και τεχνιτης ἀνθρωπος, και πραγμασι χρησθαι δυναμενος, αὐτικα μαλα πλουσιος ἐν βραχει ἐγενετο ἰδιωταις ἀνθρωποις ἐγχανων. i. e. Omnia ex æquo contemnunt & communia putant, citra fidem accuratam talia recipientes. Si igitur aliquis ad ipsos veniat præstigiator & versutus homo, rebusque gerendis appositus, brevi admodum ditescit, simplicibus hominibus inhians.

(**) Apud Originem Lib. III. pag. 137. Μηδεις (inquit) προσιτω πεπαιδευμενος, μηδεις σοφος, μηδεις φρονιμος, ἀλλ᾽ εἰ τις ἀμαθης, εἰ τις ἀνοητος, εἰ τις νηπιος, θαῤῥων ἡκετω. Τουτους γαρ ἀξιους του σφετερου Θεου αὐτοθεν ὁμολογουντες, δηλοι εἰσιν, ὁτι μονους τους ἠλιθιους και ἀγενεις και ἀναισθητους, και ἀνδραποδα, και γυναια, και παιδαρια πειθειν ἐθελουσι τε και δυνανται. i. e. Nemo accedat eruditus, nemo sapiens, nemo prudens, sed si quis est indoctus, insipiens, infans, fidenter veniat. Hos enim Deo suo dignos verbis istis confessi, aperte declarant, solos stolidos & ignobiles, & sensu carentes, mancipia, mulierculas, puerulos inducere se velle ac posse.

nos stultissimis, ut notum est, de Religione erat imbuta opinionibus, atque sacrificulis potius, quam vero Philosophis vacivas præbebat aures. Christiani vero rudes & ἀπαίδευτοι in conventibus publicis Religionis christianæ decreta audiebant, & quam primum nomen dederant sanctissimæ disciplinæ, gradatim pro cujusque captu gravissima illius capita edocebantur. Si ad eruditionem eorum, qui inter Christianos tum temporis eminebant, & quorum ingenii monumenta ad nostram pervenerunt ætatem, respiciamus, nemo negabit, *Irenæum, Clem. Alexand. Originem, Just. Martyrem, Athenagoram* aliosque, nonsolum in historiarum monumentis, Poetarum & Philosophorum scriptis fuisse versatos, sed & Sacras Literas diligenter legisse, quamvis nonsemel cum propter linguæ hebrææ ignorantiam, tum ob nimium allegoriarum studium, cespitarint. Qualis fuerit contra Paganorum illius ætatis ignorantia circa disciplinas morales & Theologiam, nemo Eruditorum ignorat. Totam *Epicureorum* Theologiam & inde natam Ethicam nullis superstructam esse fundamentis, inter omnes constat. Qui Philosophiam *Pythagorico-Platonicam* excolere incipiebant, quidquid erat in Theologia christiana eximii, ad crassiorem idololatriam tegendam, & speciosis nugis speciem aliquam conciliandam trahebant, ita tamen ut mixtura illa nonnisi inintelligibilium & fanaticarum opinionum farraginem produxerit. Fusius hæc ostendunt Viri *doctissimi, L. Moshemius*, cum in adnotamentis ad *Cudworthi Systema Intellectuale*, tum singulari dissertatione, de *turbata per Recentiores Platonicos Ecclesia*, & *amicissimus Brukerus Hist. Philosoph.* Tom. III. Quicquid autem de eruditione horum hominum fuerit, certum est, plus bonæ frugis in brevissimis Theologiæ christianæ compendiis, quibus tum temporis utebantur Christiani, reperiri, quam in spissis Philosophorum illorum voluminibus.

3.) Homines ἀπαίδευτοι nullisque disciplinis exculti, sæpe ad examen serium Religionis instituendum sunt aptiores quam Eruditi, quos ambitio, anticipatæ opiniones & φιλαυτία plerumque impedit, quo minus ἀθερ παθων dissentientium sententias expendant.

4.) Plane non est verosimile, plebem, quæ in Christianorum castra transibat, neglecto omni examine Religioni christianæ nomen fuisse daturam. Obstabant enim opiniones cum lacte quasi materno haustæ, Sacrificulorum veneratio, rigor Persecutorum, inopia, qua laborabant primi Christiani, amor uxorum & liberorum, præceptorum Religionis christianæ severitas &c. quo minus agmine quasi facto ad

cœtus

cœtus Chriſtianorum confluerent, Sacrisque eorum initiarentur. Neque elemoſynæ, quas pro facultatum ratione lubentes diſtribuebant Chriſtiani, ad Paganos alliciendos multum conferre poterant, tenuisque fortuna ſectatorum Jeſu Chriſti, oculos hominum, delitias vel ſuave otium amantium, præſtringere non poterat.

5.) Tam futilis, inepta & rationi contraria erat Religio pagana publice recepta, ut difficile adeo non ſit intellectu, qua ratione homines non plane ſenſu communi deſtituti, & aliquo veritatis amore tacti, orta luce Evangelii, ſtultis opinionibus valedicere, & meliora, quæ manibus quaſi palpare poterant, ſectari potuerint.

6.) Ad pietatem maſculam, & vere chriſtianam, non opus eſt ſubtili ingenio, vel exquiſita eruditione. Perſuaſio de veritate Religionis chriſtianæ alte animo infixa; ſincerus Jeſu Chriſti Soteris noſtri amor, cum perpetuo ſtudio vitam ad præceptorum divinorum normam componendi, plus efficit, quam πολυμαθεια qualiscunque. Experientia certe omnium ſeculorum oſtendit, eos qui inanibus ſpeculationibus animos habent repletos, quique πολλων γραμματων καπνους, ut *Euripidis* phraſi utar, captant, raro cœleſtis ſapientiæ vim ſentire. Quo propiores autem Chriſtiani temporibus Apoſtolorum erant, eo magis etiam de veritate Religionis chriſtianæ poterant eſſe perſuaſi. Nititur enim hæc veritas potiſſimum reſurrectione Jeſu Chriſti. Hujus autem commemorabilis facti memoria recens erat, ita quidem, ut quod Viri Docti noſtræ ætatis magna rationum ἀκριβεια demonſtrare debent, id facile teſtium quantitate & qualitate poterat comprobari. Accedebat ἀυτοψια tot inuſitatorum donorum, ut vel ſtupidiſſimi palpare quaſi poſſent, Θειον τι hic intercedere, nec forte, ſed diſpenſante Numine hæc fieri. Atque hæc compenſare poterant, quæ eruditioni & ingenio deeſſe videbantur. Non is equidem ſum, qui omnibus narrationibus Veterum de ejectione Dæmonum, viſionibus &c. fidem habeam, ſimul tamen à me impetrare non poſſum, ut omnia plane Veterum teſtimonia pro ſuſpectis aut falſis habeam. Ita enim omnis fides hiſtorica tolleretur.

7.) Inter articulos Religionis, qui mentem ad pietatis ſtudium vehementiſſime incendere poſſunt, referri ſine dubio debet perſuaſio de immortalitate mentis, ſtatuque felici vel infelici poſt hanc vitam. Hic autem Paganis erat ignotus, aut ſi umbratilem aliquam ipſius cognitionem habebant, tot ineptis fabulis ea erat onerata, ut exiguam vim in animos eorum habere poſſet. Neque illi etiam qui Literas &

Philoſophiam excolebant, hunc articulum in ſyſtematibus publice receptis reperiebant. Cum autem contra Chriſtiani omnes promiſcue, quamprimum nomen dabant ſanctiſſimæ diſciplinæ, nonſolum de hoc mature edocerentur, ſed & ſingulos Religionis articulos huc tendere videbant, ut nimirum homines poſt hanc vitam veræ felicitatis participes redderentur, non poterat non eorum animus meliore luce circumfuſus vehementiſſime ad virtutem incendi. Atque eo magis ſpe certa ſecuturæ felicitatis animum paſcebant, quod non obſtante ipſorum pietate, vitam tamen moleſtam atque acerbam ducere debebant.

8.) Si illi inter Chriſtianos, qui diſciplinis exculti non erant, propterea ſincero pietatis ſtudio vacare non poſſent, neque ex articulis Religionis chriſtianæ colligere, quid homini ſalutis cupido faciendum ſit, tum colligendum eſſet, ne ipſos quidem Apoſtolos J. Chriſti vera pietate eluxiſſe, quod impium ſane & ineptum eſſet dicere. Ipſemet *Paulus* non ſemel aſſerit, ſe eruditum non eſſe. Quis autem hoc non obſtante neſcit, quam ſincero amore Jeſu Chriſti flagraverit? quis ignorat, quid pro tuendo & ampliando ejusdem regno fecerit, tentaverit & paſſus fuerit? cui ignota ſunt heroica illa verba ad *Philipp.* III. 8. ſq. extantia? ſi vero *Paulus* reliquique Apoſtoli ſincero pietatis ſtudio vacare poterant, quod eſſent firmiſſime de Religione chriſtiana perſuaſi, cur idem obtingere non potuiſſet aliis, qui iisdem ad recte vivendum præſidiis erant muniti? *Imo vero motiva, quibus nititur Religio chriſtiana, impulerunt Apoſtolos & primos Diſcipulos Chriſti, ad omnia abneganda & relinquenda, ad imitationem Magiſtri ſui, ad crucem ejus portandam, ad charitatem incredibilem & concordiam, ad communionem omnium bonorum. Hæc moverunt tot peccatores induratos ad reſipiſcentiam, tot Confeſſores ad conſtantiam, tot Martyres ad mirificam patientiam infamiæ, ſuppliciorum, mortis denique atrociſſimæ: quid dicam patientiam? ad martyria glorioſis mortibus avidius quærenda, ut ait Sulpicius, quam nunc Epiſcopatus pravis ambitionibus petuntur*, verba ſunt *Celeb. Werenfelſii* τȣ Μακαρίτȣ, *Diſſert. de S. Scripturæ ad virtutem Incitamentis pag.* 137. *Edit. primæ.*

9.) Quod ſi denique ſyſtemata Philoſophorum tum temporis recepta, principia cum theoretica tum practica, cum Religionis chriſtianæ dogmatibus ἀθρόως πάντων conferantur, & quam vim utraque in animos hominum habere potuerint, examinemus, manifeſtiſſimum erit, principia philoſophica tum temporis recepta, nullo firmo & certo ad pie vivendum incentivo inſtructa fuiſſe. Facile hoc, ſi inſtituti ratio id

pate-

pateretur, ostendi posset; Religio contra christiana nonsolum omnes articulos, quos ipsa ratio hominem sanæ mentis edocere potest, admittit, sed & plura alia inculcat, quæ hominem officii sui commonefacere & ad veram pietatem vehementer impellere possunt. Talia inter alia erant resurrectio J. Christi, & miracula ab ipso & Apostolis præstita, ut de aliis articulis Religionis nil dicam. Horum autem nihil plane in Philosophorum scholis audiebatur. Ex quibus simul facile judicari potest, qualis Paganorum virtus fuisset, si vel maxime omnes receptæ tum temporis Philosophiæ sinus perreptassent.

Ultima examini subjicitur objectio.

XIV. Sed & alii occurrendum est difficultati. Sunt enim qui dicant, Ethicam primorum Christianorum, quantum ex monumentis illius ætatis colligi possit, claris & certis principiis non fuisse innixam, neque omnia dogmata inter se connexa esse; systema autem tam male cohærens exiguam in animum hominis, qui nonnisi incentivis, quæ ex certis principiis repetuntur, ad recte agendum impelli solet, vim habere. At (1) hæc objectio hoc nititur fundamento: nimirum neminem posse esse pium, nisi principia, quibus superstruitur Religionis cultus, mathematicam æquent evidentiam. At probari hæc prius propositio deberet, antequam pro axiomate nobis obtruderetur. Multa obstant quo minus illi vacivas præbeamus aures. Repugnat enim illa fini, quem Deus O. M. intendit, creando creaturas rationales, angustis cognitionis terminis inclusas. Voluit nimirum Deus mortalibus consulere, iis viam ad felicitatem perveniendi monstrare, cum per rectæ rationis, tum per Revelationis decreta. Ex quo sequitur, Religionem omnium ingeniis debere esse attemperatam. Talis autem non esset, si ex meris definitionibus, propositionibus & demonstrationibus, vinculo quodam necessario inter se connexis, & difficili ratiocinatione investigandis constaret: paucissimi enim mortalium vel ea pollent mentis acie, ut nexum ejusmodi propositionum rite possint intueri; vel in eo vitæ statu positi sunt, ut sufficiens tempus ad rite examinandum ejusmodi systema habeant. (2) Neque verum est, Ethicam Christianorum nullis certis principiis fuisse superstructam. Credebant Jesum miraculis illustrem in vitam esse revocatum, ut de doctrina ipsius nil dicam. Ex quo per legitimas consequentiæ leges sequi merito putabant fundamentalem hanc propositionem: Religio christiana Deum habet auctorem: Ex hac innumera poterant nectere consectaria ad pietatis studium quammaxime facientia, v. gr. Patrem cœlestem supra omnia esse amandum; in redemtione J. Christi

unicam salutis spem reponendam; pro sanctissima ipsius disciplina quælibet esse tentanda & patienda &c. &c. Ut autem in formam artis redigeretur hæc disciplina, neque necesse erat, neque status nascentis Ecclesiæ permittebat. Dignitas & auctoritas Jesu Christi, qui salvare potest & perdere, miracula ipsius, disciplinæ ab Ipso traditæ præstantia, id omne efficere poterat, quod in disciplinis primorum principiorum, quibus systema superstruitur, evidentia atque certitudo præstare solet. (3) Qui ita ratiocinantur, videntur existumare, hominem christianum nonnisi perpensis principiis theoreticis, quibus innititur Religio christiana, ad pie vivendum commoveri, in quo tamen vehementer falluntur. Qui enim semel cum cura S. Literas evolvit, plurima offendet loca, ex quibus manifestissimum est, Deum gratia & auxilio suo bonis adesse, pietatisque sinceræ studiosos ad rite decurrendum virtutis stadium præparare & adjuvare. Hic favor Dei erga suos ubi adest, menti ingenerat castissimum Dei amorem atque studium singulare, omnia officia, quæ à Christiano postulantur, præstandi, idemque voluntatem nostram ad bonum omne faciendum magis inclinare & flectere solet, quam rationum evidentia. Denique (4) hæc objectio plus probat, quam probandum est, adeoque nil probat. Probaret nimirum, neminem mortalium pium esse posse, quod ἄτοπον. Principia Religionis christianæ, inquiunt hi homines, non sunt ejus evidentiæ & certitudinis, ut homo perspicax & veri amans, iis, tanquam indubiis ad pie vivendum incentivis secure uti possit, talis autem ubi desit, veri nominis pietatem locum habere non posse. At qui ita ratiocinantur, non cogitant, capita Theologiæ Naturalis de Deo, ejus attributis, de Providentia, legibus naturalibus, immortalitate mentis ita esse comparata, ut ad evidentiam geometricam non accedant. Unde sponte sequeretur (quod & supra jam monuimus) etiam eos, qui talibus principiis innituntur, ad recte agendum commoveri non posse, atque adeo pietatem vanum esse nomen. Hanc autem sententiam, tota quanta est, ad omnem virtutem ex animis hominum evellendam compositam esse, & nonnisi ab homine omnis Religionis experte defendi posse, vel me tacente quilibet videt.

DISSER-

****

DISSERTATIONUM
DE
RECENTIORUM QUORUNDAM
ERUDITORUM PRÆPOSTERIS
ADVERSUS
INCREDULOS
DISPUTANDI METHODIS,
PARS TERTIA.

Thes. I.

IN duabus prioribus Dissertationis nostræ partibus, *Auctori Epistolarum de Religione Essentiali* oppositis, tria potissimum probare voluimus, quæ junctim considerata & expensa, in compendio infirmitatem systematis Anonymi ostendere possunt. *Primum* est: Tantum abesse, ut nova hæc methodus Anonymi ad convincendos Incredulos aliquid possit conferre, ut potius non possit non eorum animos, siquidem convenienter principiis ab Anonymo positis ratiocinentur, à christiana Religione reddere alienos. *Secundum* est: Definitionem ab Anonymo adhibitam, quod nimirum illa sit perceptio evidens Numinis & proprietatum ejus essentialium, nonsolum esse mancam valde & imperfectam, ad impossibile obligantem, sed & naturæ Religionis christianæ, ejus dogmatibus & incentivis ad pietatem à diametro oppositam. *Tertium* denique est: Antiquissimos & ævo apostolico proximos christianæ disciplinæ alumnos, qui vel ab ipso ore Apostolorum pependerant, vel ex Sacris Literis Religionis christianæ articulos didicerant, aliter plane de natura fidei salutaris fuisse edoctos; ex quo, si alia argumenta non adessent, omnes, qui Scopus hujus Dissertationis.

veri, Religionis inprimis ſtudio & amore capiuntur, ſatis colligere poſſunt, quid de Religione eſſentiali Anonymo commendata ſit ſentiendum. Id certe eſſentiam Religionis chriſtianæ conſtituere non poteſt, quod nonſolum à natura, genio & indole Religionis chriſtianæ plane eſt alienum, imo nequidem neceſſarios Religionis naturalis articulos complectitur, ſed quod ſimul etiam graviſſima Religionis revelatæ capita tollit, & miracula, quibus illa confirmantur, reddit ſuſpecta & dubia. Hiſce in genere de ſyſtemate *Anonymi* allatis, progrediendum nunc eſſet cum ad principia, quibus ſententiam ſuam ſuperſtruxit, examinanda; tum ad expendendas rationes, quibus commotus præcipuos Religionis chriſtianæ articulos adortus eſt. Cum autem facile pateat, in longum tempus protractum iri examen libelli ab *Anonymo* editi & ſecunda parte aucti, ſi ſingulis duntaxat annis de hoc argumento ederetur diſſertatio: Amici, quibus multum tribuo, rogarunt, ut ſine ulteriore mora ſingulari volumine, & quidem paulo plenius & uberius, Anonymi ſententias & objectiones expenderem. Huic præſtantiſſimorum virorum conſilio album adjeci calculum, atque ſi quid ab aliis negotiis reſtabat temporis & otii, elaborando huic operi impendere incepi. Dabitur ita nobis occaſio ampliſſima nonſolum de graviſſimis Religionis capitibus diſſerendi, ſed & in hæc vel illa capita attentione noſtra digna, neque à ſcopo aliena inquirendi, & præcipuas modernorum Incredulorum objectiones excutiendi. De quibus tamen uberius bono cum Deo in præfatione operi præmittenda, agemus. (*)

Auctor progreditur ad alios recentiores, qui præpoſteris adverſus Incredulos diſputandi uſi ſunt, methodis.

II. Cum autem alii etiam ſint Viri eruditione ſingulari in cæteris inſtructi, qui præpoſteras quaſdam Incredulos convincendi methodos commendarunt, conſtitutum nobis eſt in hac diſſertatione & ſequentibus eas ad examen revocare. Ita nobis occaſio dabitur nonſolum oſtendendi, quam parum ita Viri Docti conſulant Religioni chriſtianæ, ſed & vindicandi Proteſtantium decreta & methodum probandi veritatem capitum Religionis chriſtianæ graviſſimorum. Nemo inſtitu-

(*) Mutavi conſilium, poſtquam editis his diſſertationibus, plurimiſque in chartam conjectis obſervationibus, percepiſſem plures doctos Viros integris tractatibus libellum de Religione Eſſentiali impugnaſſe. Præter enim Reverendum ROCHES, Paſtorem Genevenſem, Anonymus Gallus ſingulari libro eum refutare aggreſſus eſt. Erudite pariter inter noſtros, edita ſingulari diſſertatione, in principia Anonymi inquiſivit clariſſimus & eruditiſſ. Vir, JOH. JACOBUS BREITINGERUS, Collega noſter conjunctiſſimus.

institutum nostrum improbaverit, qui cogitabit, nihil Theologis & Religionis christianæ defensoribus omittendum esse, quod ad eam tuendam, hominesque sinistris opinionibus captos revocandos, facere potest. Possunt autem in catalogum eorum, qui præposteris adversus Incredulos utuntur methodis, in genere quidem referri omnes illi, qui aut ignorantia, judicii imbecillitate & præjudiciis sectæ abrepti, male sanctissimam Religionem defendunt; aut qui erroneis sententiis & falsis argumentationibus ad eos convincendos utuntur, & adversariis, etiam ubi id salva veritate & conscientia fieri posset, credere nolunt: sed quandoquidem illi ita agendo existimant se veritatis causam serio agere, atque præter intentionem suam adversariis causam suppeditant errores suos tuendi, inter eos à nobis hic non referuntur, quibus differendi præpostera methodus vitio datur: sed illi inprimis sub censuram vocandi, qui data opera tales methodos & hypotheses effingunt, quas ad lucrandos Incredulos aptas esse putant, quæ tamen ita sunt comparatæ, ut potius iis Increduli uti possint ad errores suos palliandos & defendendos. Retulimus autem in prima nostra dissertatione de hoc argumento conscripta in hunc numerum præter Anonymum Gallum, cujus sententiam hactenus expendimus, duos Ecclesiæ Romanæ Doctores dignitate & eruditione eminentissimos, nimirum P. D. *Huetium*, *Episcopum olim Abrincensem*, & *Fenelonium*, *Archi-Episcopum Cameracensem*. *Prior* contenderat, ad demonstrandam veritatem Religionis christianæ, & ad revocandos Incredulos, Philosophiam scepticam esse excolendam, illiusque principiis esse utendum, ut animus hinc inde difficultatibus pressus, ad Religionem recurrat. *Posterior* vero asseruerat, Deistis ad Religionis christianæ professionem adducendis nullum aliud auxilium esse relictum quam hoc: nimirum ut missis discussionibus omnibus, quibus utendum esse Protestantes contendunt, ad infallibilis judicis, i. e. Pontificis Romani tribunal tanquam ad sacram quondam anchoram confugiant. De prioris systemate in hac dissertatione; de posterioris vero sententia in sequentibus agemus.

III. Antequam vero ad ipsum systema Illustris Episcopi venio, monendum est, Pontificios, ad eos, qui ab Ecclesia Romana discesserunt, reducendos, variis semper usos methodis. Nil dicam de *Fratrum Walenburgiorum*, *Veronii*, atque *Gontierii* conatibus; nil de Præscriptionis jure contra nos usurpando; nihil de generalibus præju-

Pontificii diversis utuntur methodis ad convellendos Protestantes.

præjudiciis, quæ nostris opponenda clamant; nihil de falsis pigmentis, quibus errores in doctrina & cultu occurrentes exornare, & aliam plane, quam quæ revera est, Ecclesiæ catholicæ speciem exhibere voluerunt: Nihil de varationibus, quas ex libris nostris symbolicis colligere solent, ad ostendendum, Protestantium principia nullis certis fundamentis esse superstructa, hac vice in medium proferam. Hoc unum dicam, quod missis aliis nos impugnandi methodis à longo jam tempore nonnisi *Viam Auctoritatis* commendent, Viam vero *Examinis* prorsus proscribant. Hanc putant esse tutissimam in gremium catholicæ Ecclesiæ nos reducendi viam. *Solent nimirum homines potentes, si cum inferioribus litigant, illos rationibus primum adoriri: at simul atque vident, nihil se iis efficere, auctoritate agunt. Hac si dissidentes ad assensum non compellunt, saltem disputationem sua, ut putant, persona indignam, abrumpunt. Ita fere tractamur ab Ecclesia Romana. Hæc aliquandiu argumentis nobiscum certare dignata est: non eo, quem optavit, successu. Nunc vero indecens matri Ecclesiæ videtur ulterius ratiocinari cum liberis insolentibus, qui non erubescunt rationibus rationes opponere.* Auctoritatem *hodie*, Auctoritatem unice *nobis opponendam statuit. Hac ita nos tandem se perculsuram sperat, ut sibi obloqui dehinc non ausimus.* Verba sunt τῦ Μακαρίτυ *Celeb. Werenfelsii, Dissert. Apolog. pro plebe christiana &c.* Cap. I. Hunc finem autem obtenturi omnes ingenii nervos intendunt, ut quantis difficultatibus prematur *via Examinis*, pateat. Hinc ab una parte ad ingenii humani imbecillitatem, ad plebis ignorantiam, ad præjudicatarum opinionum vim & efficaciam, ab altera vero ad rerum revelatarum cognoscendi difficultatem; ad opinionum, quæ inter Protestantes ortæ sunt, diversitatem & numerum, denique ad versionum, variarum lectionum & interpretationum discrepantiam, ut alia mittam, provocant. Ita enim aliter fieri non posse putant, quam ut repræsentatis tot dubiis & difficultatibus ad judicem aliquem infallibilem, misso omni examine, sine mora recurramus, & in voluntate illius secure acquiescamus. Hac methodo inprimis usi sunt Galli, *Papinus*, *Nicolius*, *Pelissonius*, *Bossuetus*, aliique plures. Quam vana vero sit hæc methodus, quamque parum conducat ad nos in gremium S. Matris Ecclesiæ reducendos, abunde à Viris doctis est ostensum; de quibus & nos in sequentibus aliquid monebimus. Neque hoc contenti, non eos tantum qui ab Ecclesia Romana secessionem fecerunt, & in varias

sectas

fectas divisi fuere, hac ratione facile adduci posse, ut Ecclesiæ decretis subscribant, putant; sed & Deistas ipsos his armis expugnari posse credunt. Is certe, qui vitam *Illustris Fenelonii* conscripsit, contendit, se olim Deistarum in numero fuisse, ad Religionis catholicæ vero professionem adductum à *Fenelonio*, *via Auctoritatis*. Quo jure autem, aut quam feliciter hoc factum sit, in sequentibus disquiremus.

Repræsentatur sententia Ill. Huetii de modo Religionis christianæ veritatem probandi, hominesque ad fidem habendam Religioni christianæ præparandi.

IV. Agendum autem nobis est in hac dissertatione de mente *Illustris Huetii*, inter eruditissimos, quos superiore seculo Gallia habuit viros, merito referendi. Hic in tractatu posthumo, scripto de *Imbecillitate humani ingenii*, scepticam philosophandi methodum tanquam optimum animum ad religionem præparandi & adducendi medium commendavit, secutus hac in parte *Montanum* & M. *Vayerium*. Quod si hoc duntaxat voluisset Ill. Vir, nimirum diligenter esse vacandum culturæ rationis, iisque disciplinis, quæ docent, quanta mentis acie opus sit ad verum inveniendum & probandum, ad rerum divinarum & humanarum naturam pervestigandam, cum nempe inter alia præcipue in finem, ut discamus de rebus divinis & captum nostrum superantibus, quæque valde imperfecte in hac rerum caligine cognoscimus, sobrie & modeste sentire & loqui: si hoc unum inquam intendisset Vir celeberrimus, nemo esset, qui consilium hoc comprobaturus non fuisset. Quo quis enim magis nobilioribus disciplinis vacat; quo magis in fundamenta, quibus divinæ & humanæ disciplinæ innituntur, inquirit, & doctissimorum atque acutissimorum Virorum scripta evolvit; eo magis etiam de imperfectione & imbecillitate ingenii humani & scientiæ nostræ persuadebitur. At constat ex hoc libello quam clarissime, illustrem Virum, ipsum *Pyrrhoniorum* Systema, tanquam omnium optimum homines de Religionis christianæ veritate convincendi medium commendare & probare. Mirum autem est, Virum tam vasta rerum scientia instructum, totque disciplinis excultum, videre non potuisse, posita veritate systematis sceptici, omnem Religioni non tantum naturali, sed & revelatæ decedere fidem & auctoritatem. Nemo enim non videt, quod si neque in ratione, neque in sensibus, quod contendunt *Pyrrhonii* & post eos *Huetius*, detur veri κριτηριον, impossibile esse, ut sine formidine erroris propositioni sive revelatæ, sive è ratione sola petitæ, subscribere possimus. Hinc etiam factum est ut quidam Viri docti in Gallia

Tom. II. N dubita-

dubitaverint, (*) utrum hujus libelli post excessum demum suum editi verus Auctor esset *Huetius*: at præterquam quod illi, qui familiarissime eo utebantur, inter quos erat Abbas *Olivetus*, sufficienter hoc comprobaverint, notum est *J. Clericum* ipsum Manuscriptum Illust. Viri vidisse & manum ipsius, quæ ipsi ex commercio Literarum, quod ipsi cum eo intercedebat, nota erat, probe cognovisse, ut de aliis indiciis, quæ ex collatione aliorum operum à *Huetio* editorum desumi possunt, nil dicam. Certe ex *Quæstionibus alnetanis*, in quibus de concordia rationis & fidei agit, haud obscure constat, eum *Pyrrhoniorum* decreta maximi fecisse. Mirum autem hoc eo magis est, quod doctissimus Vir notissimum opus *Demonstrationis Evangelicæ* scripserit, in quo veritatem Religionis christianæ contra Deistas, Mahomedanos & Judæos evidenter demonstrari posse tuetur, eumque in finem methodo usus est mathematica. Verum quidem est, eventum non semper respondisse promissis; dudum enim notum est, multis conjecturis & propositionibus, nil minus quam evidentiam mathematicam complexis, opus alias egregium repletum esse. Interim tamen serio id egisse ut Religionem nempe christianam probaret, dubium non est. Neque igitur asserimus, eum data opera systema *Pyrrhoniorum* defendendo Religioni omni bellum indicere voluisse. Quantum enim ex Scriptis ejus & universa vitæ ratione constat, de Religione christiana sensit præclare. Hinc ipsemet *Commentario de rebus ad Eum pertinentibus* pag. m. 17. de se sequentia testatur: *Exinde vero* inquit (i. e. à seculi proxime præterlapsi anno octogesimo primo) *per continuos triginta annos nulla abiit dies, quin duas tresve horas studio hebraico impenderim, vel libris sacris evolvendis, vel terendis Rabbinorum scriptionibus, nullis absterritus vel itinerum vel negotiorum impedimentis: ita ut omnes divinæ legis Libros ebraice scriptos, quater & vicies à capite ad calcem hactenus perlegerim.* Quid igitur rebus ita comparatis de instituto *Illustris Viri* dicendum? Hoc unum nempe, Virum ob vastissimam variorum Auctorum lectionem & amorem singularem, quo ferebatur in Philosophiam scepticam, impeditum fuisse, quo minus cerneret, quantum detrimenti adferret hæc philosophandi methodus Religioni; & simul tamen existimasse, eam non parum conferre ad commovendos omnes, qui à catholica Ecclesia secessionem

(*) Vide Commentarios Trivoltienses ad annum 1725. mens. Junii.

nem fecerunt, ut perſpectis tot dubiis, quæ in examine rerum divinarum occurrunt, ad Eccleſiæ decreta, tanquam ad ſacram aliquam anchoram confugerent. Poſtremum hoc clariſſime patet ex primo libro quæſtionum alnetanarum. Neque obſcure hoc fatetur Jeſuita *Baltus* in epiſtola data ad Abbatem *Olivetum*. Vide la *continuation des Memoires de Literature & Hiſtoire*. Vom. II. p. 1. Idem Vir doctiſſimus, qui omnes eruditionis angulos perreptaverat, & incredibili ſtudio Literis, philoſophicis etiam & mathematicis vacaverat, credulitati tamen & ſuperſtitioni, quæ à Doctis abeſſe procul debent, deditus fuit. Vide quæſo carmen in laudes *B. Virginis*, in templo prope *Cadomum* poſitæ pag. 107. & S. *Genoveſæ* pag. 137. *Commentario de vita ſua*, ſcriptum, & putabis te non Epiſcopum chriſtianum, ſed potius Poetam, Auguſti ætate viventem audire, canere laudes alicujus Divæ. Ex quo ſane ingenii humani varietas & vanitas eluceſcit, exemploque eſſe poteſt, quam facile etiam in virorum doctiſſimorum & acutiſſimorum animos irrepat error. Incidit mihi aliud exemplum, quod bona cum venia Lectoris hic adducam. Narravit nimirum mihi aliquando Vir eruditus, ſe familiariter, dum Pariſiis degeret, uſum fuiſſe *Malebranchio*, Viro, ut notum eſt, acutiſſimi ingenii, ſæpiſſimeque cum eo, ut aliis de rebus, ſic de Religione præcipue collocutum. Hunc pro ingenii ſagacitate, quâ inſtructus erat, doctiſſime ſemper de iis, quæ in medium proferebantur, diſſeruiſſe; quam primum vero mentio ſeceſſionis noſtræ ab Eccleſia Romana inciderit, hominem vehementer fuiſſe animo commotum, atque dixiſſe, ſe non poſſe ſatis admirari & deplorare miſerandam & incredibilem noſtræ mentis cæcitatem atque pervicaciam, quod Eccleſiæ Romanæ decretorum inconcuſſam veritatem cultusque præſtantiam, nec cernere aut approbare velimus. Imo eousque ſæpe acutum Virum progreſſum, ut lachrymis copioſe erumpentibus genas ſuas propterea rigaverit. At non mihi tantum, homini haud acutum cernenti, ſed doctiſſimis acutiſſimisque Viris, decreta præcipua Romanæ Eccleſiæ cultusque adeo ab omni ratione videntur aliena, adeo cum natura Religionis chriſtianæ, & λογικης λατρειας pugnantia, ut miremur, qua ratione Vir ſapiens & Religionis probe gnarus his ſubſcribere poſſit.

V. At veniendum eſt paulo propius ad Celeb. Epiſcopi ſyſtema, atque videndum, qua ratione mentem ſuam explicet. Poſtquam nimirum in citato libello omnia argumenta, quibus *Pyrrhonii* uti ſolent, ad

Ulterius ſententia ipſius exponitur, &

generalia quædam contra eam afferuntur argumenta.

ad probandum, nullum dari veri κριτηριον, in medium protulerat, atque eorum mentionem injecerat, qui huic sectæ inter Veteres nomen dederunt, pluribus objectionibus, quæ quidem huic systemati opponi possunt, occurrere nititur. Inter præcipuas autem sine dubio hæc est, quod nimirum posita veritate hujus systematis, Religio christiana in tuto collocari non possit. Cum enim Religio christiana partim probetur per facta, partim vero innitatur certis quibusdam veritatibus, ex natura rei petitis, nemo non videt, posito systemate *Pyrrhoniorum*, veritatem illius probari nulla ratione posse. Factum nititur testibus, qui rem aliquam viderunt vel audiverunt, adeoque sensibus usi sunt. Ita inter alia veritas resurrectionis Jesu Christi probatur testimonio multorum, qui Jesum in vitam revocatum viderunt: quod si vero, ut volunt *Pyrrhonii*, sensibus fides haberi non possit, testibus etiam assentiri non possumus: verum pariter esse non potest quosdam dari certos Religionis articulos, quibus subscribere teneamur, quoniam secundum hos nullum in mente datur veri κριτηριον. Quid ad hoc respondeat Ill. Vir, infra videbimus. Mens ejus summatim huc redit. Nimirum posita veritate systematis sceptici, connitendum esse homini huic sectæ addicto, ut sentiat & quidem profunde, rationem suam ita esse imbecillam & corruptam, ut ope illius veritatem cernere nulla ratione possit: videndum igitur utrum aliunde lucem accipere possit; accedendum ergo tali esse ad Revelationem; ad eam autem admittendam adesse *motiva*, ut in scholis loquimur, *credibilitatis*; at hæc non esse causam cur credamus, & assensum illis datum non esse certum sed dubium: necesse igitur esse ut supernaturale donum, i. e. fides accedat; hanc nebulas omnes, & quidem solam dispulsuram, atque effecturam, ut mens dehinc in agnita veritate adquiescat. Ex hisce simul posse colligi, quanta sit Philosophiæ scepticæ utilitas; Dogmaticorum contra fastum impedire, quo minus homines Religionis christianæ decretis ex animo subscribant. Hæc jam nobis sunt paulo prolixius examinanda, Ante omnia autem monemus, animum nobis non esse, principia, quibus nititur omnis nostra cognitio, explicare & tueri, vel Scepticorum placita examinare; pertinent enim hæc ad aliud forum. Hoc unum agemus, ut ostendamus, tantum abesse ut hæc philosophandi ratio animum ad amplectendam Religionem christianam inducat, ut potius eum reddat plane ab ea alienum.

Et

Et principio quidem fatemur, fastum quorundam hominum, quos *Huetius* Dogmaticos vocat, obstare, quo minus vel Religioni christianæ in genere, vel articulis quibusdam in specie subscribant: at non omnes, qui *Sceptici* non sunt, fastu turgere dicendi sunt, nisi ponas, solos *Pyrrhonios* sapere, cæteros omnes, qui verum cerni posse ajunt, desipere. Revera hæc objectio facile retorqueri potest in eos, qui supremum sapientiæ gradum in ἀκαταληψία ponendum esse ajunt, cæterosque mortales omnes in crassissima rerum ignorantia versari existumant.

2) Illustr. Episcopus fidem male distinguit & divellit ab argumentis, quibus illa superstructa est, & perperam asserit, illis argumentis, quæ motiva credibilitatis in scholis vocantur, nullam persuadendi *verum* inesse vim. Fides in genere sumta, argumentis debet esse superstructa. Argumenta efficiunt, ut mens assentiatur. Hæc si tollas, nulla potest esse legitima persuasio. Et quid opus est scribere *Demonstrationem Evangelicam*, si omnibus tandem argumentis nulla persuadendi inest vis atque efficacia?

3) Confundit Doctissimus Vir argumenta, quibus fides innititur, cum auxilio gratiæ Spiritus S. Ea quæ mentem adducunt & commovent, ut his vel illis Religionis articulis subscribamus, vocantur rationes, vel argumenta; quo clariora hæc sunt, eo magis etiam mentem ad assensum inclinant. Gratia Spiritus S. hoc unum efficit, ut mens positis præjudicatis opinionibus & affectionibus, ad ea argumenta rite attendat, voluntasque ad amorem veri flectatur. Si quis v. gr. oculis armatis propius intuetur aliquod objectum, nemo propterea dicet, instrumentum ipsum videre, sed effecisse duntaxat, ut oculus magis acutus fuerit ad cernendum; ita pariter Spiritus S. auxilium efficit, ut homines vim veritatis sentiant; persuasio vero ipsa attribuitur argumentis animum convincentibus. Vid. τȣ μακαριτȣ *Celeb. Werenfelsii Dissert. Theolog. VIII.* in qua pag. 182. ingeniosa parabola hoc ipsum in clarissima collocat luce.

Quod si vero fidem omnibus argumentis destitutam esse dicas, jam nil habes præter operationem Dei physicam, & enthusiasmus à fide vera nulla ratione poterit distingui. Mirum est postremum hoc nobis objici à Pontificiis, dum Ecclesiæ hujus *Præsul longe celeberrimus* huic errori patrocinatur, quando argumentis omnibus, quibus fides superstructa esse debet, vim nullam certam persuadendi inesse putat.

4) Impossibile est, ut is, qui scepticam sequitur philosophandi methodum, Religioni nomen dare possit. Requiritur enim primo, ut credat articulos, quos ipsa præscribit Religio naturalis; credere debet insuper certos dari Revelationis characteres: asserere debet, Deum contradictoria & virtutibus suis contraria credenda imponere nemini posse; credere tandem, ut uno verbo dicam, tenetur Revelationem à mendaciis & fabulis distingui posse. At quomodo tandem id fieri potest, si nullum datur veri κριτηριον? quomodo poterit unquam velle *Pyrrhonius* ad ejusmodi instituendum examen accedere, postquam regulam nullam, juxta quam verum à falso distingui possit, admittit; præsertim ubi audit aliquem dicentem, ipsis argumentis seu motivis credendi, nullam inesse *verum* persuadendi vim? Illustris Vir in sua *Demonstratione Evangelica* pag. 6. & alibi inter motiva credibilitatis refert miracula, prophetias, doctrinæ evangelicæ propagationem, disciplinæ præstantiam. Ad hæc attendere debet incredulus huic sectæ addictus, eaque serio examinare: at si ante omne institutum examen firmiter credit, nullum dari κριτηριον veri, quid tandem eum commovebit, ut Religionem examinet? Verbo: aut credit ejusmodi homo, antequam ad examen Religionis accedit, dari certos aliquos characteres, secundum quos examinari debeant argumenta, quibus Religio christiana probari solet, aut non tales dari: Si *prius* est, Scepticus esse desinit; si *posterius*, examen illud protinus abjiciet. Et sane qui Scepticum commovere vult, ut expendat rationes, quibus Religio superstructa est, idem facit ac is qui hominem cæcum quærentem viam hortaretur, ut instrumento oculis aptato objecta intueatur: *Si adeo obtusa est mens humana* (ut ipsis utar Ill. Præsulis verbis, quæ *Quæst. Alnet.* cap. II. extant) *adeo infirma ratio, incertum utique est quicquid suadet ratio & in dubium revocandum. Suadet autem per motiva credibilitatis suscipiendam esse fidem. Dubitandum est igitur an fides suscipienda sit: cumque obscura sit & incerta ratio, incertus utique & obscurus est ille ad fidem per rationem aditus.* Quibus quantum labefactetur fides facile intelligitur.

5) Qua ratione tandem adduci poterit incredulus, Philosophiæ scepticæ addictus, ut credat, Deum auxilium quoddam internum daturum ei, qui articulis Religionis christianæ subscripserit, si nulli propositioni firmo animi assensu adhærendum esse ante statuit? si ne quidem in geometricis demonstrationibus acquiescere vult Scepticus,

quomo-

quomodo præparabitur per motiva credibilitatis, quibus tamen, judice ipso *Huetio*, nulla certa ad persuadendum vis inest?

6) Contendit *Illustris Præsul.* pag. 322. de imbecillitate mentis humanæ, non obstante luce illa cœlitus data, assensum tamen manere *obscurum.* At quomodo adquiescere poterit Scepticus in obscuris propositionibus, cum ne claras quidem admittat, & utramque in partem de quolibet argumento disputari posse concedat? confundit *Huetius* objectum, cui innititur fides, cum persuasione mentis vel assensu. Concedimus mentem etiam luce divina perfusam, imperfecte tamen & obscure cognoscere mysteria Religionis christianæ. Assensus tamen, quem exhibet Religioni, firmus est & sufficiens, quia innititur auctoritate Dei in S. Literis loquentis. Hinc perperam, non dicam inepte, Cap. IX. pag. 335. monet, cavendum esse Sceptico, ne quid admittat, quod Revelationi contrarium sit. An enim potest quis Scepticus esse, atque statuere nullum dari veri *κριτηριον*, & tamen simul subscribere Religioni christianæ, tanquam veræ, id est criterium veri admittere?

VI. Juvat autem ulterius thesin nostram probare. Existimamus autem facilius id fieri non posse, quam si dialogum fingamus inter *Huetium* & *Incredulum*; ponamus, utrumque *Pyrrhoni* addictum fuisse. Inducemus autem Ill. *Huetium* ita loquentem, ut nunc more omnibus Protestantibus recepto, modo ex principiis *Ecclesiæ Gallicanæ* (*) argumentetur, mox denique secundum decreta *Ultramontanorum*

Ulterius instituto inter Huetium & Incredulum dialogo probatur scepticam Philosophiam sequentes Religioni christianæ nomen dare non posse.

(*) In gratiam Auditorum nostrorum, qui nesciunt in quo tandem consistat differentia principiorum Ecclesiæ Gallicanæ ab Ultramontanorum, uti vocantur, sententiis, ex Gallico idiomate præcipuas, quas Ecclesia Gallicana defendit propositiones, in latinum conversas, exhibebo. Junctim plerasque proposuit Vir Doctus in libro cui titulus: *Histoire du Livre des Reflexions morales sur le Nouveau Testament, & de la Constitution Unigenitus. Tom. V. p.* 169. Sunt autem sequentes præcipuæ: „Rex „ Galliæ in rebus temporalibus nullum agnoscit se superiorem. Papæ au- „ ctoritas in rebus ad Religionem spectantibus limitibus est circumscripta. „ Concilia generalia superiora sunt Pontifice. Illa sine consensu Episcoporum dissolvere non potest Pontifex. Concilia generalia suam auctoritatem habent non à Pontifice, sed ab Ecclesia. Licet à Papa provocare ad futurum Concilium. Fides requirit ut credamus Concilium generale esse infallibile, & quod suam auctoritatem habeat à Deo. Quod „ secundum declarationem Conventus Clericorum de Anno 1682. certum „ est,

norum differat. Patebit, ni fallor, quamcunque tandem ineat viam Ill. Vir, fieri non posse, ut incredulus, scepticam philosophandi methodum sequens, de veritate Religionis christianæ convincatur: Age, hoc paucis ostendamus. Monemus autem Lectorem, nos in hoc dialogo non omnium Religionis articulorum, sed quorundam tantum, ne quis cavillandi locus sit, speciminis gratia mentionem facere.

HUETIUS.

„ est, convenienter Concilio Constantiensi, quod Concilium sit supra Papam, „ & quod omnis fidelis, imo ipse Papa, ejus teneatur decreta servare; quod „ Papa possit Concilii judicio subjici. Quod decreta Pontificum non sint „ regulæ infallibiles, si non sint ab Ecclesia receptæ. Quod Papa primatum habeat in Ecclesia, sed quod superior non sit Ecclesià. Quod idem „ non sit solus Judex rerum ad Religionem spectantium. Quod Episcopi auctoritatem suam non à Pontificibus sed à Jesu Christo acceperint. „ Quod quidem inter Episcopos quædam sit subordinatio, sed quod in „ Pontificum potestate situm non sit, absque consensu Episcopi, disponere „ ea, quæ ad Diocesis alicujus administrationem pertinent. „ Hactenus Vir ille doctus. Vide etiam appendicem ad *Historiam Concilii Tridentini*, adjectum à PETRO FRANCISCO COURAYER. Notandum interim, hodie non permissum esse in Gallia, ejusmodi theses publice defendere. Postquam enim Doctores hujus Ecclesiæ Bullam Unigeniti, uti vocatur, sibi obtrudi passi sunt, & Jesuitæ dominantur, vix umbram tantopere celebratæ libertatis Ecclesiæ Gallicanæ videre licet. Conquesti sunt sæpissime Viri hujus Ecclesiæ doctissimi de hisce oppressionibus. Unum tantum hic adducam testem, nimirum Auctorem libri Parisiis 1714. in 12. editi sub titulo: *Du temoinage de la verité dans l'Eglise*. Is Tom. III. supra citatæ Historiæ pag. 278. ita loquitur: „ Depuis 70. ans, dit-il, „ qu'on ne parle que de zéle pour la sainte doctrine, à quoi ce beau „ pretexte est il emploié? En quel état a-t-il reduit nos Eglises? l'Episcopat est avili, & la plupart des Pasteurs, sans forces & sans lumieres, laissent les gens de bien exposés sans defense à la merci de quiconque les veut prendre. Trop heureux encore s'ils ne se pretoient pas „ lachement aux conseils les plus injustes. Qu'un Ecclesiastique ait du „ merite & de la pieté, des-là même il est suspect. La vertu n'ose plus „ se montrer: le Jansenisme est le crime général de tous ceux qui, graces à Dieu, n'en ont aucun. Mais ce crime est en même tems d'une „ éspece si singuliere, qu'il suffit d'en être accusé pour être coupable. „ Comme on ne peut entreprendre le bien qu'avec mille precautions, qui „ le rendent impracticable, on n'oseroit proposer la verité qu'avec mille „ menagemens qui la rendent inintelligible. Cependant le Libertinage „ triomphe, le relachement des moeurs augmente tous les jours, la discipline s'enerve; les études s'affoiblissent, l'ignorance nous gagne à vue „ d'oeil,

Huetius. Doleo te adeo infelicem esse, ut Religionis christianæ, disciplinæ omnium præstantissimæ & sanctissimæ, divinam originem agnoscere nolis, in qua tamen sola, alte in animum admissa, mens tuto requiescere potest, cum cæteræ scientiæ omnes nullis immotis superstructæ sint fundamentis.

Incredulus. Nescio quo jure eum infelicem esse dicas, qui hactenus assentiri noluit iis, quæ utrum vera an falsa sint, cernere nulla arte potuit.

H. Age, si animus est, confabulemur paulisper de hoc argumento, nullus enim dubito, quin vim veritatis in animo tuo sensurus sis, quamprimum præjudicatis valedixeris opinionibus, Deoque te fingendum præbueris.

I. Dedam aures meas in ditionem tuam: sed cum sine concessis utrinque principiis rite disserere non possimus, vellem ut ante omnia mihi exponeres, quibus fundamentis, secundum te, superstructa sit omnis argumentatio.

H. Eorum ego philosophandi methodum sequor, qui asserunt nullum dari neque in sensibus neque in mente veri κριτήριον. Nemo secundum meam sententiam novit, utrum objectum contemplationis cum ideis nostris conveniat nec ne. In iis etiam, quæ falsa sunt, non minus sunt perspicuæ ideæ, quam in iis, quæ vera esse putamus. Ea autem certitudo, quæ ab omni erroris specie libera est, supernaturali Dei virtute eorum duntaxat mentibus inditur, qui imbecil-

„ d'oeil, les dignités ecclesiastiques ne sont pas plus la recompense du „ merite & de la vertu. Les peuples témoins de ce qui se passe, n'écoutent plus leurs Pasteurs avec confiance. La foi s'eteint, la pieté s'affoiblit dans tous les cœurs, la regle des mœurs n'est pas elle-même hors „ d'atteinte. En un mot, nostre Eglise, autre-fois si distinguée par sa „ science & par ses lumieres, si respectable aux Nations voisines, si formidable aux ennemis de la Religion, devenue aujourdui le jouet du „ manege Italien, & de l'intrigue Jesuitique, „ divisée au dedans, & meprisée au dehors, se donne en spectacle à l'Univers & ne se reconnoit plus „ elle-même. „ Quid dixisset Vir doctus, si nostra vivendo attigisset tempora? Confer cum hisce ingeniosum libellum scriptum à Cl. Jacobo Basnage, nunc cœlitibus adscripto, cujus titulus: *L'unité, la visibilité, l'authorité de l'Eglise & la Verité renversées par la Constitution de Clement. XI. Unigenitus, & par la maniere dont elle est reçûe.*

becillitatis rationis nostræ, & virium ad verum inveniendum memores, fidem habent Revelationi cœlitus nobis concessæ.

I. Ego quoque eorum sententiæ accedo, qui putant nullum dari medium ope rationis verum inveniendi. Cum autem contendas, admissa Religione christiana, animum de veritate certissime esse persuasum; gratum esset, si mihi ante omnia exponeres, quibus principiis Religio hæc, quæ tantam in animos vim habet, innitatur.

H. Dicam. Ita tamen ut summa tantum rerum capita exponam ne multitudine earum obruaris; arrige igitur aures.

I. Arrigo.

H. Religio christiana præter alia dogmata, quæ rationis ope etiam cognosci possunt, docet Jesum Christum generis humani Redemtorem tempore Imperatoris Augusti in Judæa natum, oculis humanis sese visendum exhibuisse; homines excellentissimam Deum colendi rationem edocuisse; miracula plurima, omnem vim humanam supergressa, præsentibus hostibus & amicis patrasse; tandem hostium insidiis circumventum pro salute hominum morti quidem traditum, sed e mortuis in vitam revocatum, cum plurimis, qui eo familiariter antea utebantur, fuisse locutum, & postea sublimem in cœlos abiisse, discipulisque suis facultatem patrandi miracula aliasque divinas virtutes cœlitus concessisse. Hujus rei testes sunt Viri probi, simplices, candidi, αὐτόπται, ab omni fraudis suspicione alienissimi, nullis ad persuadendum ingenii dotibus præ cæteris ornati; Homines, qui nonsolum propter hoc testimonium solicitum ducebant ævum, omniaque, quæ homines in terris prima esse putant, nimirum liberos, patriam &c. deserebant, sed generoso incitati impetu, quaquaversum nullis voluptatis aut gloriæ consequendæ illecebris commoti, huc illuc inter mille pericula & obstacula itinera faciebant, ad hanc disciplinam omnibus hominibus commendandam. Homines denique, ut uno verbo dicam, qui decipi non potuerunt & decipere alios noluerunt. Dogmata insuper hujus Religionis & præcepta sunt sanctissima, Deo dignissima, ad salutem generis humani promovendam aptissima & convenientissima, promissionibus communita excellentissimis in hac & futura vita percipiendis. Auctor hujus Religionis miraculis, vitæ innocentia sapientiaque fuit illustris, ut cætera jam, quæ de eo dici possent, silentio transeam.

I. Ex iis, quæ a te dicta sunt facile colligo, necesse esse, ut au-

tequam

tequam admittamus ea, quæ narraſti, ſciamus, rem vere geſtam fuiſſe.

H. Ita eſt.

I. Fidem igitur habendam putas his teſtibus?

H. Puto habendam.

I. Num oculis ſuis Auctorem Religionis hujus viderunt & miracula, quæ ab ipſo facta fuiſſe contendis?

H. Sine dubio.

I. At ego nulla ratione credere poſſum, eos vere oculis ſuis hæc vidiſſe; contrarium enim hoc eſſet principiis ſyſtematis noſtri. Hoc enim ſi concederemus, falſum eſſet aſſertum noſtrum, nimirum ſenſibus nullam poſſe haberi fidem, noſque ſcire non poſſe, utrum objecta contemplationis noſtræ cum ideis noſtris conveniant nec ne. Neſcio igitur quomodo, ſalvis principiis noſtris, fidem habere poſſis hiſce teſtibus.

H. Nunquam negavi dari veritates, uti vocantur, hiſtoricas. Ita abſurdum eſſet negare extare, urbem quæ Conſtantinopolis vocatur.

I. Quare tandem abſonum eſſet hoc negare?

H. Quia dubitationi huic obſtat innumerabilis teſtium fide digniſſimorum multitudo.

I. Ergone ipſi hanc urbem viderunt?

H. Viderunt.

I. Atqui ope organi viſus hoc factum. Senſus autem omnes, cujuſcunque indolis ſint, nos poſſunt decipere, unde ſine formidine erroris iis aſſentiri non poſſumus, qui ajunt ſe hoc vel illud vidiſſe. Abſurdum plane mihi videtur adſerere, ſenſus noſtros ita eſſe diſpoſitos, ut verum objectum a falſo; phantaſma ab objecto vere extra nos exiſtente diſtinguere haud valeamus; & ſimul tamen a nobis poſtulare, ut fidem aliis habeamus, qui ſe hoc vel illud vidiſſe narrant. Verbo; hiſtoriæ & fictæ fabulæ, ſi principia Philoſophiæ noſtræ ſequamur, diſtingui a ſe invicem non poſſunt. Fruſtra ergo ad miracula, dogmata, & præcepta provocas. Veritas, veritas, inquam, rerum geſtarum primo eſt probanda. At ſi ſenſibus nulla eſt habenda fides, teſtibus etiam αὐτόπταις præbere aſſenſum non poſſumus. Memini hoc ipſum te Lib. I. cap. 3. libelli de imbecillitate ingenii humani inculcaſſe, ut jam de fundamentali principio noſtro, nullum nempe dari veri κριτήριον, nil dicam

H. Sed alia eſt certitudo in rebus humanis, alia in divinis.

I. Aſſeruiſti tamen, lucem illam in mente accenſum non iri, niſi prius fidem habeam teſtibus ad quos provocaſti. At cum illi ſenſibus uſi ſint quemadmodum nos, ſenſus autem nos fallant, non video quomodo me ad iis aſſentiendum commovere poſſis.

H. Video quid te impediat, quo minus veritati cedas. Alia ergo via rem aggrediamur, Sunt quidam qui dicant, non ſolum dari veri criterium, ſenſibusque bene paratis fidem eſſe habendam, ſed & Religionem omnem a quovis homine eſſe examinandam. Ab horum ſententia alieniſſimus ſum, quandoquidem nulla dari exiſtimo certa principia, ex quibus tuto poſſint argumentari: Ego vero ſcio infallibilem quendam in terris dari judicem. Hic Revelationem divinæ eſſe originis perhibet. Huic homini fides eſt habenda, quia eſt infallibilis: quamprimum vero hoc fit, oritur in mente clariſſima lux & certitudo firmiſſima.

I. Ubi gentium degit ille homo infallibilis?

H. Romæ.

I. Quid vocas fidem alicui habere?

H. Credere verum eſſe quod is narrat.

I Quid eſt credere?

H. Propoſitioni alicui aſſentiri.

I. Quando propoſitioni alicui putas eſſe aſſentiendum?

H. Tum quando mens perſpicue deprehendit, eſſe inter duas ideas nexum.

I. Sed ſi nullum eſt veri criterium; ſi mens relationem illam, quæ inter duas pluresve ideas intercedere dicitur, non cernit; ſi cum turpiter erramus, nexum aliquem intercedere putamus, cauſam non video, cur iis, quæ de infallibili judice narras, ſubſcribam Sententia tua nititur ſequentibus propoſitionibus; urbem eſſe nomine Romam; in urbe hac eſſe hominem; hominem hunc eſſe infallibilem; homini infallibili fidem eſſe habendam; infallibilem hunc aſſerere, librum quendam eſſe cœlitus mortalibus conceſſum; credendum igitur propter auctoritatem infallibilis hujus hominis veram & divinam eſſe illam Revelationem. Hæ propoſitiones autem omnes cum ſyſtemate præceptorum noſtrorum, qui criterium veri non dari, ut noſti, fundamenti loco ponunt, conſiſtere non poſſunt. Ponam tamen ſi ita velis, eſſe urbem Romam, & in ea degere virum aliquem eximium & doctum

doctum, unde quæso possum scire hunc hominem esse infallibilem? Num hoc vel ideo est credendum, quia is se infallibilem esse perhibet, vel quia certa & indubitata potest afferre argumenta, quibus se hoc dono instructum esse probat?

H. Credendum quia se talem esse probat.

I. Licetne argumenta illa, quibus se infallibilem esse probare vult, examinare?

H. Licet.

I. Quod si examinanda sunt, dari aliquod veri κριτήριον necessario statuendum est. Hoc vero posito, systema *Pyrrhonis*, quod sequimur, funditus est eversum: sed mitto hoc, quæro ex te, num solius rationis ope nobis innotescat, hominem hunc esse infallibilem?

H. Ex Revelatione & traditione petit ille argumenta, quibus suam infallibilitatem superstruit.

I. Quod si ex Revelatione, ut de traditione jam nil dicam, sua desumit probandi argumenta, rursus in eundem incidimus scopulum. Nimirum primo quærendum, ubi & penes quos Revelatio illa reperiatur; dispiciendum, quinam genuini Revelationis alicujus characteres; hi cum Revelationé illa diligenter sunt conferendi; videndum utrum Revelatio talem in terris judicem constituerit; denique probandum, eos, qui multa secula Romæ & alibi degebant, eos ipsos esse, quos Deus pro talibus judicibus declaravit. Hæc omnia vero iterum ita sunt comparata, ut cum principio fundamentali nostro, quod nimirum κριτήριον veri non detur, aperta fronte pugnent.

H. Jam audivisti, Deum huic homini infallibilitatis donum concessisse.

I. Concedere hoc nulla ratione possum, nisi prius decreta hujus hominis examinem, eaque cum Revelatione illa, ex qua infallibilitatem suam probare contendit, conferam. Hoc autem si faciendum, atque inde argumentandum est, sensibus, rationi, & evidentiæ locus esset concedendus. Si enim verum est, quod contendis, per multa secula Romæ & alibi sedisse infallibiles judices, sensibus est habenda fides; si verum est Deum in Revelatione judicibus illis privilegium infallibilitatis concessisse, nonsolum verum est, dari Revelationem, & veram Revelationem a falsa distingui posse, sed & verum esset, dari veri κριτήριον, quod tamen falsum esse Scepticus axiomatis loco habet.

 H. Ita

H. Ita agendo nunquam ad divinam illam & certiſſimam perveties perſuaſionem, quæ ingenuis Religionis Chriſtianæ confeſſoribus conceditur. Oportet animum ad hæc examinanda afferas docilem, & ab omni pertinacia alienum. Ne tamen aliquid eorum omiſiſſe videar, quæ animum tuum expugnare poſſunt, luculentiora afferam argumenta, quæ ſi rite expenderis, vix, niſi omnia me fallunt, te cohibere poteris, quo minus iis aſſentiaris.

I. Cupidiſſime audiam.

H. Fuerunt omni tempore & adhuc ſunt, virorum pientiſſimorum, optimorum & doctiſſimorum collegia, quæ *Concilia* vocari ſolent. Hi in unum congregati libros, quos divinitus nobis conceſſos eſſe diximus, diligentiſſime examinarunt, & examine inſtituto divinos illos eſſe probarunt. Iidem, quoties certamina de his vel illis Religionis capitibus orta ſunt, lites compoſuerunt, & quid credendum, quid non credendum ſit, definiverunt. Fieri autem vix poteſt, ut homines illi veri amore flagrantes fuerint decepti. Quod ſi fidem iis habeas, deprehendes, eos gravibus argumentis commotos fuiſſe ad ita ſentiendum; hos ſi tanquam duces ſequaris, ad plenam illam, quam quæris, veritatis lucem pervenies.

I. Obruis me rerum multitudine; hebetior enim ſum quam ut plura ſimul capere poſſim. Patere ergo, ut de ſingulis quæram. Præter morem ero docilis,

H. Quære.

I. Ponam in unum coiviſſe Viros illos doctiſſimos & optimos, ad libros illos & articulos in illis contentos examinandos. Sciendum primo, utrum hi Viri in examine hoc decepti fuerint, nec ne.

H. Jam audiviſti, Viros hoſce fuiſſe veri amantiſſimos & acutiſſimos.

I. Ut hoc concedam, quod tamen Pyrrhonis diſcipulus vix admiſerit, quæro ex te, utrum id omne, quod Viri docti & probi dicunt, verum ſit.

H. Non ſemper.

I. Quando igitur?

H. Quando ea, quæ dicunt, nulli dubitationi obnoxia ſunt, i. e. quando vel certæ, vel probabiles ſunt propoſitiones, quas in medium proferunt.

I. Quid autem ad hoc poſtulatur?

H. Ut

H. Ut inter propoſitiones illas & argumenta, quæ adducunt, ſit aliquis nexus.

I. Quod ſi igitur illi recte, & ut ſe res habet, pronuntiarunt, ſequitur veri dari criterium, quod cum falſum ſit ex tua ſententia, falſa etiam eſſe oportet ea, quæ attuliſti in medium. Imo hoc ipſo argumento contra te uti poſſum. Pyrrho nempe, Sextus, aliique, quorum in libello tuo de imbecillitate ingenii humani mentionem facis, fuerunt Viri acutiſſimi, qui acerrimo ſtudio cunctarum diſciplinarum principia examinarunt. At illi perpenſis omnibus, nullis eas certis fundamentis ſuperſtructas eſſe putarunt. Quod ſi concluſioni tuæ aliquod ineſſet robur, non minus pro me, quam pro te valeret hæc argumentatio.

H. Hæc quidem ſecundum noſtram philoſophandi rationem dici poſſunt; at ſupra jam monui, Deum Viris illis, in Conciliis congregatis, ita ſingulari ſua cura adſtitiſſe, ut decipi non potuerint.

I. Mirum eſt te ita loqui, cum Sceptici, quorum philoſophandi methodum probas, eos falli dicant, qui aſſerunt, Deum æquitati convenienter non facturum, ſi ita homines feciſſet, ut ſemper deciperentur. *Uti Deus* (En verba tua *Cenſ. Philoſoph. Cartes. Cap. I.* Sect. XII.) *fallax dici non poteſt, quod tales nos effecerit, ut aliquando fallamur; nihilo magis fallax dici poſſet, etiamſi tales nos effeciſſet, ut ſemper* falleremur, Sed cum forte, quando hæc ſcribebas de noſtra Philoſophia, aliter ſentires, ponam potuiſſe fieri, ut Viri illi præſtantes decepti haud fuerint, quæro ex te unde certo cognoſcas, eos non erraſſe.

H. Quia Deus eos ab omni errore reddidit immunes.

I. Num Deus hoc ipſe teſtatur in Revelatione, vel an ipſimet hoc de ſe profitentur?

H. Profitentur hoc de ſe, & convenienter quidem Revelationi.

I. Si ponam prius verum eſſe, concedendum etiam eſſet, dari certos quoſdam characteres, ex quibus conſtet, Revelationem eſſe veram & divinam; ſed hæc iterum contraria ſunt iis præceptis Philoſophiæ, quæ hactenus defendiſti. Certe parum tibi conſtas.

H. Si eadem luce mens tua eſſet perfuſa, ac mea eſt, nullus dubito, quin mecum eſſes ſenſurus.

I. Ita ſane. Sed ſi tua illa philoſophandi methodus, quam tantopere commendas, vera eſt, omnis mihi obſepta via eſt, ad hanc, de qua gloriaris, perſuaſionem mentis firmam perveniendi.

H. Quod

H. Quod si non credas, Deum singulari luce perfudisse Viros illos sapientes, acutos & probos, in *Conciliis* congregatos, qui de Revelationis origine & dignitate judicarunt, fidem saltem habe primis illis Religionis hujus propagatoribus, qui oculati testes erant rerum gestarum, nec adeo in rebus, quas vigilantes conspexerant, decipi potuerunt. Hi autem testantur, Jesum Christum Soterem nostrum, inspectante magna hominum multitudine, miracula patrasse. Cum autem illa nonnisi a Deo oriri potuerint, satis patet, Deum auctorem esse Religionis christianæ.

I. Delaberis Vir Excellentissime ad id, de quo in initio verba feceramus, imo argumentandi methodo uteris, quæ nonsolum cum præceptis Philosophiæ tuæ pugnat, sed quæ etiam contraria est Ecclesiæ vestræ consuetudini; Hæc enim in causa Religionis non ad examen, sed ad auctoritatem semper provocat. Sed utcunque hæc sint, manifestum est, me tibi adsentiri etiam hac in parte non posse, nisi transeas in castra Dogmaticorum. Quod si enim tibi concederem, testes de perpetratis a Christo miraculis esse Viros eximios, candidos, atque fide dignos, & Deum solum miracula facere posse, statuendum mihi simul esset, sensus rite dispositos errare non posse, darique veri aliquod certum κριτήριον. At hæc pugnant cum primis quæ defendis principiis. Tu enim adseris neminem certum esse posse, utrum objecta contemplationis cum re ipsa conveniant nec ne; tu affirmas, nos phantasmata a veris objectis certo distinguere haud posse: Hæc si ita sunt, quomodo tandem assentiri potes aliis, qui hoc vel illud sese vidisse testantur? certe si tanta est ingenii cæcitas, si ad res cognoscendas vix sunt inaccessibiles, fieri non potest, ut Religioni fidem habeas, aut testes satis dignos esse pronunties, quorum dictis assensum præbeas.

H. Verum est Pyrrhonios hæc principia mecum defendere: at & hoc nosti, eosdem sese ad aliorum consuetudinem componere, & probabilitatis speciem in vita humana sequi; haud ignoras *Ciceronem* ita induxisse Scepticos loquentes: *Lucem non eripimus, sed quæ vos percipi comprehendique, eadem nos, si modo probabilia sint, videre dicimus: quicquid acciderit specie probabile, si nihil se offerat, quod sit probabilitati illi contrarium, utetur eo sapiens, ac sic omnis vitæ ratio gubernabitur. Etenim is quoque, qui a vobis sapiens inducitur, multa sequitur probabilia, non comprehensa, neque percepta, neque assensa, sed similia veri, quæ nisi probet, omnis vita tollatur.*

I. No-

I. Novi eos ita loqui, nolunt enim aliorum iram in ſe provocare: at ego vehementer miror, Te, *Illuſtrem Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum* ita loqui. Licetne tandem tibi in re, quam maxime, ut putas, ſeria, ita ludere? Cur ergo me adducere vis ad Religionem chriſtianàm amplectendam, ſi poſtquam illi nomen dedi, non magis illius decretis ſerio addictus ſum quam antea?

H. Sæpius tibi dixi, fidem divinam omnes illas nebulas diſpellere; hinc firmiſſime de Religione ſum perſuaſus, licet Philoſophiæ ſcepticæ principia probem.

I. Credam equidem, ſi ita velis, te Religioni chriſtianæ, i.e. catholicæ, firmiter adhærere, cum tot bonas horas in legendis S. Literis conſumſeris. Sed in eo te reprehendo, quod convenienter principiis tuis non ratiocineris. In tua *Demonſtratione*, uti eam appellas, *Evangelica*, ipſas *Demonſtrationes Mathematicas*, accuratas, puras, ſinceras, & immobiles eſſe negas: in libello de *imbecillitate ingenii humani*, data opera Philoſophiæ ſcepticæ decreta laudas & defendis; & ut audio hactenus in ea ſententia manes firmiter: neſcio igitur qua ratione me adducere velis ut credam, te ſerio religioni addictum eſſe poſſe. Ego hactenus ſemper exiſtimavi, *dicere artem dubitandi fidei utilem eſſe, idem eſſe ac ſi quis dicat, ad credendum utile eſſe non credere.*

H. Hæc quidem ita videntur; at quamprimum fides illa adeſt, ſine ulla dubitatione veritati cedimus: dixi enim tibi ſupra, fidem illam produci ſupernaturali virtute Dei, & efficere, ut homo de illis, quæ credenda ſunt, ſit perſuaſus.

I. Sed oportet te ſemper memorem eſſe principiorum tuorum. Primarium eſt, nullum dari veri *κριτήριον*. Hoc ſi verum eſt, quomodo lucem veram a falſa, opinionem a firma & certa perſuaſione diſtinguere poteris? dicere, oportere nos placido animo lucem acceptam ſequi, eſt nodum ſecare, non ſolvere: quæro enim ex te, utrum media quædam ſint ad fidem illam perveniendi?

H. Sunt, ut jam dixi. Ipſa hæc noſtra Philoſophia animum præparat ad agnoſcendam mentis noſtræ cæcitatem, atque nos compellit, ut aliunde auxilium quæramus. Rem ſimilitudine quadam exprimam. Si quis iter ingreſſus in loca ſibi incognita devenit, viamque ignorat, quà ulterius ſibi ſit progrediendum, nec de ea ex cœli locorumque ſitu conjecturam facere poſſit, non tamen deſpondet

animum illico, & cursum sistit, sed quærit qui viam monstret sibi, cuique se regendum tradat. Ita mens imbecillitatis suæ ad veritatem per rationem proxime & tuto attingendam sibi conscia, non in inscitia sua adquiescit, sed alium sibi prospicit ducem, scilicet fidem, cui se sine cunctatione submittat, & a quo commonstratam viam capessat.

I. Sed hoc simile litem lite resolvit. Qui enim dubius est quà eundum sit, nec ducem videt quem sequatur, imo firmissime credit, talem ducem non dari, aut plane ire non debet, aut ire qua itur, non qua eundum est. Et sane si quis credat, ad verum cognoscendum nullum esse medium, imo nullum dari veri κριτήριον, aspernabitur omnes, qui dicunt, se viam ad certam persuasionem perveniendi commonstraturos. Ita tu ducis loco esse mihi vis, & promittis te mihi monstraturum viam ad verum cognoscendum: jactas te, nescio per quam lucem aliunde acceptam, de veritate Religionis fuisse persuasum; asseris omnes, qui luce illa destituantur, in tenebris degere: argumentis ipsis, i. e. motivis credibilitatis, uti in scholis loquuntur, vim animum convincendi inesse negas; imo κριτήριον veri dari prorsus inficiaris; quo jure ergo te ducem viæ agnoscam non video. Dogmatici rectæ rationis usum & examen viam esse dicunt, qua ad veritatis cognitionem perveniatur; at hi κριτήριον veri dari concedunt. Tu vero eos falli contendis; quo igitur rebus sic stantibus recurram? cujus me committam fidei? Quod si vel nobis nolentibus, & nihil minus quam hoc exspectantibus, insolita illa persuasio mentibus illabatur, frustra ab aliis impellimur ad fidem habendam Religioni christianæ; frustra accusamur quod in ἀκαταληψία nostra adquiescamus.

H. At vel meum saltem exemplum te docere potest, quam utilis sit hæc nostra Philosophia. Postquam enim fides mihi est donata, nullis machinis ab amore Religionis christianæ & quidem catholicæ me retrahi patior. Dum vero Dogmaticorum addictus eram decretis, innumeræ difficultates animum meum turbabant; sed fastus ille, quo turgent Dogmatici, prorsus est ex animo ejiciendus, si verum cernere velis.

I. Verum est Dogmaticos, qui se *perfecte* omnia scire jactitant, fastu turgere; at negari simul etiam non potest, multos Pyrrhonis discipulos vehementer morbo φιλαυτίας laborare. Ipse ego experientia edoctus sum propria, animum meum, quo magis ad σκέψιν declinavit, eo magis ab amore Religionis fuisse alienum, atque incepisse

cepisse me cæteros omnes alto supercilio contemnere. Sed mittamus mutuas accusationes. Unum addam, quod præter dicta animum meum impedit, quo minus tibi cedam. Nimirum illi ipsi, qui decantatæ ἐποχῆς utilitatem in causis ad Religionem spectantibus tantopere deprædicant, atque contendunt, ipsam rationem, postquam fidei dono ornata est, mirum in modum perfici, decreta tamen tuentur & propugnant, quæ ab omnibus aliis, qui Religioni christianæ nomen dant, tanquam inepta rejiciuntur.

H. Viris tamen hæc objicienda memento.

I. Pace tua, Vir Eruditissime, quæro, utrum Transsubstantiationem admittas nec ne.

H. Talem dari fide divina credo.

I. Ponam Christum esse præsentem in Missa. Ponam Eum eodem temporis articulo *Parisiis*, *Londini*, *Romæ*, & centum aliis in locis esse & comedi. Quæro utrum credas Christum, qui *Romæ* est, eundem esse cum eo, qui *Londini* est.

H. Mysterium hoc est, quod explicari non potest.

I. At putavi ego fidem illam, qua te instructum & ornatum esse dicis, efficere, ut quæ ratio incerta & falsa esse perhibet, certissime cognoscantur. *Quoad ratione utimur* (ita in Alnetano tuo disserebas) *certissime firmissimeque scire non possumus, an mundus sit, an sint corpora, an corpore præditi simus, an animo, nec proinde an mundus sit a Deo conditus, an bene vivendum, an abstinendum a vitiis, an virtus sequenda: at admisso lumine fidei jam de his certissimi simus; jam naturæ firmatur imbecillitas; jam emendantur errores animi, jam discussis tenebris ratio certis obtutibus res circumspicit; jam nebulosa illa & caliginosa Philosophia, quæ neque aditus habuit satis patentes atque claros, neque exitus ad rerum notitiam, nunc planam habet & apertam viam.* Hæc tua sunt verba, Vir Excellentissime. Quæ si vera sunt, *Mysterium* illud *Mysteriorum*, Transsubstantiationem puto, planissime est intelligendum. At tu fateris illud explicari & definiri nulla ratione posse.

H. Sed ipsa illa fides divina persuadet, mysterium hoc explicari non posse.

I. Hoc ipsum ergo docet, falsum esse quod ais, nimirum rationem ope illius fidei cognoscere ea, quæ sola intelligere non poterat. Dicis, te credere dari Transsubstantiationem, i. e. dari corpus quod

in plurimis simul sit locis; neque tamen hoc intelligi posse: num hæc ergo plana illa & aperta ad veritatem via est? Dogmatici ajunt, Transsubstantiationem inter τα ἀδύνατα esse referendam; Pyrrhonii dubitant; tu vero fide divina adjutus mysterium hoc, si Diis placet, maximum, ne intelligi quidem posse contendis. Causam ergo non video, cur fidem illam tuam tantopere extollas.

H. Quam utilis illa sit satis ego sentio. Qui nondum dulcedinem illius degustavit, perperam de ea judicat. Cumque te non satis docilem esse videam, sermonem abrumpo, præsertim cum ad negotia vocer, quibus non possum non præesse.

Ex paucis hisce, quæ adducta sunt, luce meridiana clarius est, quam falsum sit illustris Viri assertum, contendentis, scepticam Philosophiam viam præparare ad Religionis christianæ divinam originem admittendam & cognoscendam. Quis non potius videt, nihil Religioni sanctissimæ magis contrarium esse hac σκέψει? Quis non fateatur, Ill. *Huetium* inter eos referendum, qui præposteris adversus incredulos usi fuerint methodis? In generalioribus substiti argumentis, quandoquidem nemo non videt, argumenta & rationes Episcopi nonnisi esse meras petitiones principii.

Examinantur loca Scripturæ, quibus usus est Huetius ad suam sententiam comprobandam.

VII. Dispiciendum jam nobis est, quibus argumentis Ill. Episcopus suam probet sententiam. Meminerit autem B. L. nos non in eo esse, ut argumenta ipsa, quibus Pyrrhonismum commendare voluit, examinemus. Hoc enim ad aliud forum, ut dixi, pertinet; sed hoc unum agimus, ut videamus, quibus argumentis probet, σκέψιν nempe animum præparare ad agnoscendam divinam originem Religionis christianæ. Præter ea, quæ supra allata sunt, ad quædam loca Scripturæ & Patrum provocat Lib. I. cap. 2. Antequam autem ea singillatim expendimus, quædam in genere sunt præstruenda.

Et 1) quidem non quæritur, utrum cognitio mentis nostræ arctis sit limitibus circumscripta; hoc enim nemo negat.

2) Non quæritur, utrum mens, falsis opinionibus imbuta & affectibus corrupta, non sæpissime impediatur, quo minus verum cernat.

3) Neque etiam de hoc disputatur, utrum ratio omnia quæ de rebus divinis cognoscit, ita perfecte & adæquate intelligat, quemadmodum intelliguntur axiomata & demonstrationes Mathematicorum. Fatemur enim nos multa ignorare, vel valde imperfecte cognoscere. Sed hoc quæritur, utrum ea sit mentis nostræ natura, ut verum cernere

nere ope rationis non possit, ita quidem ut talis sit semper conflictus rationum mentem utramque in partem rapientium, ut nullibi pedem figere tuto possit. Postremum hoc per universum librum defendere conatur Huetius. Neque quemquam decipiat, quod cap. I. Lib. 1. triplicem certitudinem, nimirum physicam, moralem & geometricam dari asserit, quandoquidem in præfatione Demonstrationis Evangelicæ nonsolum ipsas demonstrationes geometricas multis dubiis obnoxias esse ait, sed & in citato libro nullum *veri* κριτηριον dari posse contendit.

4) Mirum autem est Ill. Virum ex ipsa Scriptura suam sententiam probare velle, cum tamen evidentissimum sit, eam Sacris Literis e diametro oppositam. Cur reprehenduntur Gentiles ab Apostolo ad Rom. I. 18. sq. quod non attenderint ad το γνωστον του Θεου, si lumine naturali cognoscere, quantum satis est, non potuerunt Opt. Numinis existentiam? Lepidum est quando cit. libelli pag 407. respondet, Apostolum duntaxat ostendere voluisse, stulte ipsos ita egisse & esse inexcusabiles. Quomodo enim stultitiæ & pervicaciæ accusari possunt, si verum est, quod contendit *Huetius*, neque in ratione, neque in sensibus dari veri κριτηριον? Cur idem Apostolus cap. II. v. 14. 15. hujus Epistolæ ad legem Naturæ provocat, Gentiles taxaturus, si in judicio de legum illarum veritate nullum est quærendum præsidium? cur jubemur ab eodem 1. Thess. V. v. 21. παντα δοκιμαζειν? cur laudantur Beroenses Act. XVII. v. 11. dicta Apostolorum cum locis V. T. conferentes, si nullum datur veri κριτηριον? cur Christus miracula patravit, doctrinam suam confirmaturus, si sensibus nulla est habenda fides? cur discipulos suos jussit ire ad Gentes, ut cœlestem disciplinam ipsis annuntiarent, si scivit illos omnibus præsidiis esse destitutos ad examen accuratum Religionis instituendum? num examinis loco Discipuli Christi illud πιστευετε ουκ ἐξεταζε ingeminare debebant? cur tandem tantopere laborant Pontificii, ut articulis Religionis catholicæ subscribamus, si illustris hujus Ecclesiæ Episcopi judicio, homo adhibita omni mentis perspicacia & attentione, de certitudine argumentorum pro Religione pugnantium persuasus esse non potest? Imo cur per tot secula sæviunt in homines, quos non magis aptos natura esse putat *Illustris hic Episcopus* ad verum rite detegendum, quam ad volandum?

5) Loca, quæ ex S. Literis petuntur, aut probant nos imperfecte res divinas cognoscere; aut rationem, ineptis opinionibus imbutam & pravis affectibus corruptam, rectum de Religione non posse ferre judicium; aut denique Philosophorum quorundam, tempore Apostolorum viventium, decreta obstitisse, quo minus hic vel ille sanctissimæ disciplinæ nomen daret. Quid autem hoc confert ad probandum, neque in ratione, neque in sensibus dari veri criterium?

Hisce in antecessum notatis, paucis loca ipsa ab Illustri Viro in medium allata examinabimus. Primus, ad quem provocat, petitus est ex *Ecclesiast. Cap. VIII. v.* 16. & 17. ubi ita *Solomon*, juxta versionem *Junii & Tremelii*, loquitur. *Quum adhiberem animum meum ad cognoscendum sapientiam & ad perspiciendum ipsum negotium quod fit super terram, si etiam interdiu & noctu somnum oculis suis quispiam non percipiat; animadverti totum opus Dei non posse hominem assequi, illud opus quod fit sub sole, quamvis laboriose homo quærat, non tamen assecuturum esse: quin etiam si cogitet sapientissimus cognoscere, non tamen posse assequi.* Ex hoc loco Ill. Vir probare vult, Solomonem asseruisse omnia esse incerta, nec posse homines adhibita omni diligentia unquam verum reperire. At ex hisce verbis sensus ille extundi non potest. Observandum ergo primo in genere, *Solomonem* in hoc libro de rerum humanarum fragilitate & vanitate agere, atque inter alia etiam ostendere, sapientiam omnem, si a virtute recedas, vanam, cum multis molestiis conjunctam, & imperfectam esse. Huc collineant pleræque gnomæ in hoc libro contentæ, quæ potius tanquam sententiæ quædam morales, quam vero propositiones metaphysicæ considerandæ sunt. Non male *Auctor. Synops. Scripturæ*, opp. *Athanas. Tom. II.* pag. 92. de *Solomone*, vanitatis cuncta arguente, judicat: ὐ την κτισιν διαβαλλων ἐφη, ἀλλ' ὁτι τα ἀιωνια θεωρων ἐλεγε των προσκαιρων ἐπιθυμιαν ἐιναι ματαιοτητα. i. e. *Non vanitatem dicit, ut creaturam criminaretur, sed ut æterna contemplatus temporalium desiderium admoneret esse vanitatem.* 2) voce חכמה intelligit cum sapientiam, quæ dicitur πολιτικη, quæ in pervestigatione negotiorum humanorum, causarumque, quibus homines ad hæc vel illa agenda impelluntur, consistit, tum in contemplatione naturæ, id est operum Providentia divina productorum. Quocunque sensu sumas, verum est hominem in his terris, neque negotiorum civilium, neque naturalium causas *omnes* posse pervestigare. Non negat *Solomon*, hominem plane non

posse

posse deprehendere opera Providentiæ divinæ, ita ut illi dubitandum sit, utrum cœlum, luna, sol &c. existant: versu enim 17. ait: & *vidi omne opus Dei*, scilicet in oculos incurrens; sed finem singulolorum negat quemquam posse intelligere. Hinc ita vertit Symmachus: Καὶ κατέμαθον ὅτι πάντων τῶν ἔργων τοῦ Θεοῦ οὐ δύναται ὁ Ἄνθρωπος ἐξευρεῖν scilicet τρόπον vel τέλος. Hoc idem est quod pronuntiat *Paulus* ad Rom. XI. 33. dicens: ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ. Similiter versiculum hunc 17. interpretatur *Calmetus*, inter hodiernos Ecclesiæ Romanæ S. Literarum Interpretes doctissimus, dicens: *Nous pouvons donner des raisons générales des oeuvres de Dieu, mais non pas des raisons particulieres de tels ou tels évenements. Nous savons en gros que le Seigneur a fait tout pour lui-même; que toutes ses voyes sont verité & misericorde; que ses jugemens sont equité & jugement; mais quant au reste, nous n'avons autre chose à dire que; O altitudo divitiarum sapientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & impervestigabiles viæ ejus.* Hinc optime *Hieronymus* in commentario ad h.l. *Qui quærit causas rationesque rerum, quare hoc vel illud factum sit, & quare mundus variis gubernetur eventibus; cur alius cæcus & debilis, alius videns nascatur & sanus; hic paupertatem habeat, ille divitias; iste sit nobilis, ille inglorius; nihil aliud proficit, nisi in sua tantum quæstione torqueri, & disputationem pro tormento habere, nec tamen invenire quod quærit.*

Impedire autem corpus menti circumdatum, quo minus homo unquam ad certam veri cognitionem pervenire possit, asserit *Huetius*, idque testimonio *Auctoris Libri Sapientiæ* probare vult. Hic vero Cap. IX. v. 15. 16. ita loquitur in versione τῶν LXX. φθαρτὸν γὰρ σῶμα βαρύνει ψυχὴν καὶ βρίθει τὸ γεῶδες σκῆνος νοῦν πολυφροντίδα. Καὶ μόγις εἰκάζομεν τὰ ἐπὶ γῆς, καὶ τὰ ἐν χερσὶν εὑρίσκομεν μετὰ πόνου. Τὰ δὲ ἐν οὐρανοῖς τίς ἐξιχνίασε. Βουλὴν δὲ σοῦ τίς ἔγνω εἰ μὴ σὺ ἔδωκας σοφίαν, καὶ ἔπεμψας τὸ ἅγιόν σου πνεῦμα ἀπὸ ὑψίστων. i. e. juxta vers. tigurinam: *Quandoquidem fragile corpus gravat animam, & terrenum domicilium plenam curarum mentem deprimit, ut conjectura vix assequamur, quæ in terra sunt & quæ inter manus versantur laboriose deprehendamus. Ergo quis pervestiget cælestia? aut quis consilia tua pernoscat, nisi cui dederis sapientiam & e sublimi Spiritum tuum sanctum demiseris?* At quis non videt Ill. Episcopum hic τῇ ὑποθέσει male δουλεύειν? Primo enim non dicit, unam & præcipuam causam imbecillitatis mentis nostræ

ſtræ eſſe corpus; ſed illud tantum, corpus inter alia etiam impedire mentem, quo minus divinas & humanas res rite cognoſcat. (2) Non aſſerit nos affectionibus corporis prohiberi, quo minus *ullam veritatem* poſſimus cognoſcere, ſed a minori ad majus argumentatur atque contendit, ſi ea quæ in terris ſunt, & ante oculos verſantur, difficulter cognoſcamus, mirum non eſſe, ſi cœleſtia & divina imperfectiſſime ſciamus. (3) Docet hoc totius capitis nexus. Auctor libri perſonam Regis *Solomonis* induit, atque ad Deum confugit precibus, eumque rogat, ut ad rite adminiſtrandum regnum ſufficientem ſibi ſuppeditet prudentiam: neceſſitatem autem hujus auxilii urget argumento, petito cum ab affectibus corporeis, mentem ejusque vires deprimentibus, tum a rerum, quæ cognoſcendæ ſunt, difficultate. Hæc omnia ſane ita comparata ſunt, ut ad ſcopum, quem intendit Illuſtr. Vir, nil prorſus faciant. Omnia huc redeunt; mentem nimirum, dum in his terris degit, cum propter alia, tum ob affectiones corporis præpediri, quo minus accuratiorem rerum divinarum habeamus notitiam; opus ſane eſſe, ad divina rite & ſalutariter cognoſcenda, auxilio divino: nos adhibita licet omni diligentia, ea, quæ in oculos incurrunt, imperfecte tamen intelligere. Sane veriſſima eſt hæc ſententia, quam calculo ſuo comprobant inter recentiores Theologos & Philoſophos præſtantiſſimi & acutiſſimi. Hæc nos adducere debent & commovere, ut magnifice de ſcientia noſtra & eruditione non ſentiamus. At vero multum differt dicere; ſcientiam noſtram omnem anguſtis eſſe terminis circumſcriptam; & aſſerere, nullum dari veri κριτήριον. Poſtremum enim hoc qui defendit, nonſolum Religioni omni bellum indicit, ſed & omnium ſcientiarum, quantum in ſe eſt, tollit fundamenta. Quod ſi vero Auctor libri Sapientiæ erraſſet, nil hoc cauſæ noſtræ, quam defendimus, officeret. Notum enim eſt, librum hunc inter θεοπνεύςυς non referri. Et ſunt ſane Viri docti, qui ex citato hoc loco & aliis colligunt, Auctorem *ſectæ Pythagorico-Platonicæ* fuiſſe addictum. Hi vero de corpore noſtro abjecte ſentiebant, idque omnis mali cauſam eſſe dicebant. Iidem corpus noſtrum σκῆνος appellabant, ut pluribus ad h. l. docet *Illuſtr. Grotius.* Ex quo tamen nondum ſatis ſequitur, Auctorem Libri hujus ſententiæ *Pythagoricorum* fuiſſe addictum; præterquam enim quod & alii græci Scriptores corpus noſtrum ita appellaverint, Paulo ipſi 2. ad Corinth. V. 1. corpus noſtrum vocatur οἰκία τῦ σκήνυς,

quod

quod idem est ac οἰκια σκηνωδης. Jobus c. IV. 19. homines vocat בתי חמר שוכני. aliunde igitur id esset probandum. Et sane in capite antecedente v. 19. & 20. hujus scriptoris haud levia sunt vestigia, Auctorem cum *Platonicis* & *Pythagoricis* sententiam περι της των ψυχων προϋπαρξεως approbasse, ita enim loco citato loquitur: παις δε ἠμην ευφυης ψυχης δε ἐλαχον ἀγαθης. Μαλλον δε ἀγαθος ων ἠλθον εις σωμα ἀμιαντον. i. e. juxta vers. tigurinam. *Eram autem puer ingenio dextro præditus, bonamque sortitus indolem: imo bonus ipse cum essem, corpus incontaminatum adeptus sum.* Postremus versiculus sane *Pythagoricorum* & *Platonicorum* potius conveniens est sententiæ quam S. Literis. Ita certe Cicero in Catone Majore, ex horum Philosophorum sententia, ait: *Dum sumus in his inclusi compagibus corporis, munere quodam necessitatis & gravi onere perfungimur. Est enim animus cælestis ex altissimo domicilio depressus & quasi demersus in terram, locum divinæ naturæ æternitatique contrarium.* Et sane multi ex Judæis ipsis credebant προϋπαρξιν animarum, imo & גלגול נפשות μετενσωματωσιν, ut non solum ex *Philone* & *Josepho*, sed & ex loco *Johannis* Cap. IX. 2. constare potest. Vide ad locum hunc Interpretes. Sed de his in transitu. Tertius locus ad quem provocat, extat *Ecclesiast.* Cap. III. 11. Hebraica ita sonant:

את־הכל עשה יפה בעתו גם את־העלם נתן
בלבם מבלי אשר לא־ימצא האדם את־המעשה
אשר עשה האלהים מראש ועד־סוף׃

Circa postremam hujus versiculi partem in diversa abeunt Interpretes. Primo enim non conveniunt de voce עולם. *Drusius* & *Vatablus* per vocem hanc intelligunt curas & sollicitudines hujus mundi; alii vero mundum ipsum, i. e. Cœlum, Terram, Maria &c. deinde phrasin, dedit mundum in cor eorum, *Hieronymus* vertit: mundum dedit disputationi eorum, quem sequitur *Calmetus* dicens; *Le Seigneur a livré le monde aux recherches, & à la dispute des hommes;* alii, *mundum cordi esse voluit*, ut nimirum serio eum contemplaretur. Cl. *Coccejus* vertit, *dedit in cor eorum tempus ignorabile*, h. e. *cupiditatem, & curam longissimi ac incerti temporis.* Cum vox לבב, vel לב in Scriptura diversas habeat significationes, atque cogitationes, ratio-

cinationes, voluntatem, consilia &c. ut Lexica docent, denotet, forte haud errabimus, si vertamus; *mundum illis, cognoscendum*, vel *mente contemplandum* redit. Denique sequentia verba מבלי אשר &c. plerique vertunt; *ut non inveniat*. Cl. *Coccejus, præterquam quod non inveniet:* alii *non tamen ut* &c. vel ut *Grotius, sic tamen ut homo non inveniat* &c. quod eodem redit. Orta est difficultas ex eo, quod particulæ מבלי אשר לא alibi raro conjunctim reperiantur. Quod si ad sensum & scopum, quantum cernere possum, collatum cum Cap. VIII. v. 17. supra allati, animum converto, postrema versio præferenda videtur, quia scopus Dei non potuit esse, eo fine mundum contemplationi hominum objicere, ut homines plane nihil ratiocinando colligere exinde possent. Quod si integrum versiculum παραφράζειν velimus, constabit sensus sequentibus ni fallor propositionibus:

Prima est: Deus omnia pulchre, ordine, & tempore suo fecit & disposuit.

Secunda: Deus mundum, i. e. opera mundi contemplationi hominum objecit eo fine, ut potentiam suam, bonitatem & sapientiam exinde discerent.

Tertia: Hæc ipsa tamen mundi & operum Dei contemplatio ita est comparata, ut homines pleraque imperfectissime, quoad causas singulares effectuum in mundo occurrentium, intelligant, imo longe plura adhuc penitus ignorent.

Quod ad postremam propositionem spectat, nemo vel leviter in Physica moderna versatus eam negabit. Post tot enim doctissimorum Virorum disquisitiones & facta experimenta, innumera nos latere, candide fatentur illi, ipsi, qui singulari studio huic disciplinæ per omnem vitam vacarunt. Sensus vero, quem his verbis subjicere voluit Ill. *Huetius*, rationi, virtutibus divinis & S. Literis contrarius est. En eum! *Quamvis Deus sciret, nullum dari veri κριτήριον sensusque nos fallere, mundum tamen hominibus contemplandum objecit, nimirum eo fine ut frustra nitendo & laborando sese torquerent.* Sane hoc neque cum sapientia, neque cum æquitate Numinis consistere potest. Hoc enim si esset, cur tandem toties totiesque Scriptores sacri ad virtutes divinas in opere creationis, conservationis & providentiæ elucentes provocarent?

Quartus, ad quem provocat *Huetius* locus, petitus est ex Siracidis libro Cap. III. v. 22. 23. Græca ita sonant: χαλεπώτερά σε μὴ ζήτει καὶ ἰσχυ-

ἰσχυρότερα συ μη ἐξέταζε. (Quidam Codices addunt ἀφροσύνη) προσετάγη σοι ταυτα διανου ὁσίως. ου γαρ ἐστι σοι χρεια των κρυπτων βλεπειν ὀφθαλμοις. i. e. Secundum verſionem tigurinam: *Difficiliora quam quibus par ſis ne quæras, & ne ſcruteris ſtulte quæ vires tuas ſuperant. Quæ tibi mandata ſunt a Deo ſancte meditare; nec plurium operum ejus eſto curioſus; non enim eſt opus ut oculis tuis arcana pervideas.* Quantum mihi cernere licet, Auctor per altiora & difficiliora intelligit ea, quæ ad intimam Dei eſſentiam ejusque attributorum, phyſicorum præſertim, rationem pertinent. In hæc nimium curioſe inquirere imprudentiæ eſſe dicit. His quæſtionibus captum noſtrum ſuperantibus opponit ea, quæ ad nos pertinent, Dei ſcilicet præcepta. Quibus præceptis connexæ ſunt proprietates & actiones Dei, quæ nos ſpectant. Sunt hæ gnomæ morales, quarum ex græcis Scriptoribus plures ejusdem ſenſus ad h. l. adduxit *Grotius*. Sed quid faciunt tandem hæc ad confirmandam Ill. Epiſcopi hypotheſin? Num ſequitur; Ea quæ captum noſtrum ſuperant, non ſunt curioſe inveſtiganda; ergo veritatis omnis nulla eſt habenda ratio; ergo de divinis perfectionibus, operibus & voluntate, nihil ſcimus; ergo nullum datur veri κριτηριον? Novi *Huetium* citati libelli pag. 30. contendere, ſententias *Siracidis* ex ſcriptis *Solomonis* eſſe collectas. At quomodo id ſufficienter probet non video. Sunt quidem in hoc libro plures ſententiæ ſimiles iis, quas *Solomon* in medium protulerat; at ex eo nondum ſequitur, eas ab ipſo *Solomone* fuiſſe ortas. Non poſſunt non ſententiæ morales in multis conſpirare. Hinc etiam *Calmetus* pontificiæ Religioni addictus pag. 274. Comment. litteralis ait: *Jeſus, premier Autheur de l'Ouvrage, s'étant proposé Solomon pour modéle, s'appliqua comme lui à recommender l'étude de la ſageſſe & à donner aux hommes des inſtructions pleines de pieté.* Atque hoc eo magis veriſimile, quod ignotus Auctor in præfatione græca Libro præmiſſa, diſertis verbis aſſerat, ſe imitatum fuiſſe *Solomonem*. Reſtant adhuc duo loca ex N. Teſtamento petita. Prior extat in Epiſtola prima ad *Corinth.* Cap. I. v. 18. ſq. ubi ita Apoſtolus. Ὁ λογος γαρ ὁ του σταυρου τοις μεν ἀπολλυμενοις μωρια ἐστι, τοις δε σωζομενοις ἡμιν δυναμις Θεου ἐστι. γεγραπται γαρ. Ἀπολω την σοφιαν των σοφων, και την συνεσιν συνετων ἀθετησω &c. Non eſt animus prolixe verba hæc & ſequentia explicare, partim quod obſcuriora non ſint, partim quod abunde hoc ab eruditis Interpretibus factum ſit. Apoſtolus inde a v. 18. præſtantiam doctrinæ de redem-

tione Jesu Christi in cruce peracta deprædicat, atque ostendit, Eruditos inter Græcos, inani superbia tumidos, ea, quæ de Christo crucifixo dicebantur, tanquam rem rationi contrariam & abjectam fuisse aversatos. Tantum autem abesse, ut judicium hoc verum sit, ut potius in morte Jesu Christi sapientia Dei, i. e. virtutes divinæ, mirum in modum eluxerint. Hæc autem nil plane faciunt ad systema ἀκαταληψίας confirmandum. Intelligit *Huetius* per την σοφιαν, qua homines illi, quos impugnat Apostolus, usi sint, *rationem*: per eos vero qui Evangelio crediderint, tales, qui neglecto examine simpliciter Religioni nomen dederunt. At indigna plane est hæc tanto Viro interpretatio. Manifestum est Apostolum την σοφιαν τυ κοσμυ distinguere a τη σοφια τυ Θευ. Per σοφιαν igitur, qua homines illi sese instructos esse dicebant, intelligendæ opiniones & hypotheses, quibus erant imbuti Philosophi & σοφοι illius temporis, quibus addi potest dicendi ornate facultas, quam sectabantur. Hæc impediverant, quo minus Evangelio Jesu Christi, in quo sapientia Dei mirum in modum elucebat, nomen darent, fundamentaque, quibus superstructa erat sanctissima disciplina, ἄθερ παθων expenderent. Hanc animi dispositionem cum opinionum quarundam cognitione & defensione conjunctam vocat Apostolus την σοφιαν των σοφων, quæ verius μωρια dicenda. Erant enim illi homines, ut scite *comicus*, κενεης οἰησιος ἐμπλεοι ἀσκοι. Quid autem hæc faciunt ad rationem in se spectatam? tantum abest, ut ratio in se spectata, i. e. vis propositionis alicujus nexum perspiciendi, eos impediverit, quo minus præstantiam disciplinæ christianæ cernerent, ut potius dicamus, eos illius dignitatem & divinam originem admissuros fuisse, si recte ratione fuissent usi. Certe non ratio ipsa, sed præconceptæ animo opiniones, cum superbia & fastu conjunctæ, animos ipsorum a Religione christiana reddiderunt alienos. Quod si Illustris Viri interpretationem sequamur, dicendum eos omnes, qui sanctissimæ disciplinæ nomen dabant, nullis rationibus ad id faciendum fuisse commotos, abjectoque omni examine, quod rationis ope fit, cæcos Apostolorum dictis subscripsisse. Dicendum, verum esse, quod juratus Christianorum hostis *Celsus* ingeminabat, apud *Originem* Lib. III. pag. 137. nimirum Apostolos & primos Religionis christianæ Doctores dicere solitos: Μηδεις προσιτω πεπαιδευμενος, μηδεις σοφος, μηδεις φρονιμος, ἀλλ' εἰ τις ἀμαθης, εἰ τις ἀνοητος, εἰ τις νηπιος θαῤῥων ἡκετω. i. e. *Nemo accedat eruditus, nemo sapiens,*

piens, nemo prudens, sed si quis est indoctus, insipiens, infans, fidenter veniat. Haeccine autem salva dignitate Religionis christianæ & honore, quem præstantissimis & religiosissimis Viris debemus, asseri possunt? sed ponamus per illam σοφιαν, de qua Apostolus loquitur, & qua commoti Religionem christianam aspernabantur quidam ætate Apostolorum viventes, intelligendam esse rationem, num tandem sequeretur; hi homines ratione recte usi non sunt, ergo in ratione ipsa nullum reperitur veri κριτηριον? ergo illi omnium aptissimi sunt ad fidem habendam Religioni christianæ, qui omnia fundamenta, quibus disciplinæ omnes & scientiæ innituntur, incerta esse ajunt? Sane si hoc esset, frustra Christus & Apostoli ad disciplinæ christianæ præstantiam & dignitatem, ad miracula & ad vaticinia Prophetarum provocassent. Neque juvat *Huetium*, quod Apostolus dicat, Deum elegisse τα μωρα τȣ κοσμȣ. Manifestum est vocem τȣ κοσμȣ positam esse loco τω κοσμω, atque denotari eos, qui propter eruditionis tum temporis florentis penuriam, tantum non pro stultis ab hominibus illis superbis & vanis habebantur. Aliud est μωρος simpliciter, aliud μωρος ex aliorum opinione. Alter, & ultimus denique locus, ad quem provocat, petitus est ex epistola ad *Colossenses* Cap. II. v. 8. Hic ita sonat; Βλεπετε μη τις ὑμας ἐςαι ὁ συλαγωγων δια της φιλοσοφιας και κενης ἀπατης, κατα την παραδοσιν των ἀνθρωπων, κατα τα ςοιχεια τȣ κοσμȣ και ȣ̓ κατα χριςον. Non prolixe disquiram de qua potissimum Philosophorum tum temporis florentium secta hic loquatur Apostolus. Quidam *Cabbalam*, Judæorum figmentis incrustatam: alii sectam *Pharisaicam*: rursus alii Philosophiam *Platonicam* μετεωριζȣσαν, quæ plurimos tum temporis admiratores habuit, denotari putant. Quamcunque amplectamur sententiam, nihil tamen opinioni Ill. Viri accedit præsidii. Pravam sane philosophandi rationem intelligi, vel ex eo patet, quod eam κενην ἀπατην appellat Apostolus, unde etiam quidam Interpretes το ἑν δια δυοιν locum habere putant, ac si scriptum esset: δια της κενης ἀπατης της δια φιλοσοφιας. Nomen certe ipsum Philosophiæ nihil in se vitiosi habere, vel ex eo manifestum est, quod veteres Ecclesiæ Doctores, cum de Religione christiana agerent, hac appellatione usi sint; ut jam non dicam germanum Philosophiæ studium plurimum conferre, ad stabiliendam & defendendam Religionem christianam. Non diffitemur, sed facile concedimus, eam Philosophiam, de qua Apostolus loquitur, fuisse vanam,

 homi-

hominesque illi addictos præpediviſſe, quo minus rite expenderent diſciplinam chriſtianam. At quid hoc ad culturam rationis in ſe ſpectatæ facit? Miramur ſane *Huetium* conqueri de abuſu Philoſophiæ, qui ipſe tamen toto libello ſupra citato id unum agit, ut *ſcepticam* commendet *Philoſophiam*, quæ inter omnes tamen eſt peſtilentiſſima & Religioni, uti ſupra ſatis probavimus, inimiciſſima. Veriſſimum enim eſt illud Heſiodi.

πισεις δἄρα ὁμως και ἀπιςιαι ὤλεσαν ἄνδρας.

Credulitas pariter & Incredulitas perdiderunt homines.

Patrum quorundam loca, quæ adduxerat Epiſcopus, non moramur. Facile nobis eſſet, nonſolum ex aliis Patribus, ſed & ex iisdem, ad quos provocat, teſtimonia contraria adducere, ſi quidem id neceſſe eſſet. Patres a Scepticiſmo erant alieni, & credulitate inducti Philoſophiam potiſſimum Platonicam, quæ pietatis & ſapientiæ ſpeciem præ ſe ferebat, deamabant. Loca ipſa Patrum a doctiſſimo Viro adducta hoc unum probant, mentem nimirum noſtram, id eſt capacitatem ejus, anguſtis eſſe circumſcriptam limitibus, quod nemo negat. Ex adductis patet, *Huetium* loca Scripturæ valde violenter ad ſuam ſententiam ſtabiliendam traxiſſe.

Romanenſes multa fovent Decreta, quæ incautos facile eo adducere poſſunt, ut Religioni chriſtianæ mittant nuntium; Incredulos vero in ſuis opinionibus confirmant.

VIII. In antecedentibus oſtendimus, principia Philoſophiæ ſcepticæ ita eſſe comparata, ut homines nonſolum non præparet, quod contendit *Huetius*, ad Religionem chriſtianam facilius amplectendam, ſed quod potius eorum animos a Religione omni reddat alieniſſimos. Ex quo ſatis conſtat, *Huetium* inter eos referendum, qui præpoſtera quadam methodo Incredulos lucrandi uſus ſit, quique Religioni chriſtianæ male, licet forte præter opinionem ſuam, conſuluerit. Cum autem ſupra monuiſſem, Illuſtrem Epiſcopum non tant id egiſſe, ut veritatem Religionis chriſtianæ in genere, quam vero potius ut catholicæ in ſpecie cauſam tueretur, paucis adhuc oſtendam, in Eccleſia Romana multa publice tradi & inculcari dogmata, quæ nonſolum efficere natura ſua poſſunt, ut Incredulo ſuſpecta ſit Religio chriſtiana, ſed quæ etiam homines acutum cernentes & Eccleſiæ gremio receptos, ſed meliora per accuratum examen non edoctos, in vitium incredulitatis facile conjicere poſſint.

Et

Et *primo* quidem huc facit, quod Religionis examen Laicis, uti vocant, permittendum esse negent Doctores, & nonnisi in Ecclesiæ, vel Pontificis potius auctoritate & nutu adquiescendum esse contendant. Omnes homines, qui Revelationem aliquam cœlitus nobis datam esse agnoscunt, persuadere sibi aliud non possunt, quam eam ab optimo, sapientissimo, & generis humani cupidissimo Numine, eum in finem datam, ut omnes, quibus ea concessa est, edoceantur, quænam sit ipsius voluntas, quidve ad salutem consequendam requiratur. Ex quo sine dubio per legitmæ consecutionis leges sequitur, nobis sedulam esse navandam operam, ut inquiramus in quo tandem libro hæc Revelatio reperiatur, & quid potissimum in ea tradatur. Cum autem maximi momenti res sit Religio, a Deo quippe tradita, necesse est, ut omnes ingenii nostri nervos intendamus cognoscendi, in quo tandem illius natura atque indoles consistat. Hoc autem sine lectione S. Literarum, & Religionis in illis contentæ examine, fieri non potest. Non plane hic rejicimus Ductores & Doctores; novimus enim oculos plus cernere quam oculum, nosque sæpissime hic vel illic hærentes aut fluctuantes, aliorum eruditione & rerum divinarum peritia adjuvari & in rectam duci viam. At propterea disquisitioni propriæ & luci non est valedicendum; præterquam enim quod nos ipsi debemus esse persuasi de iis quæ credimus, notum est dari etiam *Doctores cæcos & falsos*, qui tenebras offundant luci, & errores specie veritatis commendent. Proinde necesse est, ut ipsimet solerter in res tanti momenti inquiramus. Quod si vero jam homines ingenio, judicio, cæterisque dotibus ad res magni momenti dijudicandas probe instructi, prohibeantur, quo minus Religionis a Deo datæ instituant examen, fieri aliter non potest, quam ut credant, Doctores publicos impostores esse, qui magnificis verbis Religionis extollant præstantiam, quæ tamen ejus sit indolis & naturæ, ut examen sustinere non possit. Emtor sane de merce magnifice sentire non poterit, quæ oculis suis subtrahitur. Postquam autem semel homines illi dubitare inceperunt, facile eo progrediuntur, ut putent, Religionem omnem nonnisi astutorum hominum esse inventum, a sacrificulis tanquam arcanum, ad quæstum faciendum, postea retentum. Quod si illi, qui hactenus contra Religionem animum non obfirmarunt, ob examen Religionis negatum in graves hosce errores facile incidere possunt, quid incredu-

lis

lis futurum ſit, nemo non videt. Hi homines nonniſi examen crepant. Quis ergo credat tales homines vacivas præbituros aures iis, qui dicunt, privatos ſine examine Religioni oportere ſubſcribere? an non albis dentibus tales Doctores ridebunt? annon ingeminabunt, ſani hominis non eſſe antecedentium turbam pecorum ritu ſequi? an non jure contendent, in re maximi momenti temere agendum & pronuntiandum non eſſe?

Accedit huic *ſecunda* cauſa, nimirum exaggeratio difficultatum, quas in examine Religionis occurrere ingeminant Doctores pontificii. Ubi ad hoc caput deventum eſt, omnes ingenii nervos, omnem eloquentiæ vim adhibent, ut nempe demonſtrent, quantis dubiis & difficultatibus examen illud privatum ſit obnoxium. Hinc non ſolum difficultates in explicatione S. Literarum occurrentes in medium producunt, ſed & varias opiniones eorum, qui ab Eccleſia Romana ſeceſſionem fecerunt, non ſine ſpecie triumphi, ad digitos numerant, exiſtimantes, homines, auditis tot ſcrupulis in examine Religionis occurrentibus, commotum iri, ut ad caput aliquod infallibile recurrant. Hac methodo imprimis uſi ſunt præter alios *Boſſuetus*, *Papinus* & P. *Nicole*. Poſtremus fuſe & adhibito omni ingenio id egit, partim in libro cui titulus: *les prétendus Reformés convaincus de Schiſme:* partim in alio opuſculo quod inſcripſit: *Prejugés legitimes contre les Calviniſtes.* Fundamentalis propoſitio, quam defendendam ſuſcepit, hæc eſt, ut verbis ipſius utar: *qu'il n'y a point de voye plus difficile, plus dangereuſe & moins proportionée à toute ſorte d'eſprits que celle de l'examen particulier de tous les dogmes.* At quid lucrantur tandem Doctores pontificii hac ſua agendi ratione? Nimirum hoc, ut increduli, qui dudum hiſce opinionibus imbuti fuerunt, atque exiſtimarunt, nullibi quam in principiis Religionis Naturalis pedem eſſe figendum, magis magiſque nonſolum a Romana Eccleſia, ſed & a chriſtiana diſciplina indies reddantur alieniores; præter enim difficultates, quas movent pontificii Doctores, Proteſtantium ſententias impugnantes, majores adhuc inveniunt, quando vel Conciliorum auctoritatem, vel ipſorum Pontificum vitam, mores atque decreta expendunt. Cumque nullius, etiam doctiſſimi & acutiſſimi, ſententiis facile ſubſcribant, quis credat, eos juraturos in verba eorum, qui omni examine miſſo, fidem habendam eſſe ajunt homini cuidam Romæ degenti & infallibilitatis donum ſibi arroganti? Neque magis

hac

hac ratione adducent Proteſtantes, ut ad Eccleſiam Romanam, rebus ita ſtantibus, recurrant. De quo tribus verbis hic aliquid dicam, ſequenti vero diſſertatione pluribus ea examinaturus. Quod igitur ad Proteſtantes ſpectat, aut ſunt illi homines ἀπαίδευτοι, aut diſciplinis exculti. Illi difficultates illas plane non morantur, perſuaſi quippe, ſe ad eas excutiendas non teneri. Credunt & jure quidem Deum, qui Revelationis Auctor eſt, pro infinita ſua bonitate & amore, quo fertur in genus humanum, eam ita omnium ingeniis attemperaſſe, ut adhibita diligentia, attentione & precibus ad eum fuſis, ea quæ ſcitu neceſſaria ſunt, facile intelligi poſſint. Cum æquitate enim & ſapientia Dei pugnare exiſtimant, ſi quis dicat, Revelationem a Deo hominibus eſſe conceſſam, at ita obſcuram captuque difficilem, ut ne milleſimus quidem ea, quæ ſcitu eſſent neceſſaria, comprehendere poſſit. Experiundo inſuper diſcunt, ſe frequenti, iterata & ſeria S. Literarum lectione, nonſolum capita in ſymbolo Apoſtolorum contenta, ſed & alia plura in iis deprehendere. His contenti controverſias non morantur. Ut credant, neceſſe eſſe putant, ut ſciant quid credant; ſed ut ſciant quid alii ſentiant, ſe teneri non exiſtimant. Quod ſi vero neceſſe eſſe putant, ut alios conſulant, in promtu ſunt vivi & mortui, qui dubia, quantum id neceſſe eſt, ſolvere poſſunt. Quod vero ad Eruditos hujus cœtus ſpectat, nonſolum illi difficultates illas habent probe perſpectas, ſed & cognoſcunt multas ex iis tuto poſſe ignorari, quaſdam apparentes duntaxat & ſolutu faciles, omnes vero ſimul ſumtas non impedire, quo minus ea, quæ ſcitu factuque ſunt neceſſaria, in Revelatione reperiantur. Et certe aut dicendum, difficultates illas, quas nectunt Eccleſiæ Rom. Doctores, eſſe plane inſolubiles, aut ſolubiles, atque adeo apparenter tantum inſolubiles. Si ſolubiles ſunt, cauſam non video, cur eas Eruditi inter Proteſtantes non æque facile ſolvere poſſint, ac Pontificii, niſi forte exiſtiment, doctos inter Proteſtantes aliam habere mentis conſtitutionem, quam Doctores pontificios. Si vero in ſe ſpectatæ inſolubiles plane ſunt, quæro, qua ratione id, quod in ſe ſpectatum ſolutu impoſſibile ſit, ab uno vel pluribus, ſive Romæ, ſive alibi degentibus, ſolvi poſſit. Quæro porro, utrum difficultates, quas nectunt, Religionis chriſtianæ veritatem ſubvertant nec ne. Si prius dicant, ipſis eſt eundum in caſtra Deiſtarum; ſi poſterius, aſſentiri debent nobis aſſerentibus, ea quæ ſcitu factuque neceſſaria ſunt ad ſalutem conſequendam, non obſtan-

tibus illis difficultatibus, in S. Literis clare esse patefacta. At tertium inquiunt, datur, nimirum ad auctoritatem infallibilis judicis est recurrendum. At ego hoc necesse non esse respondeo, partim quod ut omnia solvantur fieri non potest, neque etiam necesse est, partim quod ad solutionem alicujus difficultatis non requiritur infallibilitas, sed eruditio duntaxat & ingenium. Auctoritas ipsa per se ad solutionem dubii nihil facit. Quod si vero solvere eas posse Pontificem asserant, tum dicendum, eum infallibilem esse *Grammaticum*, *Criticum*, *Historicum*, *Chronologum*, *Philosophum*, uno verbo *infallibilem Polyhistorem*, quandoquidem ex variis disciplinarum partibus difficultates illæ petitæ sunt; quod utrum ex animo affirmaturi sint Doctores pontificii, dubito. Quod si scrupuli illi omnes jam sunt per Pontifices soluti, cur serio nobis eos objiciunt? cur non ostendunt libros, in quibus hæc solutio compareat? Cur controversias, quæ in ipsius Eccl. Romanæ gremio foventur, non componunt? Novimus quidem S. Patrem silentium diffidentibus imponere: at hoc non est solvere difficultatem. Mitto plura alia.

Tertia causa, quæ Deistas nonsolum in sua sententia potest confirmare, sed & multos ex cœtu Pontificiorum in vitium incredulitatis conjicere, peti potest ex cultu externo Religionis pontificiæ, quem Mariæ, Angelis, Sanctisque antiquis pariter & modernis tribuere solent. Animus non est data opera de hoc argumento agere. Hoc tantum dico, omnes quibus vera castaque Religio curæ cordique est, quique ad naturam virtutesque Numinis ab una parte; ab altera vero ad cultum rationalem respiciunt, facile deprehensuros, præcipuam cultus divini partem in cognitione, amore, adoratione, precibus, &c. sitam esse. Cultum vero externum simplicem & tanta Majestate dignum esse oportere. Notum vero cultum Eccl. Romanæ tot ritibus & cærimoniis esse repletum, ut vix perspici possit, qua ratione sanæ mentis homines illum servare possint. Audis hic sacra peragi lingua ignota; vides omnia in templis auro, argento & ebore nitentia, in quibus plebs stupet; precationes pleræque non ad Deum omniscium, sed ad Mariam Sanctosque diriguntur; coluntur Sancti, qui nunquam in rerum natura fuerunt. De his præprimis in *Legenda aurea*, cujus Auctorem Lud. *Vives hominem ferrei oris & plumbei cordis* vocavit, talia narrantur, quæ risum potius quam reverentiam in animis hominum excitare possunt, adeo ut Melchior

Canus

Canus Loc. Theolog. lib. XI. pag. 651. recte dixerit, *Sanctos tales fuisse exhibitos, quales ipsi, etsi possent esse, tamen noluissent.* In libellis tamen publicis, quibus plebs potissimum utitur, innumeræ sunt orationes ad hos ipsos Sanctos directæ. Quid dicam de variis peregrinationibus, quas miseri ad has vel illas sanctorum & sanctarum imagines & statuas faciunt? Quid de veneratione Reliquiarum? de remissione peccatorum argento comparanda, de taxa apostolica, alisque Religionis & cultus partibus? Hæccine autem ita sunt comparata, ut possint Deistam, qui rationalem duntaxat cultum ex principiis rationis petitum dari vult, convincere de præstantia cultus Religionis christianæ? an non talia potius animum ipsius a tali Religione alienum reddent? Imo hæc ipsa efficiunt, ut homines ab infantia Religioni catholicæ addicti, sed maturiore ætate disciplinis exculti severioribus, quando ad Religionem propius cognoscendam animum adjiciunt, deprensis tot portentosis & ineptis ritibus, incipiant nonsolum de veritate Religionis catholicæ, sed christianæ in genere dubitare. Eo facilius autem hoc obtingere potest, quod in quibusdam provinciis Europæ, libri pro veritate Religionis christianæ scripti, vel a Protestantibus de argumentis hisce editi, rarissimi sint. Ipsi certe Gentiles cognoscebant, verum cultum Numinis non in externorum rituum apparatu consistere. Loca ipsa, quia notissima sunt, non adduco. Novi quidem probe quæ ad hæc excusanda afferantur; at ea examinare non est hujus loci.

Huc *quarto* loco accedunt *miracula* varii generis, quæ ad hanc vel illam cultus & Religionis pontificiæ partem stabiliendam, patrata fuisse dicuntur. Notum est quosdam incredulorum miracula dari posse negare; alii ex hoc grege dari posse miracula non negant, fidem tamen simul habere nolunt iis, quæ in V. & N. Testamento narrantur, in quo quin errent dubium non est. Inter alias vero quas afferunt objectiones etiam hæc est; quod nimirum ab Ecclesiæ Romanæ Doctoribus tot numero portenta ad hæc vel illa inepta dogmata comprobanda referantur, ut haud facile cuiquam talia narranti vacivas possint præbere aures. Male hos homines ratiocinari, neque sequi: quidam impostores falsa jactarunt miracula, ergo vera dari non possunt, prudens quisque facile animadverit. Interim hoc non obstat, quo minus multi incredulorum inde ansam arripiant, detrahendi quantum possunt veris miraculis, præsertim quando audiunt ea fuisse patrata

vel ad Transſubſtantiationem confirmandam, vel ad ſanctitatem reliquiarum & hujus generis rerum probandam. Illi ipſi, qui huic cœtui adhærent, quando propius hæc τέρατα inſpiciunt, non poſſunt non ſæpiſſime ea fraudis ſuſpecta habere; & poſtquam ſemel fraudem detexerunt, ulterius ratiocinando quam par erat progrediuntur, i. e. incipiunt dubitare, utrum ea quæ in N. Teſtamento geſta referuntur ab omni fraudis ſuſpicione ſint aliena. Nemo ignorat innumera ab Eccl. Romanæ Doctoribus referri miracula, quæ ad Transſubſtantiationem probandam facta fuiſſe dicuntur. Cum autem Transſubſtantiatio res ſit, quæ ne fieri quidem poſſit, nemo, cui ſenſus communis ineſt, ſibi perſuadebit, Deum miraculo intercedere, ut propoſitioni, cui nullus ineſt ſenſus, adſentiamur. Quid autem judicabunt homines acuti ingenii de Doctoribus, qui ſerio talia aliis perſuadere volunt? Num ſana mente præditos & amore Religionis tactos eos eſſe credent? Hodienum tamen, in tanta Literarum luce, non deſinunt Viri docti hujus Eccleſiæ talia in ſcenam producere. Lege Itineraria Jeſuitæ *Labat* & *l'Hiſtoire des Miſſions Etrangeres*, ut de aliis multis nil dicam, (*) & videbis, pedibus manibusque id agere Doctores pontificios, ut doctrinam hanc magis magisque commendent. Quid quod celebres Philoſophi & Mathematici, cœtui huic addicti, poſſibilitatem Transſubſtantiationis mathematicis argumentis demonſtrare aggreſſi fuerint, inter quos eſt Cl. *Varignon.* Vide libellum cui titulus: *Pieces fugitives ſur l'Euchariſtie*, editum *Genevæ* 1730. Magis autem magisque confirmabuntur homines in ſuis dubitationibus, quando audiunt, quosdam Doctores Eccleſiæ Romanæ omni poſito pudore contendere, per hæc miracula fieri, ut unum idemque ſubjectum, hæ vel illæ reliquiæ, pluribus in locis reperiantur. Audi *Ferrandum* Jeſuitam, ita de hoc argumento in diſquiſitione reliquiaria loquentem: *Unum* (inquit) *mihi ſatis erit in præſentia dicere, ſupremum Numen ſuam dubio procul explicuiſſe ſententiam in iis nominatim reliquiis multiplicandis, quæ revera nonniſi unæ ſecundum entitatem & naturâ ſua ſingulares exiſtere poterant: Ut ſunt v. gr. præputium, ſanguis, aliaque id genus, quæ cum ad corporis Chriſti perſe-*

(*) Vide imprimis Joh. Patricii Fernandes Jeſuitæ librum, de apoſtolicis miſſionibus apud Chiquitos, Paraquariæ populos, latino ſermone Auguſtæ Vindelicorum editum.

perfectionem faciant, vel quæ cum ipso vel ab ipso traxerint originem, nec multiplices esse, nec diu illibatæ seu integræ servari poterant, nisi divina vis miraculosum in modum accessit. Idem in aliis multis reliquiis videre est. Ita Jesuita ille. Mirumne autem est, si homines acutum cernentes incipiant de religione male sentire, si audiunt talia serio Doctores Ecclesiæ cæteris credenda imponere velle?

Nec V. parum etiam faciunt ad incredulitatem promovendam *Vitæ Sanctorum*, quæ non contemnendam cultus religiosi partem in Ecclesia Romana conficiunt. Habent Sodalitates omnes suos Auctores τερατοις & insignibus factis insignes. Innumeris laudibus hos homines, supra quam veri regulæ permittunt, cumulant, imo inter se certant de gloria eorum. De his frequenter verba habentur ad populum, quibus tamen non possunt non sapientiores & acutiores offendi. Quid de his sensuri sint increduli facile est judicare. Quis miretur homines illos, quibus ipsa sanctissima Religio sordet, & Apostolorum simplicitas offendiculo est, auditis tot τερατολογιαις, de Religione Christianorum abjecte sentire? Hinc in ipsa Ecclesia Romana fuerunt semper Viri docti, qui optarunt, ut in describendis Vitis Sanctorum caute procederent modumque tenerent Biographi. Noti sunt labores *Launoji*, *Bailleti*, *Bosqueti*, *Arnaldi*, *Thiersii*, *Mabillonii*, *Papebrochii* & aliorum. At frustra hæc a doctissimis Viris ingeminantur, suspectique sunt qui talia consilia suppeditare volunt. Auget difficultatem, quod quibusdam horum Sanctorum, *Francisco* imprimis, talia attribuuntur, quæ si vera essent, probarent *Franciscum* virtutibus Christum & Apostolos si non superasse, certe æquasse. (*) Ita certe sancta Religio incredulorum risui exponitur: ita plebs virtutes Christi & Apostolorum, si modo de iis satis edocta est, a ridi-

(*) ,, Quanto in pretio sit FRANCISCUS in Ecclesia Romana omnibus notum est. ,, Ita ut alia taceam, Patronus is est Regni Peruviæ in America. ,. Refert autem M. le GENTIL dans le noveau voyage autour du Monde Tom. I. pag. 99. sibi, cum venisset in urbem Limam, Fratres FRANCISCANOS obtulisse disputationem, utque thesin aliquam publice impugnaret, invitasse. ,, Inter alias etiam hanc fuisse. ,, Divus FRANCISCUS Pater noster, ante susceptा vulnera non potuit peccare mortaliter, & post susceptionem nec venialiter quidem. ,, Hanc cum legisset, dixisse adstanti Fratri, dubiam valde sibi videri hanc thesin, quod ipsa Ecclesia de conceptione ,, Mariæ nihil definisset. Fratrem vero illum ira commotum hæreticum

culis & falsis actionibus horum Sanctorum vix distinguere poterit. Libelli sane de hoc argumento scripti digniores essent, ut in numerum librorum prohibitorum referrentur, quam plures alii, quos S. Officium obelo notare solet.

Huc VI. referri merito meretur doctrina Ecclesiæ Romanæ de Transsubstantiatione. Quin in opprobrium Religionis christianæ cedat monstrosum hoc dogma, nemo qui ad naturam illius attendit, facile poterit negare. Certe adeo ab omni ratione abhorret, ut de Revelatione nil dicam, ut mirum sit, qua ratione id unquam potuerit admitti. Ut enim huic dogmati subscribamus crassissima contradictio est admittenda. Hoc tot scriptis doctissimis est comprobatum, ut evidentiæ nil addi posse videatur. Quis autem miretur, Deistas alienum habere a Religione christiana animum, si talia ipsis decreta credenda offerantur? Quis miretur, multos in ipso Ecclesiæ Romanæ gremio, propter hoc ipsum abjecte de Religione christiana sentire? Quid sentient tandem homines acuti ingenii de Doctoribus publicis, si audiant eos clamantes, Deum ad Transsubstantiationem, i. e. rem impossibilem confirmandam, plurima semper fecisse & adhuc facere miracula? Accedit, quod iidem Doctores, absurdum dogma defensuri, dicant, fidem in hoc dogmate examinando sensibus non esse habendam, quo ipso firmissimum argumentum de veritate resurrectionis Jesu Christi Christianis e manibus, quantum in se est, eripiunt; cur enim, inquiunt Deistæ, credendum Apostolis, asserentibus se Christum vidisse è mortuis in vitam revocatum, si sensus nos fallunt in iis, quæ in oculos incurrunt, & manibus palpari possunt.

VII. Denique, ut alia silentio involvam, violentissimæ persecutiones & oppressiones, quibus Pontificii omni tempore contra dissentientes, quos hæreticos appellant, usi sunt & adhuc, si possunt, utuntur, multos sæpe homines in incredulitatis barathrum præcipitarunt. Immanes ejusmodi lanienas superioribus seculis cleri instinctu contra Pro-

„ ipsum vocasse, dignum qui in manus Inquisitionis tradatur. Hisce relatis in hæc erumpit verba. Que l'on rénie Dieu: que l'on blasphême; „ que les adulteres & les sacrileges publics restent impunis, ce ne sont „ que de vetilles dans ce pays. Mais attaquer S. Francois, le Thaumathurge „ du Perou, dire que malgré la sainteté de ses mœurs, & le rang que ses vertus lui ont donné dans le ciel. il a pû pecher comme le reste des enfans „ d'Adam, lors' qu'il étoit sur la terre, c'est un crime digne du feu.

Protestantes susceptas nemo ignorat. Constat etiam omnibus, Doctores plerosque Ecclesiæ Romanæ statuere, licitum esse contra hæreticos vim adhibere, ut de Jesuitarum opinione detestabili nil dicam, nimirum hæreticis non esse servandam fidem. Cum omnes homines idque summo jure existiment, Deum esse colendum juxta conscientiæ dictamen & notiones, quas de Deo, ejusque voluntate habent, gravissima injuria afficiuntur illi, qui propositionibus & articulis Religionis subscribere coguntur, quos in corde detestantur. Et certe nil magis divinis & humanis legibus contrarium est, quam aliquem cogere, ut id, quod Deo indignum esse putat, voluntatique ejus contrarium, verbis tamen profiteatur & laudet. Quid magis horrendum, quam hominem cogere, ut patriam, parentes, uxorem & dulcissima amoris pignora relinquat, eam duntaxat ob causam, quod conscientiæ, id est Deo, non auctoritati aliorum & nutui obtemperare velit? Huc accedit immane illud & infame Inquisitionis, uti appellatur, Tribunal, quod ad hæreticos, uti appellantur, in florentissimis Europæ Regnis non sine ignominia nominis christiani a Pontificibus erectum est. Tribunal hoc adeo humanitati omni repugnat, ut junctis viribus ad illud e terris extirpandum concurrere deberent Christiani: de quo argumento pluribus egerunt Viri docti. Vide *Limborchii Hist. Inquisitionis; P. Bayle Commentaire philosophique sur ces Paroles de Jesus Christ: Contrains-les d'entrer; Ejusdem* libellum, tomo primo hujus libri præmissum, sub titulo: *Ce que c'est que la France toute Catholique sous le régne de Louis le Grand.* Ut alios multos mittam. (*) Hæc cum errantibus agendi rationes multos eo inducere possunt, ut credant, sacrificulos, vel quicunque tandem illi sint, omni con-

(*) Pontificii contra multis probare volunt, concessum Religionis examen & conscientiæ libertatem, homines in gravissimos errores præcipitare. Non est animus controversiam hanc heic loci examini submittere. Adducam tantum, quia nostri HUETII mentionem facit, quæ contra Abbatem TILLADET eandem cantilenam repetentem, monuit doctissimus LA CHAPELLE *Biblioth. Anglicæ Tom. XIV.* part 1. Ita autem sonant ipsius verba. „ Laquelle est ce, de la tolerance ou de l'inquisition, qui conduit le plus naturellement à l'Atheisme? Consultons la raison, consultons l'experience, l'une & l'autre nous diront, que les pays à fagot doivent être les plus abondantes fourmillieres d'Athées. Si la Religion chretienne a des charactéres, qui peuvent soutenir l'examen le plus rigoureux, plus on laisse aux hommes la

conſcientiæ ſenſu deſtitui, quoniam pedibus manibusque id agant, ut homines ipſius Dei juſſa ſpernant; ulterius ratiocinando credent forte, Religionem nonniſi eſſe inventum fraudulentorum ſacerdotum, qui imperium in alios hac ratione ad ſe rapere velint; licitum eſſe in cauſa Religionis hiſtrionem agere; credent Religionem aliorum nutui, viciſſitudini temporum & locorum obnoxiam, atque adeo mutabilem eſſe; ut alia mala, quæ ex violentia oriuntur, jam quidem taceam. Poſſemus hiſce adjungere, quod pontificii Doctores, circa primarium caput, nimirum de infallibilitate Eccleſiæ, in diverſa abeuntes in Pyrrhoniſmum incidant. At hoc abunde ab aliis eſt præſtitum. Videatur Cl. Placette liber cui titulus: *de inſanabili Eccleſiæ Romanæ Scepticiſmo*; & τυ Μακαριτυ Alph. Turrettini *Pyrrhoniſmus pontificius, ſive Diſſertatio hiſtorico-theologica de variationibus Pontificiorum circa Eccleſiæ infallibilitatem.* oper. pag. 479. ſq. Videndum jam eſſet, qua ratione cauſam ſuam perorent Doctores pontificii. Notum imprimis eſt *Boſſuetum* & *Nicolium*, ut de aliis nil dicam, contra contendere, viam examinis, qua ſola in cauſa Religionis utendum eſſe cenſent *Proteſtantes*, homines neceſſario in *Indifferentiſmum conjicere.* Sed limites diſſertationibus ejusmodi poſitos ſupergredi nolumus. In ſequentibus fuſius de hiſce nobis dabitur agendi occaſio.

ΕΠΙΜΕ-

„ la liberté de cet examen, & moins la Religion doit etre expoſée au mé-
„ pris. Mais qu'eſt ce qu'en peut penſer un homme d'éſprit, lors qu'on luy
„ fait un crime impardonnable de la moindre curioſité, qu'il temoigne, ou
„ des plus petits doutes qu'il forme ? Ne ſoupçonnerat-il pas d'abord, que
„ cette Religion n'eſt qu'une torte d'araignée, dont tous les fils s'envolent
„ pour peu qu'on y touche. Et que cela ne ſoit pour un Athée que l'An-
„ gleterre & la Hollande ont produit, nous en pouvons nommer des ving-
„ taines, qui ſe ſont formés dans l'Eſpagne & dans l'Italie. Si nous ne
„ parlons pas de la France, ce n'eſt pas qu'elle n'en ait beſoin auſſi ſa part,
„ & l'hiſtoire de ce Royaume depuis 1682. nous apprendra quelque jour, ſi
„ les ſuites de l'intolerance univerſelle en ont banni l'irreligion. Ce ſera
„ ſur tout une choſe bien curieuſe d'y voir le Convertiſſeur Peliſſon mourir
„ ſans Sacremens, & un Evêque de Cour (HUETIUM intelligit) qui avoit
„ commencé par la Demonſtation de l'Evangile, finir par la Demonſtra-
„ tion du Pyrrhoniſme.

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ

Thesium Theologicarum.

I. Vehementer errant, qui asserunt, per Mysterium in S. Literis nihil aliud intelligi, quam rem ignotam quidem antea, sed revelatione facta facilem intellectu. Paulus certe incarnationem Christi, quæ suo tempore jam tunc facta erat, ὁμολογουμένως μέγα μυστήριον vocat. 1. ad Timoth. III. 16.

II. Magna profecto insania est, Evangelio non credere, cujus veritatem sanguis Martyrum clamat, apostolicæ resonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, mundus testatur, Dæmones confitentur: sed longe major insania, si de veritate Evangelii non dubites, vivere tamen, quasi de ejus falsitate non dubitares. Verissima *Pici Mirandulani Comitis* verba sunt.

III. Ad solidam & plenam de veritate Religionis christianæ persuasionem necesse non est, ut Deus hodienum miracula faciat.

IV. Merum est commentum, quando Sociniani asserunt, Christum, postquam natus est homo & antequam munus sibi à Deo Patre suo demandatum obire inciperet, in cœlo, divino consilio atque opera fuisse, & aliquandiu ibi commoratum esse, ut illa ab ipso Deo audiret & præsens apud ipsum videret, quæ mundo mox annuntiaturus & patefacturus esset.

V. A Theologo practico primum requiritur, ut ægrotantis, ad quem vocatus est, conscientiam penitissime perscrutetur; nam qui statim adveniens de Dei misericordia & justitia vindice, consarcinatis ad eam rem Scripturæ locis, quasi ad concionandum venisset, multa declamitet, non minus inconsulto faciat ac medicus, qui suum ægro nec viso nec audito prognosticon pronuntiet, præsertim cum medico præter ægrotantis vultum & pulsum arteriæ multa alia adsint signa, quæ prognosticon fundent: isti unicum offeratur indicium, sermo, quem si audire

gravetur, ut ſermocinetur ſolus, cauſæ dicere nihil poteſt, cur linguæ intemperantiſſimus, vel totius illius partis, quæ eſt de regenda conſcientia, imperitus habeatur. Magna igitur primo illo actu Miniſtro Evangelii utendum eſt patientia, ut ſive ex ægrotantis ore, vel ſi id minus æger poſſit, ex eorum qui ægrotanti officium faciunt, relatu, ſedulo ſciſcitetur ecquam ille, cum apud ſuos libere loquitur, fidei & pœnitentiæ ſignificationem exhibeat? Neque prius finem ſciſcitandi faciat, quam certam de ſtatu pœnitentis notitiam (quantum quidem certa ab homine de alterius animo notitia haberi poteſt) animo informarit. *Verba ſunt Theologi eximii Steph. Gauſſenii diſſert. de recto clavium uſu, pag. m.* 341.

DISSER-

DISSERTATIONUM

DE

RECENTIORUM QUORUNDAM ERUDITORUM PRÆPOSTERIS ADVERSUS INCREDULOS DISPUTANDI METHODIS,

PARS QUARTA.

Thes. I.

In antecedente Dissertatione, exemplo Illustris Ecclesiæ gallicanæ Episcopi P. D. *Huetii*, ostendimus, Ecclesiæ Romanæ Doctores, in suis adversus Protestantes scriptis, id potissimum a longo jam tempore egisse, & adhuc agere, ut nimirum ostendant, concesso cuivis Religionis examine, rejectoque contra infallibili judice, id est Pontifice Rom. vel Ecclesia, Religionis christianæ veritatem non solum probari sufficienter non posse; sed etiam nemini constare certo, quinam articuli Religionis credendi vel non credendi sint. Ut autem finem, quem intendunt, obtineant, partim ad ingenii humani imbecillitatem & cæcitatem; ad præjudicatarum opinionum vim, arctissimosque ingenii humani cancellos; partim verò ad difficultatum, quæ circa Religionis examen occurrunt, numerum, controversiarum multitudinem, opinionum, quæ inter eos, qui ab Ecclesia Romana secessionem fecerunt, diversitatem provocant, existimantes, Protestantes ita necessitate adactos esse, ad Ecclesiæ Romanæ infallibile scilicet tribunal, tanquam ad sacram aliquam anchoram confugiendi. Eam *Nos* oppugnandi viam potissimum ingressus est, Vir ingenio, doctrina & eloquentia præstans, P. *Nicole*, cum in tractatu,

Scopus hujus dissertationis & argumentum.

quem inscripsit: *Prejugés legitimes contre les Calvinistes*; tum singulari libro cujus titulus: *Les Calvinistes convaincus du Schisme.* (*) Rationes ipsius diligenter excusserunt tres Ecclesiæ Reformatæ Theologi Galli præstantissimi, *Claudius*, *Pajonus* & *P. Jurieu*. *Fischerum* Jesuitam eadem incedentem via oppugnavit eruditissimus Theologus *Chillingworthus*, edito libro bonæ frugis plenissimo, in quo solidissimis argumentis probavit, Protestantes tutissimam ad salutem perveniendi monstrare viam. (**) Inter Recentiores vero nostros Theologos, qui magno eruditionis apparatu nec minore ingenii acumine *Nicolii*, & qui eum sequebatur *Pellisonii*, rationes exami-

(*) Hoc unum egisse Virum doctum, multis licet usus sit ambagibus, perspicuis verbis docet in præfatione, in qua se ostensurum promittit: ,, Qu'il n'y a point de voye plus difficile, plus dangereuse & moins proportionée à toutes sortes d'esprits que celle de l'examen particulier de ,, tous les dogmes: Que l'exclusion de cette voye conduit d'elle meme à ,, celle de l'authorité, puisque tout homme, qui est obligé de savoir la ,, verité de quelque chose, & qui ne la peut apprendre par lui-même, ,, la doit necessairement apprendre d'autruy. Qu'on aura donc raison ,, de ne point hésiter, de prendre l'Eglise catholique pour guide, d'emprunter ses lumieres dans le discernement des verités de la foi, & de ,, se croire mille fois plus assuré en la suivant, que si l'on s'étoit abandonné aux foibles efforts de la raison.

(**) In gratiam eorum, qui rerum ad rem Literariam facientium cognitione delectantur, de fatis hujus libri aliquid monendum est. Magni is liber a doctissimis Angliæ Viris, iis præsertim qui Episcopales dicuntur, habitus est, & adhuc habetur. Sudes contra in oculis Pontificiorum semper idem erat. Nec deerant tamen ex ipsis Reformatis, Presbyterianis inprimis, turbulentis Caroli I. Regis Angliæ temporibus, qui præpostero zelo abrepti, auctoris virtutibus detrahere, librumque egregium suspectum & exosum reddere voluerunt. Ex horum numero erat CHEYNELLIUS quidam, qui post mortem in præstantissimi Viri librum ridiculo ausu suam exercere voluit sævitiam. Rem ipsam ita narrat A. WOOD in Athenis Oxoniensibus Tom. II. pag. 297. CHILLINGWORTHUS, inquit, Regi fidelissimus Ao. 1643. in castro Arundeliano a copiis parlamentariis captus, æger Licestriam abductus, obiit mense Januario ejusd. anni die XXIII. Postero die cum corpus ejusdem in claustrum Ecclesiæ cathedrali vicinum ad sepulturam deferretur, Magister FRANCISCUS CHEYNELL inter perduelles Ecclesiasticos primipilus, per latrocinium Rector de PETTWORTH in agro Sussexiensi, popularis simul ejus & coætaneus & olim condiscipulus, qui tum aderat, suprema defuncto soluturus, una cum cadavere etiam librum prædictum, cum hoc ridiculo dicam an vecordi sarcasmo terræ

examinarunt, merito referendus est Jacobus *Saurinus*, edito libro cui titulus: *L'Etat du Christianisme en France, divisé en trois parties, ou Lettres addressées aux Catholiques Romains; aux Protestans temporiseurs; & aux Deistes.* Longius autem processit in hac methodo probanda & commendanda Archiepiscopus Cameracensis *Fenelonius*, qui teste Biographo ejus, eo usque progressus est, ut contenderit, non aliam esse convertendi ipsos Deistas rationem, quam si examine omni misso, eos primum eo adducamus, ut credant, dari in terris infallibilem aliquem judicem, qui homines de divina origine Religionis christianæ non solum faciat certos, sed & qui verum sensum Revelationis pandat, omnesque suborituras controversias componat.

S 3 Judice

terræ mandavit: *Apage ergo inquit execrande Liber, qui tot animas pretiosas seduxisti; Apage inquam, putride & corruptionis jam plenissime liber, utque terram terræ, pulverem pulveri; ita te tuo Authori in eandem putredinis regionem committimus, ut tu & ille corrupti pariter & corruptores una æternum pereatis.* Ita miser ille zelotes. Sed aliud positum est a Viris cordatis, virtutibusque defuncti dignum epitaphium, quod Oxonii visitur, & ita sonat: *Virtuti sacrum. Spe certissimæ resurrectionis hic reducem exspectat animam Guilielmus Chillingworth, S. T. P. Oxonii natus & educatus, Collegii S. Trinitatis olim decus & gloria. In omni Literarum genere celeberrimus; Ecclesiæ Anglicanæ adversus Romano-Catholicam propugnator invictissimus, Ecclesiæ Sarisburiensis PRÆCENTOR dignissimus, sine exequiis furentis cujusdam Theologastri, Doctoris Cheynell, diris & maledictione sepultus, honoris & amicitiæ ergo ab Olivero WHITBY brevi hoc monumento posterorum memoriæ consecratus.* De præstantia vero ipsius libri a CHILLINGWORTHO conscripti, cuivis ex lectione ipsa constare potest. Multorum testium loco affero duntaxat de eo judicium doctissimi COSTE, quod reperias in nota, versioni gallicæ tractatus III. LOKII de Educatione Liberorum adjecta. Ce savant Theologien (inquit) publia sous le regne de Charles I. en anglois une apologie de la Religion Protestante, où les veritables principes de cette Religion sont defendus avec beaucoup de candeur, & avec une force & une netteté incomparable, contre les objections d'un habile Jesuite, qui avoit ressemblé avec beaucoup d'art les argumens les plus specieux, que les Catholiques Romains puissent opposer aux Protestans. Cet Ouvrage n'est qu'un tissu naturel de raisonnemens pleins de solidité & d'évidence.

Judice tali admisso, difficultates omnes circa negotium Religionis occurrentes disparere, omniaque posthac esse captu facilia. Hinc pag. 142. hujus Biographiæ asserit *Fenelonius*, totam Religionem ad duo principalia referri posse capita, nimirum ad *sincerum amorem Dei*, & *ad obedientiam erga Ecclesiam*. (*) Quoniam vero nova hæc cum Incredulis pugnandi ratio non solum lepida plane est, & rationi contraria, sed & incredulos in erroribus suis confirmat, imo magis a Religione christiana reddit alienos, dignum hoc est argumentum, quod paulo plenius excutiatur. Accedit, quod illi qui ita sentiunt, Protestantes omnes insaniæ accusent, quasi nempe iis sint imbuti sententiis, quibus nulla demonstrandi vis inesset, quodque adeo doctissimi inter eos Viri, qui hactenus Religionis christianæ veritatem probare, atque contra incredulos vindicare aggressi sunt, inepte & ridicule egerint, suamque in ratiocinando infantiam commonstraverint. Quod convitium, nobis impactum, non est ferendum, sed fortiter repellendum. In antecedente dissertatione ostendimus, multa esse Ecclesiæ Romanæ placita, multosque ritus, quæ non possint non animos vel incredulorum contra Religionem christianam obfirmare, vel oculatiores sed non satis circumspectos homines, in ipso gremio Ecclesiæ Romanæ educatos, in vitium incredulitatis præcipitare. At juvat directe & paulo plenius hoc argumentum tractare. Eum in finem in hac & sequenti dissertatione *primo* in genere ostendam, methodum *Fenelonio* & sequacibus adeo probatam ineptam plane esse ad incredulos convincendos: *secundo* ipsius increduli dubia contra Religionem christianam in medium prolata, una cum argumentis, quibus ad eum convertendum usus est *Fenelonius*, expendam. Et *tertio* tandem evincam, solos Protestantes tutissimam, Religionis christianæ veritatem probandi & vindicandi, viam monstrare.

Fenelonii sententia de methodo revo-

II. Ostendemus igitur primo in genere, quam parum hæc methodus *Fenelonii*, imo omnium Doctorum Ecclesiæ Romanæ, infallibilitatem visibilis alicujus in terris judicis urgentium, faciat, vel ad incredu-

(*) Nous n'avons, inquit pag. 142. proprement que deux Articles de foi, l'amour d'un Dieu invisible, & l'obéissance à l'Eglise & à son Oracle vivant. Toutes les autres verités particulieres s'absorbent dans ces deux verités simples & universelles, qui sont à la portée de tous les esprits.

credulos convertendos, vel ad Protestantes in gremium Ecclesiæ Romanæ revocandos; ita tamen ut hic potissimum rationem habeamus illius *Increduli*, qui Biographiam Ill. Episcopi conscripsit. Illustris Archi-Episcopi sententia, summatim considerata hæc est: Neminem posse esse certum, vel de veritate & divinitate Religionis christianæ in genere, vel de explicatione Scripturæ, & articulis Fidei in specie, nisi antea persuasus sit, Deum in terris constituisse infallibilem Oraculorum divinorum interpretem & controversiarum judicem: causas hujus rei quærendas esse ait, cum in mentis humanæ cæcitate & imbecillitate; tum in Revelatione ipsa, ejus dogmatibus, interpretandi difficultate &c. credibile autem non esse, Deum tam parum prospexisse Ecclesiæ suæ; mittendas adeoque esse incredulo, veritatem anxie quærenti, sollicitas utriusque partis disquisitiones, quoniam hac via e tenebris non eluctetur, sed potius in erroribus confirmetur: credendum potius & quidem fundamenti loco, Deum talem constituisse in terris circa Religionis negotium judicem, cujus infallibili auctoritate inniti possimus; hunc obsequioso animo audiendum, & omnibus rationibus, quæ a superbia ingenii nostri duntaxat oriantur, valedicendum. Admisso hoc judice, incredibili statim luce superfusum iri mentem increduli, adeo quidem, ut is posthac evidentissime percepturus sit non solum Religionis christianæ divinam originem, sed & veritatem omnium decretorum Ecclesiæ veræ, i. e. si Diis placet, Romanæ. His aliisque rationibus, quas data occasione infra afferemus, se antea Deistarum factioni addictum, commotum fuisse, ut Deismo mitteret nuntium & Ecclesiæ Romanæ subscriberet decretis, narrat Biographus Ill. *Fenelonii*. Sed hæc nostra opinione methodus ad convellendos incredulos inepta plane est, quod jam quidem paucis est ostendendum, quoniam in sequentibus, ubi *Fenelonii* rationes & loca Scripturæ S. in medium proferemus, singillatim de hoc argumento tractandi dabitur occasio. Quando igitur Doctores pontificii hanc methodum sequentes & probantes, incredulos conversuri, ante omnes rationes ex Revelatione petitas persuadere volunt, Deum in terris posuisse infallibilem rerum ad Religionem spectantium judicem, tum id probare debent, vel ex *Ratione*, vel ex *Revelatione*, vel denique ex *Traditione*, quartum enim non datur. Quod ad *primum* attinet, admittit incredulus æque ac Doctor pontificius generalia Theologiæ Naturalis principia; neuter

candi Incredulos breviter explicatur, & quam parum faciat ad eos lucrandos in genere ostenditur.

ter tamen ex his principiis colligere poterit, Deum in terris ejusmodi infallibilem judicem constituisse: dependet enim hoc ex voluntate Numinis liberrima. Nullum rationi inest principium, ex quo perspicue colligi possit, Deum velle, ut in rebus ad Religionem spectantibus alterius auctoritati nos submittamus; imo potius contrarium suadet ratio, ingeminans, nihil sine ratione admittendum, eaque duntaxat credenda, quæ Dei virtutibus & voluntati consentanea esse *ipsimet* simus persuasi. Eo magis autem inepta videbitur hæc sententia incredulo, quod ea quæ creditu necessaria sunt pauca numero esse putet, taliaque, quæ a quovis, cui sensus communis inest, facile percipi possint. Et si sola ratio sufficeret ad probandum, dari ejusmodi infallibilem in terris judicem, cur tandem Doctores pontificii adversus nos disputantes, toties totiesque provocant ad loca S. Scripturæ? annon sola ratio, qua & nos instructos esse concedere, qua sunt humanitate & æquitate, volunt, sufficeret, si tam evidens esset, dari ejusmodi infallibilem judicem, quam clarum est, totum esse majus sua parte? sed quid opus hic pluribus verbis? fatentur sane doctissimi & eruditissimi inter Pontificios Viri, infallibilitatem illam Pontificis ex ratione probari non posse. Inter eos, ut unum omnium loco proferam, est famigeratissimus *Arnaldus* in suis adversus celeb. *Claudium* disputationibus: Tom. I. Lib. I. cap. VII. pag. *66.* verba ipsius ita sonant: *Ce n'est point une chose claire de soi même que cètte infallibilité, puis qu'elle depend uniquement de la volonté de Dieu, qu'il nous a declarée par l'Ecriture, l'Eglise n'étant pas naturellement infaillible, c'est par les principes de la foy, ou par une longue suite de raisonnemens, qu'on doit prouver qu'elle l'est surnaturellement.* Regerent forte Doctores pontificii, ex ratione tamen constare, auctoritatem talis judicis plurimum collaturam esse ad scrupulos errantibus eximendos, & ad componendas omnes controversias; ex quo sponte sequatur, Deum decere ut talem constituerit. Sed respondebit Deista, aliud esse *optare*, aliud *probare*; neque enim quæ nostris rebus conducere putamus, illico Deum præstare debere colligere possumus: imo talem necesse non esse asseret incredulus, quod ad pauca illa quæ credenda esse putat, ne judice quidem, nedum infallibili, opus sit. Imo contendet & quidem jure, argumentum hoc Doctorum Ecclesiæ Romanæ plus probare quam probandum erat, atque adeo nihil probare. Notum

est

est vitia plus officere saluti generis humani quam vero errores. Quod si argumentum horum hominum aliquid valeret, efficere debuisset Deus, ut homines non solum ab erroribus, sed & a vitiis omnibus essent immunes, quod tamen non fecit, sed ad errores æque ac vitia cavenda sufficientia suppeditavit media. Imo si hoc Pontificiorum argumentum rite expendimus, comperiemus, illud non dissimile esse cavillationibus hominum profanorum, Providentiam divinam impugnantium, atque dicentium; si Deus rerum humanarum gereret curam, tot erroribus & vitiis non essent homines contaminati, sed efficeret, ut omnes verum cernerent & virtutem amarent. Non possunt aliter pontificii Doctores vim consequentiæ hujus solvere quam Protestantes, asserendo inter alia, Deum satis præsidii attulisse humano generi ad mala illa si velint evitanda: neminem cogi ut volens erret; neminem etiam ut peccet, impelli. Perget incredulus & dicet, Deum, si voluisset ope infallibilis judicis hominibus viam cognoscendi veritatem monstrare, atque impedire, quo minus ipsi a vero rectoque aberrarent, nunquam passurum fuisse, ut tot ineptæ, monstrosæ, Deo indignæ, & societati nocivæ inter Christianos orirentur opiniones & sententiæ, & homines illos infallibiles contra instructurum fuisse omnibus illis mediis, quæ ad mala illa omnia evitanda fuissent apta: manifestum autem esse ne eos quidem, qui talem judicem admittant, ab his malis esse immunes, nedum cæteros qui eum alto supercilio contemnant. Imo instabit & dicet, tantum abesse ut probari possit per rectæ rationis leges, Deum decere talem in terris constituere judicem, ut potius Dei virtutibus, si Pontificiorum sequamur sententiam, ejusmodi infallibile tribunal quam maxime sit contrarium. Solent pontificii Doctores, quando necessitatem ejusmodi infallibilis Doctoris & Ductoris urgent, provocare ad ingenii humani cæcitatem & ignorantiam, asserentes inter alia, plerosque mortales ad examen instituendum ineptos esse, & tantum non, ubi de rebus ad Religionem spectantibus agitur, communi sensu destitutos. Deum igitur iis dedisse medium huic statui accommodatum, nempe judicem infallibilem, in cujus arbitrio sine examine Religionis acquiescere possint. At quid tandem hoc aliud est, si scapham scapham appellare volumus, quam asserere, Deum homines nulla, ad Religionem quod spectat, voluisse perfundere luce, sed ipsi placuisse, ut in veterno suo suaviter

ter obdormiscerent, securi rerum ad Religionem spectantium; ut cæco assensu subscriberent Pastoribus suis, dicentibus, credite quod dicit vel Ecclesia vel Pontifex, neque tamen quid illa credat, & cur hoc non aliud credendum injungat, necesse est curetis: annon ita Deus vellet, ut homines verum non examinarent, sed manerent stupidi & rerum divinarum incurii? Hoccine autem cum virtutibus divinis, sapientia nimirum ejus, sanctitate & æquitate convenit? annon ita malum augetur, dum ita, volente ipso Numine, in ignorantia rerum divinarum mortales permanerent, atque etiam eo nomine essent excusabiles? sed quid opus est pluribus verbis? qui vel unum aut alterum librorum a Deistis conscriptorum legit, videbit, eos ea, quæ de judice infallibili dicuntur, inter suavia referre somnia, & albis dentibus ridere. Unde mirum est, qua ratione Proselytus noster tam cito fuerit ab Episcopo de necessitate ejusmodi judicis infallibilis convictus: de quo tamen infra plura. (*)

III. Tran-

(*) Pluribus hoc argumentum Pontificiorum ab utili duntaxat petitum impugnat eruditissimus Chillingworthus, libri supra laudati part. I. pag. 341. sq. Quædam duntaxat in gratiam Lectoris adducemus: Selon cette maniere de raisonner, (inquit) un autre ne pourroit-il pas dire, qu'il feroit encore plus utile pour plusieurs bonnes raisons, que tous les Patriarches fussent infaillibles, que non pas le Pape seul? un autre, qu'il feroit encore plus utile que les Archevêques de chaque Province le fussent, que non pas les Patriarches seuls; un troisiéme qu'il feroir encore plus utile que les Evêques de chaque Diocése le fussent; un quatriéme, qu'il feroit encore plus utile que tous les Curés de chaque Paroisse le fussent; un cinquiéme, qu'il feroit encore plus utile, que tous les Péres de famille le fussent; un autre enfin pourra dire, que la chose la plus utile & la plus convenable de toutes feroit, que tous les hommes, & toutes les femmes le fussent, & cela d'autant plus, qu'il vaut beaucoup mieux prévenir les controverses, que de les décider; beaucoup mieux prévenir les Hérésies que de les condamner; &, raisonnant sur vôtre principe, conclure sans plus de façon, que non seulement le concile général, non seulement le Pape sont infaillibles, mais encore que tous les Patriarches, tous les Archevêques, tous les Evêques, tous les Curés, tous les Péres de famille; & non seulement cela, mais encore généralement tous les hommes, & toutes les femmes de la Chretienté, le sont. Si vous m'allés dire, comme vous me le dirés sans doute, que cette conclusion est d'unē absurdité palpable, trés contraire aux sens & à l'experience: convenés donc que le principe d'où elle s'ensuit evidemment & trés consequemment, est un principe faux & absurde, savoir, que ce qui paroit être le *plus propre* & le *plus convenable* à

la

III. Transeundum igitur erit Doctori nostro pontificio, *incredulum* in viam veri rectique revocaturo, ad *Revelationem*, atque probandum, non solum dari Revelationem aliquam divinam, & in ea perspicuis verbis tradi, non tantum Deum in terris constituisse infallibilem judicem circa res ad Religionem spectantes; sed & eundem ad finem seculorum, non interrupta serie, iis semper donis & præsidiis ejus successores instruxisse & porro instructurum, ut nemo, etiam simplicissimus, dubitare possit, quin ita Deus, non aliter, Ecclesiæ suæ prospicere voluerit. Qua ratione autem id feliciter præstari possit fateor me non perspicere. Primo enim quæret ex Doctore pontificio *incredulus*, utrum liceat examinare argumenta, quibus probetur, dari ejusmodi supernaturalem Revelationem, eamque esse divinæ originis nec ne; si neget Doctor pontificius, & contendat ante omnia acquiescendum esse in eo, quod dudum vel ab Ecclesia, vel a Conciliis, vel a Judice infallibili scil. Papa decretum sit, ridebit incredulus hunc Doctorem, & talem pro Sophista, vel homine artis ratiocinandi imperito habebit, indigno qui audiatur. Quid enim magis a ratione alienum est, inquiet, quam in re gravissima subscribere alterius sententiæ sine examine? quid stultum magis quam hoc, nimirum alium velle cogere, ut sine argumentis admittat propositionem, de qua utrum vera sit an falsa hactenus disceptatur? Ita impostoris cujusvis, inquiet, deliriis esset subscribendum, si talis assensus sufficeret. Quod si vero Doctor pontificius examen permittit, atque hanc thesin probandam suscipit: *christiana Religio est divinæ originis*, tum quæritur utrum ad eam rite probandam

Eadem infallibilitas neque ex traditione poterit probari.

T 2 funda-

la raison humaine, le paroit aussi à la Providence divine, dans la conduite qu'elle tient envers les hommes. Et pag. 345. Qui ne voit, qu'en supposant que l'Evêque de Rome eût été établi Chef de l'Eglise & Juge des Controverses, c'auroit été un grand bien pour l'Eglise, aussi grand, peut-être, que celui qui lui revient de tout le reste de la Bible, que dans quelque livre de l'Ecriture, qui dût être indubitablement reçû comme canonique, cette seule proposition se trouvat couchée en propres termes; pour l'Eglise, aussi grand, peut-être, que celui qu'elle retire de tout le reste de la Bible. *Les Evêques de Rome seront à perpetuite Monarques de l'Eglise; & eux seuls, ou conjointement avec leurs adhérens, seront les Guides de la foi, & les Juges des Controverses qui s'éleveront parmis les Chrétiens.*

fundamenti loco ponendum putet eam esse veram, quia infallibilis judicis auctoritas intercedat; vel quia variis argumentis ad ita non aliter sentiendum fuerit commotus. Quod si *posterius* ponat, non alia via poterit incedere, quam ea, quam ineundam esse dicunt Protestantes; nimirum provocando ad characteres Revelationis & ad omnia illa argumenta, quibus & veritas & divina origo Religionis christianæ probari solet. Hic vero nihil singulare habent Doctores pontificii præ Doctoribus aliis, qui non nisi argumentando & ratiocinando, ad quæstionis hujus solutionem perveniri posse probe sciunt. Sed ita agendo & ratiocinando peccarent contra Ecclesiæ decreta, quæ viam examinis præscribit; peccarent Doctores pontificii contra *Fenelonii* primum & præcipuum præceptum, quod vetat in quæstione hac excutienda, & contra incredulum vindicanda, ad examen Religionis ipsius accedere, quoniam si Episcopum hunc audias, incredulus non solum hac ratione ab erroribus suis revocari non potest, sed & in tot difficultates conjicitur, ut non habeat, quo sese vertat. *Obediendum* est incredulo e tenebris emersuro, & vim veritatis percepturo, si Episcopum audias, non *examinandum.* Uno verbo; posito & concesso tali examine, ab incredulo instituendo, occurrunt omnes illæ difficultates, quas tanto cum supercilio in via examinis Doctores pontificii deprehendi clamitant, quasque in cumulum conjecit doctissimus *Nicole*, libro supra citato cap. XVI. Hic autem difficultatibus, quas non sine rethoricationibus multis in medium proferunt, nonsolum enodandis pares ipsi non sunt Doctores pontificii, quandoquidem homines doctissimos etiam, sine auctoritate judicis infallibilis iis præsidiis instructos esse negant, quæ ad solvendas illas difficultates requiruntur; sed & quoniam negant, quenquam vel de Religione christiana in genere, vel de articulis creditu necessariis in specie, sine accedente auctoritate ejusmodi infallibilis judicis persuasum esse posse; imo quod maxime ridiculum est, posita infallibilis hujus judicis auctoritate, non magis verum cernunt, quam antea. Pone enim agi de hoc vel illo difficili loco S. Scripturæ explicando; Pone etiam dari ejusmodi judicem; ad solvendam quæstionem opus est, ut ita vel aliter ipsum locum interpretemur, aut quia hoc judex asserit missis omnibus argumentis: aut quia ex regulis hermeneuticis singulis expensis hanc non aliam interpretationem valere posse docet; *prius* si asserunt Doctores pontificii,

tificii,

tificii, ridiculos ſeſe faciunt, quando judicis ejusmodi infallibilis incredibilem ad verum cernendum extollunt vim & efficaciam. Ita enim non magis cernunt verum homines circa hunc vel illum locum, hunc vel illum articulum hærentes, quam ſi nullus in terris eſſet infallibilis judex; neſciunt enim cur ei potius quam alii vacivas præbeant aures. Si vero *poſterius* tuentur, non ſolum non obſtante hoc judice multa manebunt obſcura, ſed & hac ratione vis omnis explicationis, argumentis quæ adhibita ſunt, non hominis auctoritate argumentis deſtituta, innititur, & ita perinde eſt utrum ejusmodi judex adſit nec ne. Rationi vero convenientius agunt Proteſtantes, quandoquidem illi quidem non negant, dari in Revelatione quædam cognitu difficilia, neque omnia, quæ in S. Literis continentur planiſſima eſſe, ſed ſimul tamen tuentur, ea quæ creditu factuque ſunt neceſſaria, clare & perſpicue in Sacris eſſe revelata. Hoc ipſum cum negent Pontificii, eo ipſo concedere debent, neminem ſecundum principia ſua difficultates circa Religionem occurrentes tollere poſſe, cum neque docti, neque ſimplices illas tollere, Pontifex vero eas adhibitis etiam argumentis penitus diluere non poſſit. (*) Quod ſi vero Doctor pontificius incredulum in viam veritatis revocaturus, antequam probavit divinam eſſe Religionem chriſtianam, pro certo ponit, dari infallibilem aliquem in terris judicem, tum manifeſto peccat contra regulam Logicorum, quæ vetat *το ἐν ἀρχῃ λαμβανειν*. Hactenus enim probatum nondum eſt, talem dari ex principiis rationis; cumque ſecundum Doctorum horum

(*) Gnaviter hanc difficultatem urſit præſtantiſſimus CHILLINGWORTHUS, jamjam a nobis laudatus pag. 295. ſq. Tom. I. libri de veritate Relig. Proteſtantium ſcripti; Pag. 301. inter alia ſic alloquitur pontificium Doctorem: Pourquoi vôtre Egliſe tient-elle ainſi ſa chandelle ſous le boiſſeau? Ce Talent qu'elle a d'interprêter infailliblement l'Ecriture, pourquoi le tient-elle ſi longtemps enveloppé dans un mouchoir? Pourquoi en fait-elle à deux fois? Que ne publie-t-elle tout d'un coup une expoſition & un commentaire infaillible ſur toute la Bible? Eſt-ce qu'il ne ſeroit pas utile & profitable pour les Chrétiens, que toute l'Ecriture fut interpretée? Il y auroit du blaſphéme à le dire: & l'Ecriture ſe rend à elle-meme ce témoignage, qu'elle eſt *toute profitable*; & c'eſt moins les paroles, que le ſens, qui ſont l'Ecriture. Et ſi cela n'eſt pas profitable pour tous les Chrétiens; pourquoi employe t-elle des Docteurs particuliers pour expliquer l'Ecriture? Eſt ce donc que des Interpretations faillibles de l'Ecrirure ſont profitables, & que des Interpretations infaillibles ne le ſeroient pas?

decreta, nemo de divina origine Revelationis certo poſſit eſſe perſuaſus, ſine auctoritate judicis illius, neceſſe eſt ut Deiſta aut in ſua permaneat ſententia, aut inſtituto examine argumenta, quibus Religionis chriſtianæ veritas probatur, expendat, articulos ſingulos probe examinet, omnibusque ita ſolerter expenſis, quid affirmandum, quid negandum ſit, ſecum conſtituat. Quod ſi *poſterius* facit, eam ingreditur viam, quam Proteſtantes ineundam cenſent. Quo ipſo falſum erit, quod aſſeruit *Fenelonius*, Deiſtam de veritate Religionis convinci aliter non poſſe, quam ſtatuendo ante omnia, *dari infallibilem in terris judicem.* Si vero concedere nolit Doctor pontificius, ut miſſa auctoritate infallibilis Doctoris incredulus examen Religionis inſtituat, atque diſpiciat, utrum Deus in Revelatione perſpicuis verbis ſignificarit, ſe talem judicem rerum ad Religionem facientium in terris conſtituiſſe, neceſſario ad aliud principium eſt confugiendum. Magis autem ſuſpectum erit conſilium Doctoris pontificii incredulo, quod is haud ignoret, Scripturam Sacram, vel potius Deum in ea loquentem, velle, ut homines voluntatem ſuam cognituri S. Literas legant, ibique dicta expendant. Vide Act. XVII: 11. Lucæ Cap. XVI.: 29. Deut. VI: 6. 7. 8. Coloſſ. III: 16. Joh. V: 39. 2 Petr. I: 19. 1 Joh. IV: 1. ut alia loca taceam. Quo jure, inquiet incredulus, a me poſtulat hic vel ille Doctor pontificius, ut ſine examine Religioni chriſtianæ ſubſcribam, cum vel ipſe hujus Revelationis Auctor ut id faciam poſtulet? Cum autem ex rectæ rationis decretis nemo poſſit demonſtrare, Deum humano generi talem dediſſe judicem, Revelatio vero divina eſſe non poſſit ſecundum Pontificios, niſi accedat prius auctoritas talis judicis, neceſſario ad *Traditionem*, i. e. tertium aliquod a ratione & Revelatione diſtinctum principium eſt recurrendum, quando adverſus incredulum probare vult Doctor pontificius exiſtentiam ejusmodi ducis infallibilis. Sed & hic incredulo mediocri ingenio inſtructo nulla ratione poterit ſatisfacere talis Doctor. Quæret enim ante omnia incredulus, utrum homines illi, qui *tradiderunt* talem judicem infallibilem fuiſſe, & inpoſterum futurum, nitantur certa aliqua & infallibili Revelatione, an vero teſtimonio humano *Traditionis* illius veritas comprobetur. Si *prius* dicat, quæret utrum Revelationis nomine intelligat Revelationem aliquam particularem, certis quibusdam hominibus factam, an vero eam, quam Chriſtiani omnes pro

tali

tali admittunt. Ad particularem ejusmodi Revelationem non solent confugere Doctores pontificii; & si hoc facerent, probanda esset hujus Revelationis quibusdam oblatæ veritas; probandum quando, quibus in locis, quomodo, &c. id obtigerit. Ad Revelationem, id est ad Scripturam S. recurrere non potest Doctor pontificius, quia nondum probata existentia infallibilis Doctoris & Judicis, secundum Ecclesiæ Romanæ decreta, & inprimis Ill. *Fenelonii* sententiam, certum non est, Revelationem esse divinam. Aliunde ergo præsidium causæ suæ quærere debet Doctor pontificius, atque vel ad Ecclesiam & ad Concilia est confugiendum, aut assentiendum est Pontificibus modernis, talia de se & suis antecessoribus narrantibus. Sed & hic pedem tuto figere non poterit. Quod si enim Ecclesiæ nomine intelligatur integra docentium & discentium cohors, inde a Christi morte ad nostra usque tempora viventium, quæret incredulus, unde & a quo Ecclesia acceperit, talem in terris dari infallibilem judicem. Si posteriores Doctores provocent ad priores, standum tandem est quorundam testimonio. Testimonium hoc aut nititur Revelatione certa & infallibili, aut non. Si *prius* est, probandum erit Doctori pontificio, Revelationem non solum esse divinam, sed & in ea perspicuis verbis exponi, Deum Ecclesiæ suæ ejusmodi infallibilem judicem concessisse, & usque ad finem mundi tales semper constituturum. Hoc posito nemo non videt difficultates omnes redire, quas antea protulimus, atque ita non ex Traditione, sed ex Revelatione sola, probari infallibilis ejusmodi judicis existentiam, quod tamen denuo fieri non potest, quia principiis *Fenelonii* contrarium est, asserentis, admisso demum infallibili judice, nos certos esse, cum de divina origine Religionis christianæ in genere, tum de articulis creditu necessariis in specie. Si vero testes illi priores ad nullam Revelationem possunt provocare, actum erit de existentia hujus infallibilis Doctoris, quia sine Revelatione nemo scire potest, utrum Deus talem dare voluerit nec ne. Pone vero primos illos testes in cæteris esse viros fide dignos, magnæque existimationis, eosque quibuscunque tandem argumentis probare, Christum Ecclesiæ suæ talem concedere voluisse Vicarium; *demonstrandum* erit, Pontifices modernos genuinos esse primi illius Vicarii successores; *probandum* eos iisdem donis esse ornatos, quibus instructus erat primus; *probandum* eos nunquam ob officio recessisse. Quod si incredulus res

in

in Ecclesia christiana inde a primordiis ejus ad nostra usque tempora gestas expendet, tantum abest, ut testimonio antiquorum quorundam Doctorum de ejusmodi judice infallibili subscripturus sit, ut potius ipsum hoc prohibiturum sit, quo minus magnifice de hoc judice sentiat. Vel quomodo tandem hominum illorum, qui sese Vicarios Christi, & infallibiles in terris judices appellant, de cultu divino probare poterit & admittere decreta, cui ne ipsa quidem simplex & rationi conveniens in Religione christiana Deum colendi ratio placet? Quomodo poterit admittere *Transsubstantiationem*, quam inter præcipua Religionis dogmata referri volunt Pontifices Romani, cum dogmata clare & perspicue in Sacris revelata, sed captum nostrum supergressa, admittere nolint increduli? Quomodo tot minutas præceptiunculas, castæ Religioni parum conformes, observabunt illi, quibus æquissima & sanctissima Servatoris nostri Jesu Christi sordent præcepta? Quomodo credere tandem poterunt increduli, Pontifices vicarios esse Jesu Christi in terris, & infallibiles rerum ad Religionem spectantium judices, quorum tamen, eorumque numero multorum, enarrare possunt crassam rerum divinarum ignorantiam, intolerandam superbiam, sævitiam, optimorum Virorum oppressiones, & mutuos anathematismos, ut multa alia taceam? Vel solum testimonium *Baronii* de Pontificibus seculi X. sufficiet incredulo ad probandum, Vicarios illos ita dictos Christi, si quidem tales unquam a Christo Ecclesiæ christianæ dati fuissent, ab officiis suis recessisse. Idem dici potest, si Doctor pontificius incredulum in gremium Ecclesiæ ducturus, ad *Concilia* provocet. Quæret enim ante omnia incredulus, utrum consensus quorundam hominum in unum coeuntium, & de Religione differentium, efficere possit, ut quædam propositiones sint divinæ: vel an articulos, in Revelatione jam concessa contentos, examinare, illustrare, probare, & vindicare duntaxat possint. *Prius* non admittent, quia omnium Conciliorum, etiam hæreticorum, decreta ita essent pro divinis habenda. Si vero nihil aliud possunt quam de Revelatione disserere, quosdam articulos probare, alios rejicere, recurrendum erit ad Revelationem, & dispiciendum, utrum decreta horum hominum sint genuina, nec ne; atque ita non solum Revelatio erit divina, antequam hominum illorum accedat consensus, sed & examinanda erit omnibus Revelatio; quorum utrumque Religionis Romanæ decretis,

tis, & methodo ill. *Fenelonii* contrarium plane eſt. Idem reſpondebit incredulus, ſi Doctor pontificius dicat, hæc vel illa Concilia comprobaſſe auctoritatem infallibilis alicujus judicis; cum enim conſenſus multorum per ſe ad bonitatem cauſæ probandam nil faciat, multaque Concilia erraſſe conſtet, alia hanc quæſtionem decidendi ratio non datur, quam ſi Conciliorum illorum decreta cum Revelatione conferantur. Quomodo autem facere hoc poteſt incredulus, qui neque de divina origine Revelationis, neque de exiſtentia infallibilis judicis hactenus eſt perſuaſus? Quid judicabit porro incredulus quando audit, habita fuiſſe Concilia, in quibus publice fuerit decretum, auctoritatem Conciliorum majorem eſſe Pontificum decretis? Quo jure Conciliorum reverebitur monita, quando legit, genuinos Eccleſiæ filios conſtanter tueri, Pontifices ſolos irrefragabiles eſſe in rebus ad Religionem ſpectantibus judices, & ab iis ad Concilia qualiacunque provocandum non eſſe? Quid de infallibili contra auctoritate Pontificum ipſorum ſentiet, ſi audiat, doctiſſimos Eccleſiæ gallicanæ Doctores graviſſimis ſemper argumentis eam oppugnaſſe, & non niſi vi pleroſque ad eam agnoſcendam fuiſſe compulſos? (*) Quod ſi vero Concilia falli poſſunt, neque ſecundum methodum Proteſtantium hujus quæſtionis ſolutio quærenda eſt, credendum tandem eſt, talem in terris dari infallibilem judicem, quia *Pontifices ipſimet* hoc aſſerunt. At quam exiguam, imo nullam vim in animum increduli habebit teſtimonium ejusmodi domeſticum, nulla ſatis firma auctoritate ſubnixum? Quam parum hoc movebit hominem, qui Deo in Sacris loquenti vacivas aures præbere non vult, propterea tantum, quod quædam ibi tradita non ſatis intelligit? Quam abſonum, & ab omni ratione alienum eſſe exiſtimabit, hominis alicujus voluntati, rationibus deſtitutæ, in re maximi momenti ſubſcribere, & per omnem vitam firmiter credere, illud omne verum atque divinum eſſe, quod ille pro tali habendum pronuntiave-

 tiave-

(*) De contemtu Concilii Tridentini in Gallia vide diſſertationem Godofr. Maſii, & Courayer diſcours hiſtorique ſur la reception de ce Concile particulierement en France. Quandoquidem plerique Galliæ Epiſcopi Bullam Unigeniti ſibi obtrudi paſſi ſunt, vi hujus ſubſcriptionis non ſolum auctoritatem Concilii Tridentini, ſed & decreta omnia Pontificum, ridicula licet, inepta, & caſtæ Religioni inimica, dum malunt ſervire potius, quam ſanctiſſima conſcientiæ jura tueri, admittere tenentur, & poſthac tenebuntur. Controverſiæ de Bulla Unigeniti in Gallia hodie agitatæ abunde hoc probant.

tiaverit? Quod ſi contra examinare licet, utrum verum ſit quod Pontifices tuentur, nec ne, non ſolum ad Revelationem erit recurrendum & ad examen locorum allatorum, eaque quæ contra explicationem Pontificiorum in medium adduxerunt & adhuc proferunt Proteſtantes, erit deveniendum; ſed & manifeſtum erit, falſiſſimum eſſe quod contendit ill. *Fenelonius*, nimirum non niſi admiſſo primum judice infallibili hominem de Revelationis veritate perſuaſum eſſe poſſe. Sine dubio facile in Eccleſiæ gremium recipi poteſt, qui credit dari infallibilem in terris judicem controverſiarum; ejus teſtimonium de Revelationis veritate eſſe certum; eum errare plane in rebus ad Religionem ſpectantibus non poſſe. At hoc eſt cæco aſſenſu ſubſcribere alicui, non lucem veritatis cernere; ita cujuslibet Doctoris, infallibilitatem duntaxat jactantis, decreta eſſent admittenda, quo nihil magis ab ingenio viri cordati, increduli inprimis, qui rationis decreta audire tantum vult, alienum eſt; ridet ille & explodit eos, qui poſtulant, ut propter hujus vel illius hominis auctoritatem hos vel illos articulos certos & veros eſſe ſibi perſuadeat. Augetur difficultas, quando animadvertit incredulus, ſe, admiſſa etiam infallibilis hominis auctoritate, non magis verum cernere quam antea, & difficultates in animo ſuo hærentes propterea non tolli. Quem in finem igitur hic judex mihi, inquiet, eſt datus? quam utilitatem tandem ex eo capio? Si enim credam eum eſſe infallibilem, aut examinanda res ipſa, quam mihi credendam eſſe injungit, aut non. Si poſterius, quomodo tandem admiſſa duntaxat ejus auctoritate dubiis meis eſt conſultum? Si vero prius eſt, atque accuratum eſt inſtituendum rerum ab eo injunctarum examen, nil me denuo juvat ipſius auctoritas, cum quod deprehenſa demum veritate articulorum credendorum acquieſcendum mihi eſt; tum quod examen & inde nata qualiscunque perſuaſio nil valeret, quandoquidem privata eſt, nemoque de horum vel illorum Religionis capitum veritate, ſine auctoritate infallibilis judicis vere perſuaſus eſſe poteſt. Si vero judex ille omnium diſciplinarum, quarum ope S. Literis & controverſiis Religionis lux accenditur, & magnum iis accedit præſidium, peritus eſt, easque in ſcrinio pectoris reconditas habet, componat tandem diſſentientium inter ſe Chriſtianorum lites & controverſias, reſolvat omnia dubia, arcanorum omnium pandat naturam & indolem, tum credam inquiet incredu-

lus.

lus, eum divino consilio ad generis humani commoda promovenda missum esse. Rem similitudine explicabo. Notum est in Scriptores græcos pariter & latinos injuria temporis, vetustatis vitio, Librariorum vel incuria, vel malitia &c. varios irrepsisse errores, multa in iis esse loca truncata, hiulca, multas esse lectiones variantes, multa quibus sine conjecturis vix sanus constet sensus &c. Ponamus aliquem in medium procedere, qui ab universo totius orbis Grammaticorum & Criticorum senatu electum & constitutum se esse dicat, ad nodos illos omnes solvendos, quique adeo Aristarchus aliquis sit, cujus auctoritati, quotquot sunt Critici, cedere deberent. Pone eum a variis de sensu hujus vel illius obscuri loci, hujus vel illius lectionis valore interrogatum, loco solutionis hoc unum respondere: *Lege sic non aliter, quia ego Grammaticorum omnium consensu ad omnia dubia solvenda constitutus sum. Hoc tibi sufficiat.* Quid quæso homines sani cerebri de ejusmodi homine judicabunt? an non pipulo eum different, albisque ridebunt dentibus? Hæç omnia antequam tu natus esses, inquient, novimus. Quærimus hominem qui dubia nostra solvat, non dictatorem; aut Critici illi, a quibus te ad veram lectionem restituendam constitutum esse ais, homines sunt imperiti plane, & rudes elegantiorum literarum; aut te omnibus deridendum propinare voluerunt. Vale ergo cum ridiculo tuo fastu, & alios quære, quibus imponere possis. Applicatio facilis est. Novi quidem Ecclesiæ Romanæ Doctores dicturos, neque ipsos Protestantes omnia dubia in Religionis negotio occurrentia solvere posse. Fatemur hoc lubentes; neque tamen ingenua hæc confessio bonitati causæ nostræ quidquam detrahit; præterquam enim quod perspicuis argumentis possimus probare, multa tanquam incerta & falsa ab incredulis in medium proferri, quæ talia non sunt; dicimus, necesse non esse, ut de omnibus plane, quæ in S. Literis reperiuntur, perfectam habeamus notitiam; fatemur quædam esse, v. gr. Mysteria, quorum naturam omni adhibita ingenii acie in hac vita perspicue cognoscere non possimus; simul vero contendimus, ea, quæ scitu & factu sunt necessaria, satis clare in S. Literis esse tradita. Ipsi insuper pontificii Doctores difficultates illas tollere non solum non possunt, sed & eas augent, & objectiones Deistarum confirmant, quando asserunt, Deum ad componendas omnes controversias infallibilem in terris judicem constituisse, eum unum oportere Reli-

gionis negotium moderari, & quid credendum, quid non credendum, imperare, qui tamen dubia circa Religionem occurrentia solvere non potest, sed illud *sic volo*, *sic jubeo*, duntaxat ingeminat; quasi vero verba hæc *magicam* quandam *vim* haberent, ad cæcos luce perfundendos, & errantes in viam reducendos.

Objectiones *increduli*, quas ill. Fenelonio solvendas obtulit, summatim repræsentantur.

IV. Sed veniendum tandem est ad methodum ipsam, qua usus est ill. Archiepiscopus, ad hominem illum Deismi vinculis constrictum liberandum, & in gremium Ecclesiæ Romanæ reducendum. Pagina 110. hujus biographiæ narrat Anonymus colloquium, quod cum eo habuerit: exponit rationes, quæ ipsum in Deismum conjecerint, atque effecerint, quo minus Religioni christianæ nomen dare potuerit; denique subjungit argumenta, quibus usus est *Fenelonius* ad ipsum convertendum, id est, ad opiniones Ecclesiæ Romanæ admittendas. Quisquis attente ea, quæ ab eo relata sunt, expendit, facile deprehendet, proselytum hunc palam ostendere voluisse, se genuinum almæ matris Ecclesiæ Romanæ filium esse; Ecclesiam hanc solam ad errantes, & quidem gravissime errantes, convincendos aptam esse; Protestantes vero omnibus præsidiis esse destitutos, cum ad Religionis christianæ divinam originem demonstrandam, tum ad articulos Religionis necessarios rite exponendos & probandos: in quo tamen bonus homo mire fallitur, suamque in judicando de rebus ad Religionem spectantibus ostendit infantiam: omnia enim, quæ a *Fenelonio* contra Protestantium principia in medium prolata esse dicit, trita sunt, vulgaria, & centies a Protestantibus Theologis excussa. Sequitur *Fenelonius* methodum adversus nos disputandi, quam monstravit *Nicolius*, quod facile deprehendet quisquis libros a docto Viro conscriptos cum ratiociniis ill. Viri contulerit. Quam vero incerta & dubia, imo falsa ea fuerit, abunde a Theologis nostris est ostensum. Inprimis autem fundamenta totius methodi ratiocinandi, quam secutus est *Nicolius*, erudite subruit Cl. *Pajon* in responsione sua adversus *Nicolium*. Quanquam autem animus potissimum sit ostendere, quam parum valeant argumenta a *Fenelonio* in medium prolata, ad probandum, non nisi per principia Ecclesiæ Romanæ, id est admittendo judicem infallibilem, incredulos convinci posse, juvat tamen ipsius Anonymi, increduli quondam, nunc vero genuini Ecclesiæ Romanæ filii, dubia in sinum ill. *Fenelonii* conjecta, in medium protulisse, & examinasse, quoniam de gravissimi

ſimi momenti rebus diſſerendi nobis hoc examen ſuppeditabit materiem. Neque, ut puto, ægre feret B. Lector, ſi aliquando haud intempeſtivis amœnitatibus admoniti paululum a via receſſerimus. Ante omnia in compendio, quæ de ſtatu ſuo ante converſionem, opinionibusque, quibus imbutus fuerit, narrat, exponemus, tranſituri poſtea ad ſingulare examen objectionum, quæ alicujus momenti nobis eſſe videbuntur. Pagina igitur 111. hujus biographiæ refert, ſe diverſa ſyſtemata (natum quippe in regione libera) diſſentientium inter ſe Chriſtianorum perlegiſſe, atque in Proteſtantium libris, quibus dogmata Religionis ſuæ exponere ſolent, *merum Fanaticiſmum*, & pugnantes inter ſe ſententias deprehendiſſe, atque inde factum eſſe, ut omnibus promiſcue Chriſtianorum ſectis valedixerit, rejectoque Atheiſmo, rationi quippe contrario, in caſtra *Deiſtarum*, quorum Religio admiratione cultuque Numinis abſolvatur, tranſiſſe: In hoc ſtatu ſe diu permanſiſſe, & vix neſcium, incertis opinionum fluctibus huc illuc fuiſſe agitatum; factum autem eſſe non ſine Numinis providentia, ut aliquando ad ill. Archiepiſcopum Cameracenſem *Fenelonium* accederet, ab eoque perhumaniter acciperetur: Huic, quas animo foverit de Religione ſententias, libere ſe expoſuiſſe, ipſiusque reſponſa attenta mente expendiſſe. Summa autem capitum, quæ hactenus tuebatur, ſequentibus abſolvebatur propoſitionibus: Deum nimirum cultum alium non poſtulare, quam amorem infinitarum ſuarum perfectionum; ex eo enim omnes virtutes divinas & humanas fluere. Omnes omnium temporum prudentes homines & Nationes Religioni ejusmodi naturali ſubſcripſiſſe, ſimul tamen illi ſententias magis vel minus veras admiſcuiſſe. Omnes Religiones Deo æque eſſe acceptas, modo cærimoniis & erroneis etiam opinionibus, quibus imbuti ſint homines, utantur eum duntaxat in finem, ut nimirum Deus colatur. Neceſſarium quidem eſſe cultum aliquem externum, alium tamen alio eſſe meliorem, prouti quis eo bene vel male uſus fuerit. Religionem nulli certæ ſocietati, vel ſectæ eſſe alligatam. Omnes de Religione opiniones theoreticas indifferentes eſſe, ad quas proinde optimum Numen parum reſpiciat. Ethicam vero, in Religione chriſtiana contentam, merito magni eſſe faciendam. Hi erant potiſſimi articuli, quibus, antequam Eccleſiæ Romanæ nomen dediſſet, *Anonymus* noſter ſubſcripſerat.

 V. Ante-

In genere quædam de auctore, ejusque differendi modo, monentur.

V. Antequam fingillatim de præcipuis fententiis, a Profelyto noftro in medium productis, mentem noftram explicemus, generalia quædam de ipfius inftituto & differendi methodo monebimus. Et *primo* quidem eum non vituperamus, fed laudamus potius, quod in veritatem Religionis a teneris acceptæ inquifiverit, eumque in finem diverfa Chriftianorum Religionis fyftemata examinarit. Omnes, ubi ad eam ætatem pervenimus, qua res omnes cum cura expendere incipimus, inprimis de Religione, cultuque Numinis debemus effe folliciti: Et quanquam homines in omnibus Chriftianorum focietatibus, vel magis vel minus diligenter & fincere Religionis dogmata & præcepta edoceantur, recte tamen illi omnes agunt, qui ferium inftituunt examen eorum, quæ in juventute fine examine admiferunt. In qua Chriftianorum focietate educatus fuerit biographus ille nofter nefcio; ab una enim parte afferit, fe natum in regione, in qua liberum cuivis fit, Religionem, ut fuam, ita & aliorum examini fubmittere, quod in Imperiis & Rebuspublicis, in quibus Papæ eft dominium, non licet; ab altera vero parte, dum fe diligenter Proteftantium fyftemata examinaffe ait, plane nullam mentionem facit decretorum Ecclefiæ Romanæ, quibus tamen, auditis *Fenelonii* parum firmis argumentationibus, fine mora fubfcripfit. Quicquid autem de eo fit, neceffe ante omnia erat, ut Religionis fuæ præcepta ad Scripturam Sacram, tanquam ad unicam fidei regulam, expenderet. Hoc enim fi feciffet, felicius, a qua parte ftetiffet veritas, perfpexiffet. Inprimis autem ante omnia erant rite ponderanda argumenta, quibus Religionis chriftianæ veritas probatur. Hac enim veritate rite probata facilis eft & parata via, ad hos vel illos fingulares Religionis articulos probandos & cognofcendos. Quod fi de veritate illa capitali nondum fuiffet vere perfuafus, aut de horum vel illorum capitum veritate dubitaffet, confulendi erant doctiffimorum virorum de hoc argumento editi libri, quorum, quæ feculi noftri felicitas eft, noftra ætate magna eft copia; conferendæ rationes cum rationibus &c. &c. Quantum vero ex colloquio cum ill. *Fenelonio* habito patet, videtur homo nofter nondum rite examinatis argumentis, quibus Religionis chriftianæ veritas nititur, nec fatis gnarus fuæ Religionis, in libros incidiffe a Socinianis vel Deiftis fcriptos, atque ita variis difficultatibus circumventum, viam ex iis eluctandi non reperiffe. Et fane omnium temporum experientia

tia docuit, multos in gravissimos errores prolapsos, quod Religionis christianæ non satis gnari, de maximi tamen momenti Religionis articulis utramque in partem differentes legere & audire voluerint. Cognoscenda enim ante omnia est probe præstantia Religionis christianæ, antequam eam impugnantium rationes expendere volumus. Commonefaciendi ergo sunt sanctiorum disciplinarum cultores, imo omnes quotquot amore Religionis tacti sunt, ut antequam diversarum, in quas scissus est orbis, sectarum scriptis legendis & excutiendis animum adjungant, Religionis, qua imbuti sunt, præcepta prius rite cognoscant, singulaque argumenta, quibus hi vel illi articuli probari solent, ad Revelationis normam exigant. Hoc demum facto licebit, si quidem necessitatem id postulare existimamus, aut officiorum nostrorum rationes deposcunt, in patentiorem campum exspatiari, & scriptores aliis de Religione opinionibus imbutos evolvere. II. Homo noster asserit, se Protestantium systemata legisse, neque tamen ullibi mentionem facit instituti examinis Religionis pontificiæ; unde quis conjicere posset, ipsum in hoc cœtu fuisse natum & educatum, desiderio autem veritatis tactum, aliorum etiam cognoscere voluisse de Religione sententias; quod si verum esset, indicio esset, quam parum animo veri cupido satisfaciat autoritas Ecclesiæ: quam falsum sit, quod jactitant Doctores pontificii, admissa auctoritate infallibilis judicis, mentem sine scrupulis placide posse acquiescere, viam contra examinis homines in dubia, nullum finem habitura, conjicere. Si vero is nulli hactenus firmiter addictus sectæ, ἀτερ πάθων, & ingenue diversa Christianorum systemata legere & examinare voluit, necessario statuere debuit, ad veritatis cognitionem perveniendi nullam aliam dari viam, quam accuratum rerum credendarum examen: mirum autem est, hominem adeo veri cupidum, postea certi & fallere nescii principii loco admisisse auctoritatem meram, sine ulla rerum credendarum discussione; singularis sane ingenii hominem fuisse oportet nostrum Proselytum. Percurrit ille libere libros Protestantium, nullibi reperit, uti ipse perhibet, certa & solida principia: transit propterea in castra Deistarum, & Religioni christianæ mittit nuntium; audito autem præcepto Archi-Episcopi de admittendo ante omne examen infallibili controversiarum judice, oculum sibi eruit, ut acutum cernat, i. e. cæca obedientia subscribit postulato *Fenelonii*. Præstito

hoc

hoc homagio, sole meridiano clarius videt, solam Religionem catholicam esse veram; omnes de Religione scrupuli subito dispalescunt, & in mente incredibilis oritur lux atque serenitas; mira hæc est & tantum non incredibilis metamorphosis, quæ vix sine intercedente miraculo obtingere potuit. Adeo scilicet verum est quod sagacissimus *Nicole* libro: *les prétendus Reformés, convaincus de Schisme*, Lib. I. pag. m. 181. de Ecclesia illa infallibili ait: *C'est un guide fidéle, qui conduit l'Esprit avec sureté dans le labyrinthe de tant de questions embarassées: C'est une lumiére, qui éclaire tout le corps de controverses: C'est un oracle vivant, que les plus simples peuvent consulter: C'est un moyen universel de rejetter sans autre examen, tous les Hérétiques tant anciens que nouveaux.* O felicem hominem, qui hanc auctoritatem & unicum illum articulum admittit, eo enim concesso totius Religionis indolem cognoscit. *Qui croit donc* (ait idem acutus vir pag. 183.) *que l'Eglise ne se trompe point, comme tout Catholique le doit croire, est assuré de la verité de tous ces articles.* Adeo (ut serio loquar) hæc ab omni ratione abhorrent, ut vix credi possit, hominem tam doctum & tam perspicacem, qualis erat *Nicolius*, ridiculæ opinioni ex animo subscribere potuisse. Pone hominem quendam Philosophiæ hactenus ignarum, discendæ tamen illius cupidum, adire Professorem Philosophiæ, eumque rogare, ut viam sibi ostendere velit, qua facillime vera & genuina hujus disciplinæ præcepta cognoscere possit. Pone autem Professorem illum respondere: Crede Philosophiam Wolfianam esse præstantissimam omnium quæ hactenus orbi illuxere: Hanc unam propositionem si admittis, firmiterque credis, totius Philosophiæ indolem atque naturam perspectam habes atque cognitam. Quanquam enim hactenus eam non examinaris & addidiceris, sufficit tamen hoc, cum quia ill. *Wolfius* & qui eum sequuntur, eam præstantissimam esse dicunt; tum quia concessa hac generali veritate singulæ partes hujus Philosophiæ pro optimis eo ipso habentur. Hæc si sufficiunt, ad aliquem de veritate horum vel illorum dogmatum convincendum, potuisset noster in decretis Protestantium, quæ se evolvisse dicit, acquiescere, quoniam Auctores ea certa & firma esse dicunt. III. Bonus homo Protestantium systemata *Fanaticismo* esse infecta clamat, neque tamen unum, quo id probet, affert argumentum. Probabimus nos mox, non Protestantium cœtus, sed Ecclesiam Roma-

nam

nam potius turpi hoc vitio laborare. *Fanaticismum* Protestantium in eo consistere ait, quod in systematibus, quæ legerit, magnam copiam propositionum sibi invicem oppositarum deprehenderit. Ponamus eos quædam parum inter se cohærentia statuere, num propterea *Fanaticismi* sunt accusandi? num ideo in castra Deistarum est eundum? Quod si dissensus in quibusdam (neque enim in omnibus punctis inter se consentire Protestantes affirmamus) sufficit, ad Ecclesiam aliquam *Fanaticismi* postulandam, eamque deserendam, nulli cœtui Christianorum nomen dare potuit Proselytus noster, sed Scepticorum turbæ sese adjungere debuit: Ecclesiam Catholicam i. e. Romanam, in dogmatibus per omnia non conspirare, notius est quam ut multis probetur. Quis nescit lites, quæ inter *Jesuitas* & *Dominicanos* intercedunt, & horum cum *Franciscanis* contentiones? Quis ignorat quantopere de *Bulla Unigeniti* in Ecclesia Romana fuerit disceptatum? Imo dissensus est de articulis principalibus quibus universa fides Catholica innititur: Quidam enim Papam solum infallibilem esse dicunt; alii cum Concilio; quidam infallibilem ipsum esse in quæstionibus *juris* duntaxat, alii *juris* & *facti*. Aut nescivit hoc noster, aut probe perspectum habuit; si *prius* est, verum non est quod affirmat, nimirum se Protestantium systemata diligenter evolvisse, quandoquidem centies hæc Pontificiis objecta sunt. Si vero *posterius* est, quo jure tandem Romanensium cœtui sese adjunxit, si dissensus circa quædam dogmata sufficit, ad huic vel illi cœtui valedicendum? cur statim victas dedit manus, postquam *Fenelonium* audiverat ad judicis infallibilis tribunal provocantem? cur non potius ita secum statuit: Ecclesiæ Romanæ Doctores inter se circa quædam dogmata dissentiunt; hunc dissensum Pontifex tollere non potest, neque controversias, quæ inter ipsos agitantur, dirimere: Ergo credibile non est, hominem illum, quem judicem controversiarum infallibilem esse dicunt, a Deo in terris positum, ut quid credendum, quid non credendum sit, decerneret. Ecclesiam pariter græcam in partes esse scissam, notum est omnibus. Non inter se in omnibus punctis insuper conveniunt Anabaptistæ & Sociniani. Neque tandem ipsi Deistæ per omnia easdem tuentur sententias. Quidam enim mentis immortalitatem credunt, alii mentes cum corpore perire tuentur; quidam Providentiam admittunt; alii fato, vel cæco casui eventum rerum tribuunt; hi leges naturales dari concedunt;

illi utilitate omnia metiuntur, nullumque intrinsecum inter virtutem & vitium statuunt discrimen. Quidam spiritus a corpore secretos admittunt, alii non. Et quis omnes, circa quas dissentiunt hi homines, opiniones poterit enarrare? Deistas certe sententias diversissimas tueri, fassus est *Comes de Passeran*, huic factioni olim addictus; verba ipsa infelicis hominis adduximus Dissert. I. de hoc argumento: Quod si igitur objectio Proselyti nostri alicujus fuisset valoris, nulli societati vel Christianorum, vel Deistarum, sed Scepticorum insanæ turbæ nomen debuisset dare.

Ecclesiæ Romanæ Fanaticismus merito objicitur.

VI. Quandoquidem autem Proselytus noster universæ Protestantium Ecclesiæ insultaturus, *Fanaticismi* eam postulat, dispiciendum quo jure id fiat, & annon potius hæc objectio contra cœtum Romanensium retorqueri jure meritoque possit. Nisi omnia me fallunt, mutuatus est Proselytus noster hanc objectionem ex *Nicolio* potius, quam ex seria & attenta lectione Theologorum nostrorum. Hic enim pag. m. 113. libelli de *Reformatis schismatis convictis* contra *celeb. Claudium*, *Ministrum Charentoniensem*, pugnans, universam Ecclesiam Reformatam *Fanaticismi* accusat, eo quod Reformati contendant, omnes promiscue homines adhibita seria lectione S. Literarum, debita attentione, fusisque ad Deum precibus, non solum de veritate Religionis christianæ in genere, sed & de articulis omnibus scitu necessariis persuaderi posse; quam objectionem in sequentibus pluribus excutiemus. Nos meliore jure hac labe infectam esse Ecclesiam Romanam asserere possumus, quod jam quidem per partes, strictim tamen, ostendemus. Antequam vero id fiat, quærendum quid *Fanaticismi* nomine intelligatur. Variè autem hæc vox, ut fieri solet, sumitur. Duæ tamen sunt definitiones, communi ferè Eruditorum consensu receptæ. Aut enim *Fanaticum* appellant eum, qui alteri propositiones aliquas tanquam divinas & in S. Literis traditas obtrudere vult, quarum tamen plane in iis nulla reperiuntur certa vestigia: aut is pro tali habetur, qui spreta rationis & Revelationis luce, extraordinariam quandam & insolitam jactitat inspirationem, cujus tamen privilegii sibi concessi argumentum nullum dare potest. Posterior hæc definitio usu confirmata magis est, quam prior. Sive autem priorem, sive posteriorem sequaris definitionem, patebit, non sine causa Ecclesiam Romanam hujus erroris accusari. Et *primo* quidem hoc patet ex

eo,

eo, quod Rontifex Rom. Caput Ecclesiæ, sibi ipsi tribuat donum infallibilitatis, quod tamen neque ex *ratione*, neque ex *Revelatione*, neque ex *traditione* tandem potest comprobare. Unde necesse est, ut Papa, *Fanaticorum* more, ad nescio quam Revelationem extraordinariam confugiat. Rem ipsam supra breviter ostendimus. Prolixius hoc demonstravit *celeb.* la *Placette* singulari libello cui titulus: *De insanabili Ecclesiæ Romanæ Scepticismo.* Paulo aliter, sed nervose eandem veritatem sequentibus thesibus comprobavit ὁ Μακαρίτης, *Venerandus Werenfelsius.*

Prima est: *Si privata S. Scripturæ interpretatio nullius in Ecclesia auctoritatis est, impossibile est Ecclesiæ infallibilitatem ex S. Scriptura demonstrare.*

II. *Ridiculum enim esset dicere: hic locus S. Scripturæ docet, Ecclesiam esse infallibilem, quoniam infallibilis Ecclesia hunc S. Scripturæ locum ita interpretatur.*

III. *Si infallibilitas Ecclesiæ ex verbo Dei scripto probari nequit, non magis probari poterit ex verbo non scripto, sive ex traditione, quoniam illa non magis, quam S. Scriptura, privatæ est interpretationis.*

IV. *Ex sola ratione Ecclesiæ infallibilitatem probare velle, absurdum foret, quoniam Deum certis hominibus privilegium infallibilitatis dedisse, non nisi ex Revelatione Dei cognosci potest.*

V. *Ergo, Ecclesiam esse infallibilem, est principium indemonstrabile, non hoc sensu quod demonstratione non indigeat, sed quod demonstratio ejus prorsus sit impossibilis,*

Hujus ratiocinii vim, nulla arte, quicquid tentent Romanæ Ecclesiæ Doctores, eludere poterunt. Opinione tamen infallibilitatis Pontificis innititur universa moles Religionis Romanensium. *Fanatica* hac *opinione* delusa plebs, huic Ecclesiæ addicta, ad omne nefas contra eos, qui hanc infallibilitatem in dubium vocant, perpetrandum sese obstrictam esse putat: huic *fanaticæ opinioni* subscribere debent *acutissimi* & *eruditissimi* Eccl. Rom. Doctores, contrarium licet persuasi atque convicti: testari de eo possunt ea, quæ circa *Bullam Unigeniti* in *Gallia* & alibi acta sunt.

II. *Fanaticus est*, qui asserit, se per insolitam & extraordinariam Spiritus S. inspirationem & voluntatem muneri alicui admoveri, idque aliis serio persuadere vult, licet nemo non, cui sana mens est, videat, & quasi palpando deprehendat, quibus artibus ad

eam dignitatem ſit ille evectus. Eccleſiam vero Romanam docere, electionem Pontificis ſingulari Spiritus Sancti opera fieri, notius eſt, quam ut multis debeat probari. At ſciunt pariter omnes, quicunque rerum in Eccleſia Romana geſtarum non plane hoſpites ſunt, quibus artibus ad tantum munus graſſentur Pontifices Romani. Hic prudentiſſimus & callidiſſimus quisque tentat, quid ingenium & vires valeant. Legantur *Miſſonii* Iter in Italiam, *Aymonii* aliorumque, qui Curiæ Romanæ ſtatum deſcripſerunt, de electione Pontificum narrationes. Poſterior, poſtquam quatuor primis capitibus ample omnes ritus, conſuetudines, licitas & illicitas artes, quibus Cardinales in eligendo Pontifice, ut de Regum Principumque Legatorum conaminibus & prenſationibus nil dicam, expoſuiſſet, ita de hoc negotio pag. m. 68. judicat: *Cela ſuffit pour faire voir le vrai charactére de la Cour de Rome, les brigues, les cabales, les intrigues, les menées, les tergiverſations, dont on ſe ſert, pour parvenir aux principales dignités & finalement au ſouverain Pontificat.* Idem pag. 42. Hiſtoriæ de Curia Romana, narrat, in eligendis Pontificibus quatuor eſſe potiſſimum ad finem perveniendi vias. Prima eſt per *Compromiſſum:* ſecunda per *Inſpirationem:* tertia per *Scrutinium*: quarta denique per *Acceſſum :* Quod ſi vero attentiſſime perpendas omnia, quæ in quadruplici hac electione fieri ſolent, nil deprehendes, quod probet, Deum ſingulari quadam & inſolita ratione curam hujus electionis gerere. Mira inprimis eſt electio per *Inſpirationem*, ad quam confugere non ſolent Cardinales, niſi poſtquam omnem eo, quo vellent, perveniendi viam occluſam eſſe vident. Tunc enim duæ vel plures factiones, ſufficienti licet votorum numero deſtitutæ, clamore inſolito, & quaſi per inſpirationem ad ita agendum compulſæ, in hæc verba erumpunt : *Hic vel ille Cardinalis PAPA eſt:* Hac via ad tantum faſtigium dignitatis perveniſſe *Clementem IX.* A°. 1667. ibidem monet. Quis autem rebus ſic ſtantibus ſibi perſuadebit, in talibus electionibus θεῖόν τι intercedere ? Populo tamen chriſtiano, imo univerſæ, ſi poſſent, Eccleſiæ Chriſtianæ perſuadere volunt, Spiritum Sanctum ſingulari ratione electionem ejusmodi direxiſſe. Omnes certe, qui almæ matris Eccleſiæ genuini liberi eſſe volunt, credere tenentur, hunc vel illum Cardinalem divinitus ad tantum munus gerendum eſſe excitatum & vocatum. Ipſemet Pontifex, dignitati huic admotus, aut ſerio credit, Deum, extraordinaria

dinaria quadam ratione in hoc negotio intercedentem, voluisse, ut ad gubernacula Ecclesiæ sederet; aut non credit: Si ipsemet hoc non credit, quâ ratione aliis, qui omnes circumstantias rerum gestarum perspectas habent, hoc ipsum persuadebit? quo tandem fundamento erit superstructa jactata illa Ecclesiæ infallibilitas? Si vero hoc firmiter credit Pontifex, persuasus licet certissime, quibus artibus ad tantum honoris fastigium grassatus sit, cordato cuique, quid de eo sentiendum sit, judicandum relinquo. Observandum præterea, quod idem *Aymonius* pag. 18. notat, nimirum in ipso Cardinalium collegio esse quosdam dignos oppido, qui splendidissimam provinciam administrent, iis tamen per vitam ad eam consequendam omnem esse præcisam viam: alios vero esse, ut is loquitur, *papables*, id est privilegiis quibusdam, ad regimen tanti muneris ut plurimum nihil facientibus instructos; scilicet ad regulas illas componere sese debet Spiritus Sanctus! Interim fide divina Romanenses credere tenentur omnes, Spiritus Sancti extraordinariam hic intercessisse operam, licet *ratio*, *Revelatio*, & ipsa *experientia* repugnet. Quis hic igitur non deprehendat *Fanaticissimum*?

III. Pergamus ad *Canonisationes Sanctorum*. (*) *Canonisatio* est publicum Ecclesiæ Romanæ testimonium, de vera sanctitate & gloria alicujus hominis jam defuncti, cum judicio ac sententia, qua decernuntur illi honores, qui debentur iis, qui cum Deo feliciter regnant: inscribitur is catalogo Sanctorum, ac jubetur, ut publice ab omnibus habeatur & dicatur sanctus: invocatur in publicis precibus; templa & aræ in ejus memoriam exstruuntur; sacrificium Eucharistiæ & totum officium, s. horæ canonicæ, in honorem ejus celebrantur, dies festi ejus memoriæ consecrantur; pingitur ejus imago; in templo constituitur, ut colatur, ac coram eo accenditur lumen, in testimonium gloriæ; ejus reliquiæ effossæ pretiosis thecis includuntur, publice circumferuntur & coluntur, &c. &c. Ipse Pontifex, tam numerosi gregis dux, suo exemplo monstraturus, quanti

(*) Vide, quæ de hoc argumento nuper scripta sunt a Viro docto C. E. a Windheim in libello cujus titulus est: „ Observationes theologico-historicæ, ad Benedicti XIIII. Pontificis Maximi nuperam ad Episcopum „ Augustanum Epistolam, quibus cum de aliis rebus, tum de Sanctis Ecclesiæ Romanæ, rituque canonizandi disseritur.

quanti novus Sanctus ſit habendus, poſtquam confeſſus eſt, in ultimo actu hujus negotii occupatus, peccata ſua Deo, S. Virgini, Michaeli Archangelo, Joh. Baptiſtæ, S. Apoſtolis, Petro & Paulo; immediate ſubjicit nomen Sancti, quem in Divorum numerum referri vult, eique peccata ſua confitetur, & ut apud Deum pro ſe intercedat, rogat. vide *Aymonium* Cap. VIII. Part. VI. pag. m. 364. ſq. In hoc autem negotio multa intercedere *ridiculi Fanaticiſmi* veſtigia, apertiſſimum eſt, quod paucis oſtendemus, poſtquam de origine hujus canoniſationis aliquid præmiſimus: Nimirum olim in tabulis quibusdam, quas Græci *Diptycha* vocabant, (de quibus in compendio videndus *Bingham Antiquit. Eccleſ. Vol. VI. pag.* 347.) ſcribebantur nomina eorum inter Chriſtianos, qui vel viventes virtute eminebant, vel qui mortui martyrio aliisque piis actionibus illuſtres erant. Hos plebs non minus quam clerus publice beatos prædicabant. Poſtquam autem, ut in hoc, ſic in aliis cultus & Religionis negotiis, a primæva ſimplicitate diſceſſum erat, & Epiſcoporum Romanorum auctoritas paſſim magna ceperat incrementa, Pontifices jus aliquem beatum prædicandi, & poſtmodum per canoniſationem in numerum Sanctorum referendi, ad ſe rapuerunt. Jacta ſunt idololatrici hujus cultus fundamenta ſeculis IX. & X. Primus adhibitis ſolemnibus conſecrationum & canoniſationum ritibus, a *Johanne* XV. Pontifice in numerum Sanctorum relatus *ULDARICUS Epiſcopus Auguſtanus* A. D. 993. *Tribuit ſibi* (inquit celeb. *Spanhemius* ad Sec. X. pag. m. 936.) *hæc ætas, qua nulla fœdior; poteſtatem* ἀποθεώσεων, *ſeu canoniſationum, novis ita Divis quotidie naſcituris, quibus decernerentur divini honores. Præiverat idololatriæ mater Gentilis Roma, attributa poteſtate Romano Senatui referendi quos vellet in Deorum numerum, per modum* ἀποθεώσεως, *ridente Tertulliano & omni Antiquitate.* Quod ſi ad ritum hunc attendamus, conſtabit, Pontifices non ſolum contra rationis & Revelationis præcepta agere, quando neſcio quos Sanctos omnibus colendos injungunt; ſed & eosdem nullis ſufficientibus rationibus & documentis eſſe inſtructos, quibus de ſanctimonia hominum cœlo locandorum poſſint eſſe perſuaſi: at ita agere ſolent homines *fanatici.* Quod ſi ad ſecula ipſa, quibus turpiſſima hæc conſuetudo incrementa cepit, reſpiciamus, manifeſtum erit, non niſi ab hominibus veræ Religionis expertibus, & ridiculis opinionibus imbutis, eam promoveri potuiſſe.

potuisse. Testis optimus est, & omni exceptione major, C. *Baronius* ad annum DCCCCVII. & sequentes, rotunde confitens, Pontifices Ecclesiæ fuisse *Pseudo-Pontifices*, quos non auderet inter Pontifices numerare, nisi factum id a Majoribus esset; intrusos fuisse in Romanam sedem homines *monstrosos*, *turpissimos*, *perditissimos*, usquequaque *fœdissimos*; visam tum *abominationem desolationis in templo*; *dormiisse tum in navicula Christum*, nemine excitante &c. & ad init. Anni DCCCC. inquit. *En novum inchoatur seculum, quod sui asperitate ac boni sterilitate ferreum, malique exundantis deformitate plumbeum, atque inopia scriptorum appellari consuevit obscurum.* Facile autem judicari potest, qualis hoc in statu Religionis facies fuerit. Certe dubium non est, quin *fanaticorum hominum* magna fuerit seges. Cum enim castæ religionis præcepta passim fuerint ignota, superstitio vero ad summum pervenisset gradum, fieri aliter non potuit, quam ut homines, stulta credulitate abrepti, quidlibet admitterent; & quoniam Religionem omnem mentibus excutere prorsus non poterant, via autem omnis verum cernendi tantum non plane esset obstructa, in *Fanaticismum* & *superstitionem* præcipites ruere debuerunt. Hodie eheu iis in locis, ubi superstitio regnat, in incredulitatis vitium frequentius quam in fanaticismum incidere solent homines, quoniam majoribus præsidiis, quam superioris ætatis homines, ad rite ratiocinandum sunt instructi, detectisque innumeris fraudibus sapientiores facti longe plurimi. Ipsa historia illorum temporum lucem adfert rationibus nostris: Vel quales tandem erant, qui in numerum Sanctorum erant relati, num viri pietate vera, atque aliis virtutibus illustres? respondeat pro me *Spanhemius*, vir in hoc Literarum genere exercitatissimus. *Hinc surgere, inquit* Hist. Eccles. Sec. X. pag. m. 937. *Sanctorum hoc & sequenti seculo numerosissima seges, sed in iis præcipue Romæ locandi, qui aut Paparum Emissarii fuissent, Apostolos Nationum vocant; aut qui Paparum Tyrannidi contra Reges & Principes ministrassent, qualis ille THOMAS BEKETUS; aut qui sacra limina Religionis ergo salutassent; aut superstitione se immodica, Monachatu, reliquiarum cultu, vel largitionibus in Clerum, fundationibus Altarium, Monasteriorum commendassent; vel quos Monachi, exaltandis suis Monasteriis, suoque ordini a miraculis, visionibus, insulsissime prædicarent. Hinc tot mendacissimæ vitæ, acta, visiones, legendæ, næniæ, quibus sequens ætas fidem atque auctori-*

auctoritatem adjecit. Accessit huic malo, quod hoc ævo fictæ suppositæque jam ævo priore reliquiæ, speciosis sub nominibus, earundemque superstitiosa conquisitione, inventione ludicra, suppositionibusque fraudulentis, magis magisque augerentur: Hac ratione aliter fieri non potuit, quam ut plebs stulta credulitate dudum capta, res ab omni ratione & Revelatione alienissimas pro *divinis* tamen admitteret, in quo verus *fanaticismus* consistit. *Nullum vero* (denuo verbis utor Spanhemii) *opportunius tempus fovendæ augendæque Principum Populorumque superstitioni, hoc ipso ignaro, indocto, pollutoque tot vitiis seculo. Accedebant destructa passim per Barbaros, Nordmannos, Ungaros, Saracenos, Templa ac Monasteria, quibus de novo instaurandis multiplicandisque opportunum commentum novæ reliquiæ. Hinc miraculosæ corporum, cinerum, ossium, membrorum, sanguinis, supellectilis hujus vel illius Martyris, sæpe ignoti fictique, ut & crucis dominicæ, dominici sanguinis, sudarii, clavorum, lanceæ &c. inventiones, translationesque portentosæ, quibus auctoramentum ab usu & credulitate prioris seculi, majorque indies religio accedebat, toto pene orbe facto reliquiario. Atque hinc prædicantur inventa hoc seculo, divina scilicet revelatione, quam plerumque Anus, Virgines, Monachi, Moniales, id genus præcones jactabant, corpora S. Stephani Protomartyris, S. Mathæi Apostoli, Paulini, S. Gregorii. S. Sebastiani, S. Servatii, S. Pancratii, S. Vincentii, S. Maximi, S. Fortunati, S. Brunonis, S. Patrocli, S. Elpidii, S. Leontii, S. Mauricii & Sociorum, S. Albani, S. Maurilii, S. Renati, &c. Inventis ita corporibus, aut quicquid in speciem superesset, quæ hactenus latuissent, occubuissentque tot ante seculis incerto loco, sepulturæ illo vel projectorum cadaverum incertiore; distingui ea necesse erat ab ossibus cujuscunque facinorosi, imo & dignosci cujus Martyris, Virine etiam an Fœminæ, vel Virginis essent eæ reliquiæ. Nec mora manifesta res illico attactu miraculoso, virtute mirifica, fragrantia suavi, sanguine rubente, splendore coruscante, scintillis erumpentibus, portentis id genus aut signis conspicuis in capite, oculis, pectore, sanguine, parte alia corporis; eademque ex fide referentium, interventu Cleri, Monachorum, quorum intererat.* Hactenus *Spanhemius.* Hæc autem idololatrica consuetudo, seculis barbaris cœpta, ad nostram usque ætatem strenue fuit continuata, ridentibus impiis & incredulis; dolentibus contra Viris veræ masculæque pietatis, castique cultus Dei amantibus. Cum vero hæc fiant

contra

contra præcepta Rationis & Revelationis, Pontifices vero omnibus membris Ecclesiæ persuadere velint, Deum ipsum intercedere singulari ratione in hoc negotio, non solum ipsi, sed & plebs ipsa *Fanaticissimi* rei sunt. Doctores certe pontificii docent, per inspirationem quandam Pontificibus significari, quinam in numerum Sanctorum referendi sint. Sexcenta hujus rei in *Cherubini Bullario* sunt testimonia. Ostenderunt insuper Viri docti, etiam ex ipso cœtu Pontificiorum, multos in catalogum Sanctorum fuisse relatos, & honore divino affectos, qui ne quidem in rerum natura unquam extiterint. Atqui *fanaticum* est colere eum, quem, utrum unquam vixerit nec ne, ignoras, vel nescis, utrum vera pietate unquam eluxerit nec ne. Ita novimus celeb. Benedictinum Monachum Mabillonium, sub ficto nomine *Eusebii Romani*, libellum de *cultu ignotorum Sanctorum* scripsisse, atque ex catalogo Beatorum plures, interque eos S. *Ovidium*, a Capucinis magni habitum, erasisse. Jesuita *Papebrochius* & Socii, ex Actis Sanctorum, vel Calendario Sanctorum, S. *Christophorum*, *S. Catharinam*, pluresque alios abesse jusserunt. Idem strenue fecerunt *Launojus* & *Bailletus*. In ipsa Italia Abbas *Bacchinus* & *Mozzi*, Acta Sanctorum *Crescii* & *Sociorum* pro fabulosis habent. Inter Reformatos omnium loco de hoc argumento videndus ὁ μακαρίτης Cl. J. *Basnage* Hist. de l'Eglise Lib. XVIII. XIX. XX. & sq. Cui addendus Cl. *Pfaffius*, in Epistolis adversus *Scheffenmacherum* Jesuitam gallice scriptis, Epist. IV. *Fanaticum* insuper est, præter rationem & revelationem, imo præter regulas probabilitatis, ossa quædam pro Sanctorum vel Martyrum reliquiis venditare, iisque nescio quam vim tribuere. (*) Notum est ossa eorum, qui in Sanctorum

 nume-

(*) Cl. Pfaffius, postquam demonstrat. de veritate Religionis Protestantium, de ridicula & impia hac superstitione egisset, pag. m. 129. merito in hæc erumpit verba: Peut-on soutenir sans effronterie, que le Pape soit en droit d'imposer des noms à des reliques, qu'on deterre, sous prétexte, qu'elles sont des ossemens des Saints & des Martyrs, encore que l'on n'en sache ni le nom, ni les titres. Et qui ne riroit de cette excuse, que l'imposition des noms, que l'on donne à ces faux Saints, n'est que pour avoir un sujet de les invoquer, & d'y fixer sa devotion. Cette raison est si pitoyable, que je repute les Atheniens plus sages, d'avoir honoré un Dieu inconnu, au lieu que l'Eglise Romaine adore des Saints inconnus. Act. XVIII: 23.

numerum referuntur, ex locis quibusdam subterraneis, quos *Catacumbas* vocant, peti. Quam difficile veró sit, imo impossibile, ossa verorum Martyrum ab aliorum distinguere, quibusque fraudibus locus sit, abunde ostendit præter alios, citatus J. *Basnage Hist. Eccles. Lib. XVIII. Cap. VI.* & *Hist. Jud. Tom. VI. De Catacumbis* ipsis vero *Burneti* Itinerarium; *Missonii* descript. Italiæ; *Mabillonii* iter Italicum; *Fabretti* Inscriptiones, aliosque consule. Hinc etiam inter doctissimos Pontificios de valore harum vel illarum reliquiarum dubitatur. Ita corpus *Jacobi* Compostellæ esse negarunt N. *Alexander* & *Combefisius.* Fabulosa esse, quæ de ampulla Rhemensi narrantur, agnoscunt *Thuanus*, *Chiffletius*, *Petavius*, Viri doctissimi. Inter falsas reliquias referendas celebratissimas multorum ore *Lachrymas Vindocinenses*, a Christo super Lazari sepulchrum effusas, & ab Angelo collectas globoque cristallino insertas, ostendit Cl. *Thiersius.* Quum in Italia reliquiæ *Augustini*, & in Gallia S. *Firmini* repertæ dicerentur, vehementer de veritate harum reliquiarum est inter ipsos Romanæ Ecclesiæ Doctores disputatum. Taceo plura exempla. Novi quidem provocare Doctores pontificios hoc in argumento ad miracula, ut his vel illis reliquiis decus concilient. Qualia autem sint jactata illa portenta, omnibus hodie notum est. Post multorum annorum decursum, etiam in Sanctorum numerum non sine ingenti pecuniæ summa referuntur, de quorum rebus gestis per certos & fide dignos testes ne ipse quidem Pontifex certus esse potest: hinc ut plurimum judicant de veritate harum vel illarum reliquiarum ex miraculis, quæ *post obitum* demum facta fuisse dicuntur: Scilicet facile falli & decipi posset infallibilis Pontifex, si testibus vivis fidem haberet; per miraculum ergo ipsi mortui comprobare debent, se dono miraculorum, dum vixerant, fuisse instructos. Conf. *Molinæum* in *Thesibus Sedanensibus*; P. *Jurieu Prejugés legitimes contre le Papisme*, *Tom. II. J. Lenfant Préservatif contre la Réunion avec le Siége de Rome*, *Tom. III. Lettr. XIII.* aliosque plures. Sunt quidem in Ecclesia Romana Doctores publici, qui extenuare solent positam in hujusmodi rebus fiduciam, natumque ex iis cultum. At verba dare non possunt Protestantibus: præterquam enim quod Concilium Tridentinum, quod sanctissimum habetur, Ecclesiæ Rom. genuinis liberis diserte definiverit, *per sanctas reliquias multa a Deo beneficia in homines conferri*, quodque superiore

seculo

ſeculo Cardinalis *Capiſuchius* docere non dubitaverit, lignum crucis a Chriſto ita ſanctificatum eſſe, ut quævis etiam minima crucis particula, a toto ſeparata, conſecrata maneat, adeoque etiam eam eſſe adorandam; Ipſi etiam acutiores hujus Eccleſiæ Viri, ſi quando vel de reliquiis, vel de Sanctis dubitanter loquuntur, gravi cenſuræ ſubjacent. Ita novimus, Inquiſitionem Toledanam plura volumina Actorum Sanctorum a *Papebrochio* editorum condemnaſſe, quoniam plures male intruſos eſſe in Calendarium perhibebat. Ipſum *Mabillonium*, ob ſcriptum de cultu Sanctorum incognitorum librum, Romæ fuiſſe accuſatum, & non niſi opera amicorum multum Romæ valentium impune dimiſſum, notum eſt. Hinc plerique Doctores hujus Eccleſiæ præpoſterum cultum ſine cenſura dimittunt, alii exemplo ſuo, ſcriptisque confirmant. Ipſa *Janſenii Schola* (verbis utor τȣ Μακαρίτȣ Gotofr. Olearii, Theologi olim celeb. in diſſertat. de criteriis errorum circa Religionem communibus, pag. 39.) *quæ cautiorem in doctrina & puriorem in moribus ut ſe præſtet, maximopere affectat, ex portu regio ſpiſſum volumen, hiſtoriam miraculorum S. Spinæ complexum, propulit. Legas hic Epiſcopum Tullenſem, ut Moniales devotionem populi ſequerentur, catervatim ad adorandam ſpinam accurrentis, probare. Videas ſororem Margaritam paralyſi laborantem; nobilem fæminam Durandam vomitu ægram, aliosque quamplurimos utriusque ſexus homines, adoratione, oſculis, alioque cultus Sacræ Spinæ exhibiti genere, ſanitati reſtitutos.* Qualia noſtra ætate de *Pariſii*, Diaconi Pariſienſis, partibus Janſeniſtarum addicti, miraculis & reliquiis jactata ſint, in vulgus notum eſt. Imo perſuadent ſibi multi Eccleſiæ Romanæ addicti, quod ridiculum plane & *fanaticum* eſt, eandem virtutem illarum reliquiarum eſſe, quæ opinione hominum duntaxat reliquiæ ſunt, hoc eſt, quæ quocunque vel fato, vel intentione, credulitati eorum pro reliquiis hujus vel illius Sancti obtruſæ fuere, licet non ſint, easque ſine periculo cultu religioſo affici poſſe. Ne quis temere me hoc dixiſſe putet, provoco ad *Vasques* Jeſuitam, cujus ὁ Μακαρίτης Cl. *Molinæus diſp. Sedanenſ.* Tom. I. pag. 399. verba ſequentia adducit: *Quod vero* (inquit) *apud aliquos incertæ aliquando reliquiæ ſunt, non obeſt, quo minus eas, quas humanis conjecturis & rationibus certas habemus, reverenter colere debeamus. Denique ſicut in* I. *Diſput. Cap. III. diximus, non eſſe peccatum idololatriæ, adorare radium luminis, ſub quo*

Dæmon delitescit, quando quis putat esse Christum: eodem modo si quis putans aliquam esse particulam Sancti, quæ revera non est, merito suæ devotionis non caret, atque in hoc casu, ut in illo, eodem modo philosophandum est. Hæc *Vasques.* Nemini mira hæc videbuntur, postquam audit, dari Doctores pontificios, qui asserere non erubescunt, easdem reliquias in pluribus simul locis esse, easque posse multiplicari per nescio quod miraculum. Hoc postremum tuentur Jesuitæ duo, *Ferrandus* in *disquisitione reliquiaria,* & *Gretserus de cruce.* Ita testatur M. *Missonius*, ut innumera alia exempla silentio transeam, in descriptione Italiæ, vidisse se *Sudarium* Mariæ octo in locis diversis. (*) Unde colligi potest, quam immensa per orbem ejusmodi reliquiarum moles sit. *Sanctorum* certe tantum esse numerum, ut Calendarium ipsum capere eos non possit, dudum a doctis Viris notatum. Vid. inter alios *Lenfant préservatif contre la Réunion avec le siége de Rome*, Tom. III. pag. 41. Multiplicationem illam Sanctorum argute & salse ridet P. *Baylius* in Lexico, voce *Launojus.* (**) Impium denique & *fanaticum* est, Revelationes, quæ Sanctis quibus-

(*) Verba Viri docti ita sonant. Tom. III. pag. 22. 52. Le Suaire de Turin, qui doit être l'unique au monde, s'est reproduit ou multiplié en sept ou huits endroits, pour le moins. Je ne parle que de ceux, que je connois. Il y en a je crois trois à Rome, à S. Pierre, à St. Jean de Latran & à l'Eglise du St. Suaire de l'Archi. Confrerie des Piemontois; un à Cadoin en Perigort, un à Besancon, un à Compiegne, un à Milan, & un autre à Aix la Chapelle. Ils produisent tous les titres par Bulle des Papes. Le suaire de Cadoin est le mieux etabli; il a été autorisé par 14. Bulles. Celui de Turin n'en a que quatre. Il y aussi un autre fameux S. Suaire à Lisbonne dans l'Eglise de la Mere de Dieu.

(**) Les faux Saints (inquit) ne se font pas moins multipliés, que les faux Nobles; desorte que comme les Princes font travailler de temps en tems à la recherche des faux Nobles, afin de remettre à la condition roturiere les usurpateurs de la qualité des Gentilshommes, il faudroit, que le Clergé nommat quelques Commissaires aussi rigides que Boisseau, qui examinassent les titres & les lettres de Sainteté: Si les troupes de l'Eglise triomphante passoient en revue devant de bons Commissaires, on y trouveroit beaucoup de passevolans, non pas parmi les Soldats, mais parmi les hauts Officiers, je veux dire parmi les Saints, qu'on invoque. Le Calendrier a plus de besoin de reforme à cet egard, que par raport à la précession des equinoxes; & au lieu qu'un simple retranchement de dix jours a suffi pour cette derniere reformation, il faudroit pour faire l'autre, retrancher par

quibusdam contigisse dicuntur, licet aperta fronte secum invicem pugnent, pro divinis tamen velle haberi. Ita enim contradictoria, & quidem divina fide, essent credenda. Atqui notum, revelationes *S. Brigittæ* contrarias esse revelationibus *S. Catharinæ.* *Eugenius* tamen III. *Catharinæ*; *Bonifacius IX. Brigittæ* revelationes suffragiis suis confirmarunt.

VII. A Pontificibus progredimur ad *Concilia*, ostensuri, Pontificios talia de iis statuere, quæ non nisi ab iis defendi possunt, qui *Fanaticismo* favent. Notum est Pontificios asserere, Concilia in quibus articuli Religioni catholicæ conformes cuduntur, singulari Spiritus S. providentia & moderamine regi; imo ex quorundam sententia, ea esse infallibilia. Quam vero hoc a vero abhorreat, pluribus doceri posset, si pro dignitate materiæ res esset hæc tractanda. Sed animus non est singillatim hoc argumentum excutere, neque adeo vel ad articulos ipsos quorundam Conciliorum, vel ad res ad Religionem spectantes tractandi methodum provocabo; non referam, quid de Conciliis sui temporis judicaverit Greg. *Nanzianzenus*; neque mentionem faciam dissensus, qui in multis obtinuit Conciliis, defensarumque opinionum adversa fronte secum invicem pugnantium. Sufficiet mihi exemplo *Synodi Tridentinæ*, quæ Pontificiis sacrosancta est, ostendere, talia passim decreta pro divinis orbi christiano obtrusa fuisse, resque a Pontificibus ita fuisse gestas, quæ ab iis solis admitti possunt pro divinis, quorum cerebrum *fanaticis* est imbutum *opinionibus*. Ad utrumque autem probandum, vel sola lectio *Histo-* Ulterius idem ostenditur.

Y 3 *riæ*

par centaines & par milliers. Il y a long temps que l'année ne peut plus fournir un jour à chaque Canonisé: Il faut entasser plusieurs les uns sur les autres, dans les mêmes places, & c'est à present, qu'on peut dire avec Juvenal.

- - Nec turba Deorum
Talis ut est hodie, contentaque sydera paucis
Numinibus, miserum urgebant Atlanta minori
Pondere.

Combien trouveroit-on des Senateurs vitio creati dans la cour céleste, si l'on y procédoit rigoureusement? voyés à combien de volumes montent deja les Acta Sanctorum? On leur pourroit appliquer ce Distique si connu:

Scripta giganteæ, quorum sub pondere molis
Tristior Encelado, Bibliopola gemit.

riæ Concilii Tridentini, ſcriptæ a præſtantiſſimo *Sarpio*, ſuffecerit. Novi quidem Doctoribus pontificiis valde diſplicere egregium hunc librum, eosque omnem navare operam, ut virtutibus Viri doctiſſimi detrahant, eumque malæ fidei accuſent. Hactenus tamen fruſtra fuerunt, præſertim poſtquam omnia monumenta, ad hiſtoriam Concilii Tridentini facientia, quæ ab eo tempore, quo ſuam hiſtoriam conſcripſit *Sarpius*, edita ſunt, candorem viri, veracitatisque ſtudium quod ille ſectatus eſt, ampliſſime confirmant, prouti id etiam paſſim a doctiſſimo *Courayerio*, noviſſimo hujus libri Editore, in ſuis ad hanc hiſtoriam animadverſionibus diligenter eſt monſtratum. (*) Sed oſtendendum paucis, qua ratione Doctores pontificii, dum decreta Doctorum Synodi hujus pro divinis habent & venditare volunt, *fanaticiſſimi* rei ſint. Et *primo* quidem *fanaticum* eſt credere, membra ſingula alicujus Synodi vel Concilii falli poſſe & errare; omnia tamen ſimul ſumta non item; atque adeo decreta Conciliorum pro divinis æſtimanda, licet nullus eorum, qui iis interſunt, privilegium aliquod conceſſæ infallibilitatis oſtendere poſſit. Multos in Synodo Tridentina collectos Doctores turpiter ſæpe hallucinatos, affectuumque æſtu abreptos fuiſſe, ne ipſa quidem negarit impudentia; hoc tamen non obſtante, decreta illa omnia pro divinis ſunt habenda. *Fanaticum* eſt ſubſcribere Concilii alicujus propoſitionibus tanquam divinis, quæ tamen neque per rectæ *rationis* regulas, neque per *Revelationem* probari poſſunt: atqui tales publica lege ſancitas & probatas certiſſimum eſt. Specimina mox quædam dabimus. Ita *fanaticum* eſt credere, Spiritum Sanctum per Concilium, vel homines in eo collectos jubere, ut S. Literæ, quæ Deum Auctorem habent, promiſcue ab omnibus non legantur, cum tamen eum in finem datæ ſint, ut omnibus & ſingulis viam ſalutis monſtrent. Itane Spiritus S. poteſt eſſe ſibi adeo contrarius? Inter-

(*) Hoc ipſo, quo hæc ſcribo, anno, idem hic vir doctus in lucem emiſit libellum, Amſtelodami editum, cujus titulus: *Defenſe de la nouvelle Traduction de l'hiſtoire du Concile de Trente, contre les Cenſures de quelques Prélats, & de quelques Théologiens.* In eo non ſolum animadverſiones ſuas contra Doctores Eccleſiæ Romanæ vindicat, ſed & probat ſimul, accurate Sarpium ad hiſtoriæ leges Scriptum ſuum exegiſſe & adornaſſe.

Interdictam autem fuiſſe promiſcuam S. Literarum in hoc Concilio lectionem, docet *Sarpius* ad A. 1546. pag. m. 282. vide ibi notam *Courayerii*. *Fanaticum* eſt credere, Synodum aliquam ſingulari Spiritus S. cura atque regimine gubernatam eſſe, ex cujus tamen actis ſole meridiano clarius elucet, fraude, dolis, imperio & pretio effectum, ut omnia ad nutum Pontificum decernerentur. Hoc teſtantur non ſolum *Sarpius*, *Courayerius* & plerique qui acta de hoc Concilio literis conſignarunt; ſed & ipſe authoritatis pontificiæ defenſor ſtrenuus *Palavicinus* id aliquando negare non poteſt, ut de teſtimoniis celeb. Virorum, *Chemnitii, Heideggeri*, *Weismanni*, *Schelhornii*, *Baumgartenii*, aliorumque multorum nil dicam. Poſtremus *Obſervat:* de *Concilio Trident.* &c. pag. 44. in compendio, ſed ex vero ita pronuntiat: *Quam multa ſunt, ex quibus intelligitur, repudiaſſe Pontificem omne patrocinium veritatis, & juſtiſſimam aliorum advocationem, non argumentis, quibus moveri hominum animi ſolent, ſed vi & aſtu diſcuſſiſſe. Ipſe enim ſolus erat, ad quem omnia deferebantur, & cum faceret omnia arbitratu ſuo & ex voluntate ſua, parum proficiebant Imperator, Rex Galliæ atque Hiſpaniæ, juſtiſſimis ſuis poſtulationibus. Hinc ne quid detrimenti caperet ejus auctoritas, omnia erant prius, quam decernebatur aliquid, cum eo communicanda: Legatis ſolis licebat res ſuas proponere, & ii, qui quod ſentiebant eloqui vellent, reprimere ſermonem tenebantur. Patres conſcriptos in tres claſſes Pontifex diviſerat, quorum ſibi ſuffragia largiendo annuam pecuniam devinciebat; at cum proſpiceret animo, litem aliquam acriter agitari, neque dirimi eam poſſe, differebatur ad aliud tempus, dum Patrum conſcriptorum mentes ſeſe collegiſſent; ſed cum eſſet ille omnes vias perſecutus, & adſequi ſe nihil videret, diligenter ille proſpexit cum ſententiæ exquirerentur, ut ſemper plurimorum ſuffragia adipiſceretur.* Similem in modum pronuntiat *celeberrimus* & *amiciſſimus Schelhornius, Amænit, Hiſt. Eccl. Vol. I.* pag. 310. cujus verba digna ſunt quæ hic apponantur. *Haud mirum* (inquit) *ex ſolius Papæ arbitrio Tridenti geſta ac ſancita eſſe omnia, cum præterea ne Præſidibus quidem ipſis, de rebus paulo gravioribus, quicquam, niſi Roma ad eos perlatum, ibique ceu ex Apollinis Tripode pronuntiatum, approbatum fuerit; quod anſam diverbio dedit, Spiritum ſanctum, quem Concilio præfuiſſe jactitant*

tant Romanenses, illinc Tabellarii manticis inclusum (*) *mitti Tridentum consuevisse: nec erraverit, qui Concilium illud* πανοπνευστον *potius quam* θεοπνευστον *nuncupandum esse censuerit. Nihil sane præter rem dixit Innocentius Gentiletus, cum certe, ait, bullis suis ipse Pontifex Concilio per Spiritum sanctum se præfuturum jactitabat. At S. ille Spiritus, de quo sentiebat, erant articuli ab ipso, Cardinaliumque suorum collegio cusi, dictatique, quos Roma Tridentum mittebant. Fuit ergo peculiaris sane Spiritus sanctus, cujus ductu Patres Tridentini fuere gubernati. Id quod confirmat ipsa Canonum & Decretorum Concilii Trid. editio princeps & authentica, typis Pauli Manutii Romæ A°. MDLXIV. jubente Pontifice in fol. excusa, quam cimelii instar habeo. In ea fol. 71. sess. XIII. Decretum de sanctissimo Eucharistiæ sacramento ita incipit: Sacrosancta oecumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, præsidentibus in ea ejusdem sanctæ sedis Apostolicæ Legato & Nuntiis, etsi in eum finem non absque peculiaris Spiritus sancti ductu, &c. Diserte igitur hic peculiaris Spiritus sancti, qui Synodum Tridentinam gubernaverit, mentio fit. Facile equidem cuivis largior, vocem hanc sic expressam esse typothetæ vel negligentia, vel calliditate, præter voluntatem auctorum, quanquam erratorum typographicorum nullus index huic editioni sit annexus; at rem ipsam tamen locutus invitis licet auctoribus est typotheta, vel corrector, qui si ipso inscio ac haud advertente literula S. irrepserit, inter eos veritatis testes, qualis fuit Caiaphas summus Judæorum sacerdos, referri meretur. Nihil enim magis verum esse arbitror, quam peculiaris cujusdam Spiritus, illius nempe, quem Roma tabellarii manticis inclusum Tridentum misit Pontifex, ductu ac gubernatione sancita esse Synodi Tridentini decreta fere omnia.* Ita Cl. *Schelhornius*, qui in seq. testimoniis luculentis singula latius confirmat. Quanquam res ex ipsis Actis Synodi satis manifesta sit, unum tamen alterumve specimen est afferendum. Ita notarunt *Sarpius*, *Dupinius*, *Pallavicinus* & alii, Episcopos & Doctores Italos, cæterarum

(*) Usus est (verba sunt ejusdem suavissimi amici nostri) inter cæteros hac loquendi formula Lanssacus, Regis Gall. Orator in literis Tridento Anno MDLXII. d. XIX. Mai. ad Insulanum (Monsieur de Lisle) ejusdem Regis ad Pontificem Legatum exaratis: envoyer le St. Esprit en valise de Rome icy: vid. Puteanorum fratrum Mémoires pour le Concile de Trente, pag. 178.

rarum Nationum Antiſtites numero æquaſſe vel ſuperaſſe, eum nempe, ut quilibet videt, in finem, ut ſi non argumentis, ſuffragiorum tamen multitudine renitentes vincerent. Quale autem ingenium fuerit horum Italorum, abunde ex hiſtoria Synodi patet. Hinc Corn. *Scoper*, Secretarius Imperatoris dicebat: *Si Proteſtantes pecunia eſſent inſtructi, eos ab Italis, qualemcunque voluiſſent, Religionem emturos fuiſſe;* apud *Sarpium* Tom. I. Edit. *Couray.* p. 104. Franciſcus de *Vargas* in *epiſtolis* de Concilio Tridentino editis, (de quibus videndus idem Cl. *Schelhornius* Amœnit. Tom. II. pag. 441. ſq.) Translationis Mich. *Vaſſorii* pag. 62. refert, occultam *Julio* III. cum Carolo V. interceſſiſſe pactionem, in qua hic promiſerit, teſte Legato *Creſcentio*, Hiſpanis apographum Carolinæ pollicitationis oſtendente, curaturum ſe, ne Reformatio *ultra voluntatem Pontificis* urgeretur. Idem *Vargas* teſtatur, Legatos Papæ pro arbitrio ſuo jus decidendi ſibi arrogaſſe, etiam ſi votorum vincerentur numero, & pluribus illicitis artibus libertatem votorum impediviſſe. Ex eodem *Sarpio* conſtat (verbis utor Cl. *Weismanni Hiſt. Eccl. Tom. I. pag.* 1372.) *duplicis generis mandata & inſtructiones Legatis a Pontifice miſſas, quarum alteras Concilio poſſent monſtrare, alteras autem ſibi ſolis ſervare, utpote arcanas. Huc referendas illas Chartas Pontificis, quæ Legatos in omnes propemodum eventus & caſus, quas Curia tam exercitata & aſtuta prævideråt, in anteceſſum inſtruxiſſent, Synodalibus nullatenus monſtrandæ.* Ex quo *Amelotus*, apud eundem Cl. *Weismannum*, non ſine ſpecie veri colligit, monumenta & literas, ſervatas in Bibliotheca Vaticana & tanto cum faſtu a *Pallavicino* citatas, omnino eſſe *ſuſpectas.* Valde enim probabile eſſe, ex geminis iſtis inſtructionibus, quas acceperint Legati, illam ſolam citari, quam communicare licuit cum Epiſcopis, h. e. ab arcanis literis & contrariis plane diverſam. Novi ego quidem quoſdam Pontificiorum jactare, Romæ ſervari quaſdam Guil. *Sirleti* epiſtolas, ex quibus *Sarpius* malæ fidei poſſit argui. At quis credat Pontifices eas non edi curaturos eſſe, ſi ex iis præſidium aliquod auctoritati Pontificis accedere poſſet? Ante Concilii congreſſum, boni omnes clamabant, Eccleſiam Romanam, ſive reſpicias ad Pontifices, ſive ad Clerum, eſſe corruptiſſimam. Teſtantur id non ſolum centum gravamina Nationis germanicæ, publico nomine Pontifici transmiſſa, quæ apud *Hortlederum* de cauſis belli germanici legi poſſunt; ſed &

ipse Pontifex Rom. *Hadrianus* VI. literis ad ordines Imperii datis, quæ in *Wolfii* Lectionibus memorabilibus, fasciculo rerum expetendarum, & alibi repeiriuntur, id fassus est. Corrigendus igitur erat ante omnia Præsul Romanus. Sed conatus præstantissimorum Virorum eluserunt ipsius Gnathones. Unde in Sess. XXV. ajunt, ita omnia statuta esse, *ut in illis semper salva sit auctoritas sedis Apostolicæ:* & ibid. clausula: *confirmationem eorum omnium, quæ in Synodo decreta & definita fuerint, a R. Pontifice petenda esse.* Hinc in oratione inaugurali Cornelii *Mussi*, Episcopi Bituntini, Papam *lucem mundi*, Concilium ipsum, *Concilium Deorum* appellavit, indignantibus bonis omnibus. v. *Sarpium* Tom. I. p. 235. & ibi *Courayerium.* (*) Proposita est etiam per Cardinalem *Crescentium* formula hæc: *Ita visibilis Christi Ecclesia summum illius Vicarium pro unico & supremo capite habet.* Quantæ turbæ in sanctissimo hoc Concilio inter Doctores sint excitatæ, quam vehementes & justissimæ fuerint doctorum quorundam Præsulum de *Crescente* Præside Concilii querelæ, quam ferociter Itali exteris Præsulibus insultarint, ex *Sarpio* & aliis monumentis notum est. Ipsemet *Pallavicinus* Lib. VIII. cap. 6. narrat, Episcopum *Cavensem* Chirotensi in ipsa sessione publica *involasse in barbam, multosque ex ea evulsisse pilos.* Quisquamne autem sanæ mentis credere poterit, ejusmodi homines singulari Spiritus S. regi cura ac ductu? Quid quod ex Carolo *Visconti*, Nicolao *Psalmæo*, *Sarpio* & *Pallavicino* constet, huic Concilio interfuisse Episcopum *fanaticum*, Antonium nempe *Cinreliam*, patria Barensem, Episcopum Buduensem. Loca collegit doctissimus noster *Schelbornius*, *Amœnitat. Hist. Eccles. Tom. I. pag.* 598. sq. Idem Sect. XIX. & XX. expensi judicii Edm. *Campiani* de Concilio Tridentino ostendit, plures Concilio, vel nulla, vel exigua valde eruditione instructos, interfuisse. Ita illiteratum plane & rerum sacrarum ignarum fuisse, quippe Martis potius quam Christi alumnum, Cardi-

(*) Verba Viri docti ita sonant: Le Cardinal Pallavicin s'étend fort au long, pour justifier le discours de ce Prelat. Mais l'on peut dire, que s'il y a quelque chose de tolerable, on ne sauroit désavouer du moins, qu'il ne soit plein de ces Concetti Italiens, aussi eloignés de la justesse que de la véritable éloquence; & que la pluspart des pensées n'en soient fausses, les louanges outrées, les allusions profanes, & les comparaisons ridicules.

Cardinalem M. *Sitticum* de *Alta Ems*, Pii IV. Pontificis ex forore nepotem, acta testantur: fatetur hoc ipsum *Pallavicinus Hist. Conc. Trid. Tom. II. cap. XV. Courayerius* breviter sic de eo loquitur: *C'étoit un homme d'une capacité mediocre.* Confer τον μακαριτην celeb. *Hottingerum Fil. Hist. Reformat. Helvet. Tom. III. p.* 861. Lepida inprimis sunt, quæ de eo narrat Cl. *Zwingerus*, in Oratione de superiorum seculorum latinæ & græcæ linguæ suprema ignorantia. (*) Quæ hactenus retulimus, ad externum duntaxat Concilii hujus statum pertinent. Quod si vero ad articulos ipsos in eo stabilitos animum convertamus, patebit, quod plurima dogmata hactenus incognita, aut non decisa, anathematibus fuerint stabilita, & scholarum placita hactenus libera, ritusque arbitrarii, sub excommunicationis pœna pro articulis fidei venditata, decretaque injuncta, quæ ab antiquorum doctrina & disciplina erant alienissima. Quis autem hæc singulari adscribet Spiritus Sancti moderamini? Operosum valde esset per partes hoc ostendere: dudum id factum a celeberrimis Theologis Protestantibus, inter quos inprimis eminent *Chemnitius* & *Heideggerus*, ut de iis, qui ex antiquitate ecclesiastica multorum dogmatum & rituum Ecclesiæ Romanæ receptorum novitatem detexerunt, nil dicam. Cl. *Courayerius*, qui eruditis adnotationibus Historiam *Sarpii* instruxit, & docte non minus quam candide in ea, quæ in hoc Concilio acta & de-

 creta

(*) Verba Cl. Viri ita sonant, Cardinalis ab Alta Ems latinæ linguæ tam ignarus fuit, ut barbara maxime secula vix rudiorem habuerint Episcopum. Inscitiæ suæ luculentum in colloquio cum Ferdinando I. Imperatore is dedit aliquando specimen: Nam cum Imperator Constantiam venisset & Episcopus ipsum adiisset, ille hunc ita allocutus est: Memento te esse piscatorem hominum; da igitur operam ut multos Christo lucrifacias: tum Episcopus latinæ linguæ rudis prorsus, recordatus tamen pisces a Germanis vocari fische, respondit Imperatori: Ja allergnædigster Herr Kayser, es hat sehr gute Fische im Bodensee. Quo responso Imperator valde offensus esse dicitur, indigne admodum ferens, tam indoctos ac rudes Ecclesiis præfici solere Episcopos. Idem hic Episcopus, quum Cardinalis Romæ hyberno tempore mulo vectus cum aliis Cardinalibus obequitaret, & quidam de frigore quererentur, interlocutus est: Est *magnum frigum:* ne videlicet latinæ linguæ expers penitus videretur. Quod ubi familiares audiverant, unus ex iis terminationem correcturus in aurem ei insusurravit, gus, gus; errorem igitur quum corrigere vellet Cardinalis, repetiit: *Est magnum Friguncus.* Quo factum est ut *Cardinalis Friguncus* deinceps sit appellatus.

creta sunt, inquisivit, vehementer dolet, tot novis decretis & ritibus oneratam fuisse Ecclesiam, quæ dudum splendorem amiserat, atque meliora tempora anhelaverat. Cum jam suo tempore *Augustinus* epistola ad *Januarium* conquestus sit, *Religionem, quam paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia Dei esse liberam voluerit. servilibus operibus premi, ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui etsi tempus libertatis non cognoverint, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumtionibus subjecti* fuerint; facile quilibet, qualis facies Ecclesiæ tempore Reformationis fuerit, judicare poterit. Videantur de misera Ecclesiæ Romanæ & ordinis ecclesiastici facie, tempore hujus Concilii, testimonia *Mameranі, Isidori Clarii, Tapperi* ac Wilh. *Lindani*, collecta a Cl. *Schelhornio Amænit. Litt. Tom. I. pag.* 377. *sq.* Eruditissimus *Courayerius*, postquam verba L. *Vivis* adduxisset, dicentis: *Quæcunque a scholæ placitis dissident, scholastico Theologo sunt hæretica; quod crimen ita vulgatum est, ut rebus quoque levissimis impingatur, quum sit ipsum per se atrocissimum*, in præfat. sua pag. m. 24. ita, juxta qualemcunque versionem meam, cordate loquitur. *Optandum esset, ut Concilium Tridentinum a Viris optimis & præstantissimis ad resarciendam unitatem, tempore Reformationis solutam, expetitum, malum multiplicatione immensa dogmatum hactenus incognitorum & vibratis contra dissentientes anathematismis, non auxisset. Quis vero non imprudenter valde egisse Patres asseret, quod pro articulis fidei obtrudere Christianis voluerint res incertissimas & superfluas? Quo jure tandem, non dicam pro dogmatibus necessariis, sed pro veritatibus quibusdam admitti poterunt tot scholæ placita, nonnisi tenui probabilitatis gradu instructa, in quorum numerum referri poterunt canones de Sacramentis in genere & in specie, de quibus hactenus libere disputatum fuerat; qua ratione excusari poterunt Patres illi, quando tanto cum fastu & supercilio, projecto omni quo in cæteros Christianos ferri debuissent affectu, hominibus imponere voluerunt ritus aut parum rationi conformes, v. gr. usum precum in lingua ignota; aut contrarios primitivæ Ecclesiæ statutis, v. gr. communionem sub una specie; aut planæ non necessarios, v. gr. usum imaginum, invocationem Sanctorum &c.* Hæc *Courayerius*, qui in sequentibus pluribus horum Patrum nævos taxat. Singillatim omnia excutere hujus loci non est: unum tantum ac alterum monebimus. Reformatio morum, de qua ut præcipue in hoc Concilio ageretur, boni omnes, imo Principes,

postu-

poſtulabant, aut leviter & quaſi aliud agendo fuit tractata, aut in finem, ubi omnia non ſine præcipitantia expendebantur, rejecta; quaſi vero Spiritus Sanctus, quem ſingulari cura omnia moderatum fuiſſe nobis perſuadere vellent pontificii Doctores, aut nullam aut exiguam veræ pietatis curam haberet. Petitio ſecunda, Synodo a *Ferdinandi* Imperatoris Oratoribus propoſita, hæc erat; ut nimirum emendarentur ea, quæ ad Sanctitatem ſuam, ejusque ſtatum & curiam pertinerent: Reſponſum ad hoc ita: *Hoc quotidie agit Sanctitas ſua Romæ, & multa jam ab Ea editæ ſunt bullæ Reformationum, notumque eſt, Eam in hanc rem omni ſtudio incumbere.* Lege integram conſultationem lectu ſane dignam, Imperatoris *Ferdinandi I.* juſſu inſtitutam, de articulis Reformationis in Concilio Tridentino propoſitis, ac proponendis, quam Tom. I. *Amœnit. Hiſt. Eccl. inſeruit celeb. Schelhornius.* Credibilene eſt tandem, corda horum procerum ſingulari ratione tacta fuiſſe a Spiritu S. qui corruptioni tantæ, qua Eccleſiam infectam fuiſſe ſole meridiano clarius patebat, obicem ponere detrectabant? Nonniſi *fanaticus* homo admittere poterit pleraque, quæ in hoc Concilio ſunt ſancita, v. gr. de Transſubſtantiatione, de numero ſeptem Sacramentorum, de charactere indelebili animæ impreſſo &c. Quando probare voluerunt, neceſſe eſſe ut ſeptem Sacramenta Eccleſia admittat, ad proprietates numeri ſeptenarii, ad VII. res naturales, quibus vita ſuſtentatur & conſervatur; ad VII. virtutes; ad VII. crimina capitalia; ad VII. defectus, qui ex peccato originis orti ſunt; ad VI. dies creationis mundi, qui cum Sabbatho faciunt VII; ad VII. plagas Ægypti; ad VII. Planetas provocant. Horum dum meminit *Courayerius* pag. m. 429. ait: *On auroit peine à croire ce que dit ici Fra-Paolo, de toutes les puerilités qui ſe debitèrent pour établir le nombre des Sacremens. Mais pour peu qu'on ait jetté les yeux ſur un certain nombre de Scholaſtiques, on verra qu'il n'a rien exaggeré, & Pallavicin doit avoir été de fort mauvaiſe humeur, pour faire un crime à notre Hiſtorien du peu de railleries qu'il en fait.* Poſtquam *Sarpius* pag. m. 438. Tom I. diverſas Scholaſticorum de charactere indelebili menti impreſſo recenſuiſſet opiniones, atque optaſſet, ut explicuiſſent Patres Conſcripti, quid tantem ille character eſſet, hæc addit *Courayerius. S'il eſt vrai, qu'ils s'entendoient eux mêmes: mais comme tout ce qu'ils diſent ſur ce point étoit fort inintelligible, la ſeule curioſité ſeroit de ſavoir, comment ils pouvoient diſputer*

 d'une

d'une chose qu'ils avoient rendue incomprehensible. Le Cardinal Pallavicin, qui se met si fort en colere contre Fra-Paolo, à cause de l'air badin, dont il raille ici les Scholastiques, compare assés à propos ce qu'ils disoient au systeme de Ptolomée sur le mouvement des Cieux. Chimere pour Chimere: je n'y vois d'autre different, sinon que celle de Ptolomée est plus intelligible que l'autre. Pour la possibilité, les deux systemes sont à peu prés de niveau. Scilicet Spiritui Sancto is labor est, ut tam piæ & utiles opiniones mortalibus inculcentur. Quis nisi *fanaticus* credere potest, Spiritum S. per Patres Concilii authenticam esse jubere versionem aliquam, quæ tamen demum post factum illud decretum, aliorum labore & industria, corrigenda erat. Fatetur id denuo doctissimus *Courayerius*, cujus verba infra damus. (*) Novi quidem pontificios Doctores inter se, circa interpretationem decreti hujus de authentia vulgatæ versionis, dissentire, & quosdam mitius illud interpretari, asserentes, hanc versionem secundum mentem Patrum hujus Concilii aliis duntaxat translationibus esse præferendam, & in rebus, ad articulos fidei & morum pertinentibus, ab omni errore immunem esse. Alii vero, quorum major pars est, in omnibus ab errore immunem eam esse pronuntiant. Et hi videntur mentem Concilii rectius cepisse quam priores: verba enim decreti hujus ita sonant; *S. Synodus &c. ut hæc ipsa versio & vulgata Editio, quæ longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus & expositionibus pro authentica habeatur, & ut nemo eam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat.* Ex quibus verbis clarum est, quicquid probatur ex ea, recte esse probatum, neque licitum esse ab hac provocare ad textum originalem. Ex quo simul,

(*) Ea autem ita sonant: C'étoit ce semble renverser l'ordre des choses & il eut été plus naturel, que la revision & la correction de la Vulgate precedassent l'approbation. Car comment approuver une chose, que l'on reconnoit avoir besoin de réforme, sans savoir si la réfor ne sera telle, qu'elle mérite l'approbation? C'étoit approuver une Traduction sur la supposition incertaine, que la correction seroit bonne & telle, que chacun dût s'y sousmettre, quoique les Correcteurs n'eussent ni inspiration, ni infallibilité. Mais comme on vouloit prononcer sur le choix de tant de Traductions, & qu'il pouvoit arriver, comme il arriva en effet, que le Concile finit, avant que la revision fût faite, on se hâta de déclarer la Vulgate authentique, sauf à voir aprés, comment on s'y prendroit pour la mettre en état de paroitre telle.

ſimul, quod in tranſitu moneo, patet, quam incpta ſit & ridicula opinio *Harduini*, in commentario in N. Teſtamentum aſſerentis, N. Teſtamentum ſcriptum fuiſſe lingua latina, & quidem, reſpectu diviſionis capitum & commatum, ad normam editionis juſſu *Clementis* VIII. Pontificis adornatæ & correctæ. Quid non audent tandem Jeſuitæ? Quis niſi *Fanaticus* credere poſſit, Spiritum S. pro divinis ab Eccleſia haberi velle libros dubios, & antiquiſſimis Patribus ſuſpectos habitos, Eundemque jubere, ut traditiones, de quarum tamen divina origine perſuaſus nemo certe eſſe poteſt, eodem in pretio habeantur, quo S. Literæ a Chriſtianis omnibus haberi debent? quorum tamen utrumque Seſſ. IV. decret. I. ita Patres ſanxerunt. Quod ad libros in Eccleſia Romana pro divinis habitos ſpectat, recte notat apud *Sarpium Courayerius*, pag. m. 22. ſine inſpiratione nova Patres ſcire non potuiſſe, libros neque a Judæis, neque a primis Chriſtianis pro divinis habitos, pro talibus habendos tamen eſſe. Quod ad traditionum valorem attinet, duo Epiſcopi in Synodo hac celebri *impiam* eorum ſententiam eſſe pronuntiarunt, qui traditiones Libris ſacris æquiparandas eſſe dixerunt, quorum ſententiæ etiam accedit *Courayerius* l. cit. Quis denique, ut multa alia ſilentio involvamus, (neque enim de erroribus Concilii Tridentini ex profeſſo hic agimus) quis inquam ſibi perſuadebit, Spiritum Sanctum inſolita & divina quadam ratione inſtigaſſe Patres, ut decreta quædam, quæ neque per *rationem*, neque per *Revelationem* ſatis perſpicue demonſtrari poſſunt, imo quorum quædam manifeſto *rationi* & *Revelationi contraria* ſunt, Chriſtianis omnibus tanquam divina oracula injungerent? Mirum autem quammaxime eſt, Spiritum Sanctum, quem ſingulari ratione Eccleſiæ per hoc Concilium proſpexiſſe volunt Doctores pontificii, ita mentes Præſulum direxiſſe, ut rem omnium graviſſimam, & quæ baſis eſt Religionis Romanæ, id eſt doctrinam de Eccleſia, ejusque infallibilitate, examini ſubjicere nollent, prout ex *Sarpio* p. m. 267. conſtat. Hodie, ut notum eſt, in certaminibus cum Proteſtantibus ad *Eccleſiam*, *Eccleſiam* provocant, & ab hoc potiſſimum articulo in diſputationibus, quæ nobis cum ipſis intercedunt, initium eſſe ſumendum contendunt. An non, ſi Spiritus Sanctus ſtabilitam voluiſſet Religionis Romanæ divinam originem, efficaciſſimis rationibus comprobatam voluiſſet Eccleſiæ auctoritatem? an non ita videtur ſecuritati Eccleſiæ parum proſpexiſſe, præſertim poſt-

poſtquam omnibus manifeſtum erat, Proteſtantes Eccleſiæ Romanæ auctoritatem, & quidem non ſine graviſſimis rationibus, impugnare? Ridiculæ certe & futiles ſunt rationes, quibus ab examine hoc de Eccleſia ejusque auctoritate abſterriti ſunt Præſules hujus Concilii. Vide eas apud *Sarpium* pag. 268. Tom. I. Sed ſatis de hoc Concilio, pergamus ad alia.

Eadem theſis aliis porro rationibus & exemplis confirmatur.

VIII. Quod ſi præter ea, quæ de Pontificibus & Conciliis diximus, ad ipſa fundamenta, quibus nititur Eccleſia Romana, penetremus, & ad methodum, qua utuntur Eccleſiæ Romanæ Doctores, homines de divina origine & infallibilitate Eccleſiæ perſuadendi, attendamus, patebit, talia tradi, quæ non poſſunt non longe maximam hominum partem in *Fanaticiſmum* præcipitare. Diximus ſupra, Fanaticos dici partim eos, qui aliis articulos quosdam tanquam creditu neceſſarios obtrudere volunt, licet in Sacris Literis aut nulla, aut perexigua eorum veſtigia reperiantur; partim vero tales, qui ſpreta ratione & Revelatione, decreta ſua immediatæ ſingularique tribuunt inſpirationi. Jam vero plebi Eccleſiæ Romanæ addictæ duo firmiter ſunt tenenda; *Prius* eſt; non eſſe inſtituendum Religionis examen, adeoque etiam non eſſe legendas S. Literas eo fine, ut articulos Religionis, quos credendos injungit Eccleſia, cum Revelatione conferat, inſtitutoque examine eos vel admittat vel rejiciat. *Poſterius*; Eccleſiam tamen Romanam hoc non obſtante eſſe infallibilem, ſingulaque ejus decreta humili obſequio ſine examine eſſe admittenda. Hoc poſito neceſſe eſt, ut plebs, quo nomine omnes qui Clerici non ſunt, cujuscunque tandem ſint dignitatis, eruditionis & acuminis, comprehenduntur, fimiter ſibi perſuadeat, quosdam articulos creditu abſolute eſſe neceſſarios, licet neque ex rectæ *rationis* vel *Revelationis* divinæ decretis de eorum neceſſitate & veritate poſſit eſſe convicta. At ita agere ſolent *homines fanatici*. Credere nimirum debet, Eccleſiam eſſe infallibilem, quia Eccleſia ſeſe infallibilem eſſe perhibet, aut hujus vel illius cœtus paſtor ſancte hoc affirmat; hanc propoſitionem principalem admittere debet fide divina ſine Revelationis examine; unde nullum aliud illi relictum eſt medium, quam ut adquieſcat cæco aſſenſu in iis, quæ dicuntur, non vero probantur. Imo ſi liceret plebi S. Literas legere, & loca quæ pro infallibilitate Eccleſiæ adducuntur expendere, argumentatio tamen inde petita, legitima licet, valeret nihil, quia nonniſi privati

homi-

hominis, cujus auctoritas in decidendis Religionis articulis est nulla, niteretur judicio. Idem porro aliis potest comprobari rationibus. Privatus quisque in cœtu Ecclesiæ Romanæ natus, non potest credere Ecclesiam esse infallibilem, quia natus est in ea Ecclesia quæ hoc sibi jus vendicat. Ita enim omnes Christiani hoc sibi infallibilitatis privilegium arrogare possent. Non possunt Laici plerique ipsum Pontificem adire, vel totius Ecclesiæ longe lateque diffusæ Doctores consulere. Imo plerisque ad plures ante esset abeundum, quam tot loca dissita inter se adire possent. Ponamus tamen, Laicos quosdam cognoscendæ hujus veritatis capitalis cupidos recta ire Romam, atque sincere & candide, animo neutram in partem hactenus inclinato, ex ipso Pontifice declarationem hujus articuli petere atque accipere, tum ego ne sic quidem de hac capitali veritate scilicet eos persuaderi posse contendo. Aut enim credere debent Ecclesiam esse infallibilem, quia ipsemet hoc ait tanquam Doctor infallibilis; aut quia tanquam Præsul, singulari eruditionis luce perfusus, hoc testatur. Prius statuere non possunt, quia eo fine Romam contendunt, ut de hoc capitali articulo convincantur; si vero illi sine rationibus assentiuntur, non magis certi sunt quam antea. Quod si vero Pontifex rationibus utitur ex ratione, Revelatione, & traditione petitis; tum necesse est ut examen aliquod instituant, rationesque adductas omnes serio expendant: At hoc Pontificis decretis est contrarium. Hæc insuper omnis argumentatio Pontificis nullius esset penes Laicos illos auctoritatis, *partim* quod nondum persuasi sunt Laici de ejus infallibilitate, quam probare demum instituit; partim quod nondum probata infallibilitate Pontificis, judicium hoc nonnisi esset hominis privati, cujus ἰδία ἐπίλυσις juxta Ecclesiæ Romanæ decreta in decidendis Religionis controversiis nil valet. Idem necesse esset accidere, si homines illi veri amore incensi, hinc inde per florentissima Regna, in quibus Religio Romana floret, iter facientes, Ecclesiæ hujus Præsules in consilium vocarent: cum enim singillatim omnes, quod ipsi fatentur hujus Ecclesiæ Doctores, falli possint, judicium eorum pro certo & infallibili admittere pariter non poterunt. Novi quidem Ecclesiæ Romanæ Doctores, *Bellarminum* inprimis, contendere, notas infallibilitatis Ecclesiæ, v. gr. ejus splendorem, antiquitatem, sanctitatem, &c. quammaxime esse perspicuas & tantum non in *oculos incurrentes; Sed quid tandem est* (verbis utor celeb. *Werenfelsii*

 differ-

differt. pro plebis judicio de dogmat. fidei pag. 8. Edit. pr.) *quod imperita plebs videt & palpat in Ecclesia Romana? Num immediate videt ipsam ejus infallibilitatem? Hoc certe nemo sanus dixerit. Num palpat ea, ex quibus hæc infallibilitas necessario concluditur? Sed quænam sunt illa? Nos enim hic cæca plebe cæciores, nihil, quod infallibilitatem necessario arguat, in hac Ecclesia conspicere possumus. Fatemur plebem multa in ea videre & palpare posse, quæ alibi non animadvertit. Sed quæritur, num ex iis quæ plebs videt & palpat, per legitimam & necessariam consequentiam concludi possit, Ecclesiam Romanam a Deo accepisse, idque in perpetuum, privilegium infallibilitatis. Quod si & hujus consequentiæ necessitatem plebs videt & palpat; næ illa acerrimo visu & subtilissimo tactu est prædita, maleque in cæteris omnibus ad cæcum assensum condemnatur. Ad plura videnda & palpanda est idonea. Nisi forte vespertilionibus similis est in tenebris videntibus, & in summa luce cæcutientibus.* Ita acute & ex vero ὁ Μακαρίτης *Werenfelsius.* De his autem singillatim hic agere animus non est. Sumamus duntaxat notam veræ Ecclesiæ ex antiquitate deductam, & patebit quam difficile sit Laico ex ea si adesset, colligere, Ecclesiam dono infallibilitatis esse instructam. Ut nihil dicam de defectu capacitatis, quam Doctores hujus Ecclesiæ, ubi de examine Religionis agitur, quammaxime urgere solent, huic homini non solum essent evolvenda vastissima Ecclesiæ Patrum & Conciliorum volumina, sed & linguarum, artis criticæ, &c. peritia deberet esse necessario instructus. Legenda insuper, quæ tot Viri, ingenio & eruditione præstantes contra interpretationes Doctorum Ecclesiæ Rom. in medium attulissent. Fac vero hominem illum superatis tot laboribus tandem reperire hanc veritatem; Ecclesia antiqua in omnibus articulis (concedam hoc per tempus, licet probatu id sit impossibile) cum moderna Ecclesia Romana convenit. Nondum tamen inde colligere posset, Romanam Ecclesiam veram esse Ecclesiam, nedum infallibilem. Omnis enim persuasio de veritate hujus collectionis, nititur hoc syllogismo: Quicquid antiqua Ecclesia, i. e. antiquissimi Christiani, de Religione statuunt, id verum & divinum est. Consequentia hæc vera non est, nisi præmittatur alia propositio, nimirum hæc; illa omnia, quæ Christus & Apostoli docuerunt & hominibus credenda imposuerunt, vera sunt & ambabus, ut ajunt, manibus amplectenda. Atqui Ecclesia antiqua & moderna Romana idem docent, quod

Chri-

Christus & Apostoli: Ergo &c. Hæc major propositio, ut de minore nil dicam, ponit fundamenti loco, Religionem christianam esse veram & divinam. Quod si igitur de antecedentibus propositionibus vellet esse persuasus Laicus noster, necessario ad ipsius Religionis christianæ examen esset perveniendum. Hoc autem facere per Ecclesiæ Romanæ decreta Laico non licet; atque ita omnis persuasio de Ecclesiæ infallibilitate, ex nota *Antiquitatis* petita, vana prorsus esset & inutilis. Quod si vero examen illud S. Literarum Laico concederetur, deberet ille singillatim cuncta loca, quæ pro veritate infallibilis Ecclesiæ afferuntur, examinare & demum judicium ferre. At quid valet tandem in Ecclesia Romana judicium Laici, certos Religionis articulos ex Revelatione eruentis? Responsio in promtu est. Nihil. Posset eadem veritas alia quoque ratione probari. Notum quid Ecclesiæ Romanæ Doctores sentiant, de *Intentione Ministri*, infantem baptizantis, nimirum eam ita esse absolute necessariam, ut absque ea omnis ille baptismus vanus sit; at quis demonstrabit ad oculum, vel eum, qui Pontificem baptizavit, eo temporis articulo de nulla alia re cogitasse; vel pastorem loci ab alio eodem vitio non laborante sacris undis tinctum fuisse? Pontificis vero vel Pastoris beneficio hoc carentis testimonium de Ecclesia valeret nihil. Hoc argumentum contra Pontificios Doctores urget gnaviter doctissimus *Chilingworthus* libri supra laudati Tom. I. pag. 273. sq. sed non opus est ut huc delabamur. Quæ breviter monita sunt, sufficiunt ad hoc, quod intenderamus, probandum. Erunt forte qui dicant, hanc de infallibilitate doctrinam ita esse comparatam, ut potius homines in *Scepticismum* conjiciat, quam vero in *Fanaticismum*. Non infitior id contingere posse; imo a doctissimis Viris abunde est demonstratum, methodum Ecclesiæ Rom. Doctorum ad infallibilitatem Pontificum, vel Ecclesiæ, tanquam ad primum dogma fundamentale christianæ Religionis provocantium, ita esse comparatam, ut homines ratiocinandi artis peritos facillime in *Scepticismum* det præcipites. Hoc tamen non impedit, quo minus longe numero plures in *Fanaticismum* incidant. Ad id enim, ut quis systematis alicujus nexum rite introspiciat, perpensisque argumentis iisque quæ necessario ex iis sequuntur, in hac vel illa demum sententia acquiescat, opus est acri judicio & eruditione. His dotibus qui sunt ornati, Doctorumque infallibilitatem Ecclesiæ probandi methodum rite callent, non possunt non, si

verum fateri velint, Pyrrhoniſmo dare nomen. Cum vero longe maxima hominum pars ejusmodi examen fugiat, neque tamen Religionis expertes videri velint, malunt potius Sacerdotibus credere, licet neque *ratio*, neque *Revelatio* dogmatibus, quibus aſſentiuntur, faveant, imo aliquando clariſſime eadem proſcribant. Quod ſi ſemel ponant, Deum voluiſſe ejusmodi infallibilem judicem dare Eccleſiæ, & tales eſſe omnes Pontifices, nihil eſt poſthac tam portentoſum atque ridiculum cui non ſubſcribant; Ita credent Papam perpetua Spiritus S. luce irradiari: Eum eſſe ἀνυπεύθυνον Dominum; Sanctos eſſe invocandos; dari purgatorium, & mille ſexcentas ejusdem metalli opiniones. Talia vero admittere ſine argumentis, ex S. Literis petitis, *fanaticum* eſt. Multum roboris accedit huic noſtræ ſententiæ, quando audimus Eccl. Rom. Doctores tam abjecte ſentire de uſu rationis in examine rerum ad Religionem pertinentium. Plebi, poſtquam facultas legendi S. Literas & ex iis viam ſalutis cognoſcendi, erepta eſt, nullum aliud relictum eſt judicandi de rebus divinis præſidium & inſtrumentum, præter rectæ rationis decreta. At præterquam quod homo de rebus ad Religionem chriſtianam ſpectantibus rite judicare non poſſit, niſi Revelationis dogmata in S. Literis contenta ipſemet probe examinarit, notum eſt, id agere pedibus manibusque Doctores hujus Eccleſiæ, ut rationis imbecillitatem ultra modum exaggerent, atque oſtendant, in quantas homines, lucem rationis ſequentes, inciderint tenebras. Hac ratione fieri aliter non poteſt, quam ut plebs etiam certiſſimis rationis decretis, ubi de Religione agitur, mittat nuntium. Quid autem hoc rurſus aliud eſt, quam *Fanaticiſmo* favere? Novimus quidem Socinianos, aliosque circa uſum rationis in Religionis negotio ulterius, quam rerum natura patitur, progredi, atque ea etiam, quæ certo revelata ſunt, repudiare, quod ea rationi contraria eſſe putent, quæ non ſatis evidenter percipiunt, in quo illi vehementer falluntur. Pontificii vero in alia omnia ruunt, rationique in examinandis articulis primariis Religionis, v. gr. de infallibilitate Pontificis, Transſubſtantiatione &c. nullum concedunt locum, verique nominis myſteria non minus quam aperte contradictoria, per manus almæ matris Eccleſiæ, non ſine maxima veneratione eſſe accipienda, & firma fide tenenda clamitant; quaſi vero myſterio a Deo nobis in S. Literis revelato, & propoſitioni ſenſum non habenti ſubſcribere unum idemque foret. Excuſſa ita ex manibus plerorumque hominum, Eccle-

ſiæ

siæ Romanæ addictorum, Revelatione; & rationis in examinandis rebus ad Religionem pertinentibus usu, quibus tamen adminiculis homo Deo sociatur, mirum non est, si multi quaslibet fabulas, quasi cœlitus demissas sententias avide arripiant, neque minus pro iis pugnent, quam si evidentissima Revelatione ad ita sentiendum & agendum fuissent compulsi. Quod si nullo hoc exemplo demonstrari posse contenderent Doctores pontificii, vel solum illud monstrosum dogma Transsubstantiationis, quod in opprobrium Religionis christianæ ab Ecclesia Romana pro articulo Religionis gravissimo & sanctissimo habetur, abunde sententiam nostram comprobaret. Hoc inquam dogma inter κυριας δοξας Ecclesiæ Romanæ refertur, & hujus opera infinita numero miracula facta esse & quotidie fieri, nonsolum plebeculæ, sed omnibus hujus Ecclesiæ civibus credendum est, licet non magis hæc admitti possint, quam si quis dicat, se ope *trianguli quadrati* difficillima problemata mathematica solvisse. *Fanaticismo* insuper favent ea, quæ Ecclesiæ Romanæ Doctores, vitarum certe Sanctorum Scriptores, de pluribus Sanctis & numerosarum familiarum utriusque sexus Conditoribus narrant. Mentionem duntaxat hic injicio eorum, qui vitas *Dominici*, *Francisci* & *Ignatii Loyolæ* conscripserunt. Nemo certe, qui ἀθερ παθων horum hominum dicta, facta, opiniones de Religione & vitam expendit, dubitare poterit, quin *fanaticis* fuerint imbuti *opinionibus*, taliaque egerint, quæ probant, eos existimasse se propiore Numinis commercio uti, & ab eo ad insolita quædam proferenda & facienda impelli. Hi tamen, ut notum est, in numerum Sanctorum sunt relati, atque innumeros habent cultores; ex quo colligi merito debet, Pontifices *fanaticismi* summos esse promotores. Scimus plerosque Ecclesiæ Romanæ Doctores (sunt autem quod negandum non est, inter sapientiores hujus cœtus Præsules non pauci, qui in Sanctorum biographis plurima desiderent, multaque silentio voluissent tecta) vehementer indignari, quando horum Sanctorum & numerosissimi gregis duces *fanaticismi* postulamus. At injuriam nobis faciunt si existimant, nos animo Ecclesiæ Romanæ insultandi, vel detrahendi virtutibus hominum casta virtute, morumque probitate præditorum, sanctorum sc. hominum illorum opiniones & facta albis ridere dentibus. Ipsa enim αὐτοψια, i. e. lectio horum librorum efficit, ut aliter judicare non possimus: quod si igitur Ecclesiæ Romanæ Doctores in posterum prohibere volunt,

lunt, quo minus ſcapham ſcapham appellemus, alterutrum ipſis eſt dicendum: nimirum vel ſcriptores vitarum trium harum familiarum, ut de aliis nil jam dicam, multa incerta pro certis narraſſe, rumuſculos leviſſimos & fabulas paſſim inter plebem & aniculas febricitantes ſparſas, pro rebus certiſſime geſtis venditaſſe; & ut gloriam eorum in majus extollerent, finxiſſe eos dono miracula varia præſtandi, inſolitisque virtutibus a Deo fuiſſe ornatos: aut affirmare tenentur, omnia, prouti a vitarum ſcriptoribus narrantur, vere eſſe geſta: Quod ſi *prius* admittant Eccleſiæ Romanæ Doctores, *fanaticiſmum* poſthac viris illis nullo jure objiciemus: ſimul tamen *hoc concesſo* verum erit, vitarum ſcriptores homines fuiſſe nugivendulos, indignos quibus fides habeatur; *hoc concesſo*, ridiculi ſunt Eccleſiæ Rom. Doctores, quando nobis perſuadere volunt, divino quodam conſilio Monachorum horum familias exortas fuiſſe; *hoc concesſo*, miramur qua ratione, ſalva pietate, præſules Eccleſiæ Rom. concedere poſſint, ut libelli hi vulgi manibus terantur, precesque ad Sanctos fiant, de quorum actionibus nil certo definiri poſſe ipſimet perhibent; *hoc concesſo* quærimus, quo jure Pontifex homines illos in Sanctorum retulerit numerum; *hoc concesſo* cadit infallibilitas Pontificum, homines nullis virtutibus ornatos cœlo collocantium; nam qui in uno poteſt peccare & decipi, ille in aliis etiam aberrare poterit. Si vero *poſterius* aſſerant, i. e. homines illos vere tales fuiſſe, quales a Biographis ſiſtuntur, contendant, eosque ea & dixiſſe & feciſſe perhibeant, quæ in his libris continentur, tum cauſam non video, cur homines hosce in claſſem *Fanaticorum* non referamus, ſi quidem verum eſt, eos hoc morbo laborare, qui opiniones & ritus defendunt, aliisque obtrudunt, quæ tamen a rectæ rationis & Revelationis decretis plane abhorrent. Dum vero Eccleſiæ Rom. Doctores, meliora licet perſuaſi, patiuntur tamen Sanctos illos in magno a plebe haberi pretio, quis nobis vitio vertat, ſi Ductores & Doctores ipſos, imo ipſos Pontifices, *Fanaticiſmi* promotores eſſe publice aſſerimus? Et quis neſcit Eccleſiæ Rom. Doctores, Pontifices inprimis, non obſtantibus querelis virorum graviſſimorum, ex ipſo cœtu Eccleſiæ Romanæ, & piis Proteſtantium deſideriis & obteſtationibus, hodienum in tanta Evangelii & Literarum luce, homines *fanaticis opinionibus* imbutos, vel ſupra modum ſuperſtitioni addictos, laudibus in cœlum tollere, & fictitia etiam miracula, quibus eluxiſſe tradun-

traduntur, non falsi convincere, sed utplurimum commendare solere? Exempla recentissima in promtu sunt. Quid ante paucos annos cum *Parisio*, Diacono Parisiensi, factum fuerit, & qualia ab eo mortuo præstita fuerint miracula, Scriptores quidam pontificii publice asseveraverint, in vulgus notum est. Non quæram, utrum *Jansenistæ* pias illas fraudes instruxerint nec ne. Hoc certum, Pontifices non dubitaturos, *Parisium* in numerum Sanctorum referre, si eorum factioni fuisset addictus, qui Bullam Unigeniti, humili obsequio tanquam oraculum cœlitus delapsum, exosculari voluissent. Cur ita ratiocinemur obscurum non est. Constat enim *partim* Pontifices homines longe minoribus virtutibus & minori gloria ornatos, quam vero quibus illustris erat *Parisius*, in numerum Sanctorum retulisse; *partim* recenti exemplo fœminæ fanaticæ, *Margarethæ Alacoque*, cujus vitam, visiones, & miracula exposuit *Langletus Episcopus Suessoniensis*, Bullæ Unigeniti acris defensor, patet, Pontifices non parum attendere, *a quibus* vitæ Sanctorum scribantur. Hanc enim *fœminam fanaticam*, mediam inter S. *Catharinam* & *Theresiam*, Benedictus XIII. cœlo locavit, serio promittens, eam dono & privilegio canonisationis dignatum iri, si post obitum plura editura esset miracula, quod quin futurum sit sequenti ætate, ne ipsi quidem dubitabunt Sceptici. Lege, quisquis es, *Benedicti XIII.* Pontificis R. epistolam ad Episocopum Suessoniensem datam, in qua de biographia *Margarethæ* ab hoc Episcopo conscripta agit, eumque propterea dignis extollit laudibus. Hanc epistolam in linguam germanicam vertit *venerabilis Senex*, J. B. *Ottius*, *Archidiaconus Templi cathedralis dignissimus*, *vir de Ecclesiæ nostra literisque meritissimus*: Rectius autem de re ipsa persuasus fueris, si librum ipsum Episcopi evolveris. Titulus libri est: *La vie de la vénérable Mère Marguerite Marie, Religieuse de la Visitation Sainté Marie du Monastère de Paray-le-Monial en Charolois, morte en odeur de Sainteté en 1690. par Monseigneur Jean Joseph Langlet, Evêque de Soissons, de l'Academie Francoise.* Rarius hodie hic liber in Bibliothecis nostris reperitur, quandoquidem, si famæ fides est habenda, Episcopus, postquam audivisset eruditos Galliæ Viros, ut de aliis nil dicam, librum hunc explosisse, seque propterea aceto italico fuisse perfusum, studiose exemplaria conquisivit. Hujus libri exemplar nuper beneficio amici in manus meas pervenit, ex quo, si tanti res esset, facile probare possem, feminam illam,

lam, si vera essent quæ de ea narrat Episcopus, inter eas esse referendam, quæ *cerebri commenta* pro divinis habere solent Revelationibus; sed sufficiet quædam duntaxat adduxisse. In præfatione jactat Episcopus, eam visiones plures habuisse & miraculis fuisse illustrem. Ab eo tempore, quo desiit vivere hæc fœmina, usque ad A. 1729. effluxere 39. anni. Quisquamne autem credat, Mariam illam, si quidem tanta, ut jactitat Episcopus, edidisset miracula, non inventuram patronum, qui fidis chartis commisisset res omnium attentione dignissimas, cum passim non desint tales, qui pias ejusmodi fraudes fingant? Ridiculus est Episcopus, quando exemplo *Simeonis Stylitæ*, S. *Theresiæ*, & ejusdem metalli hominum probare vult, nihil hic de visionibus & portentis narrari, quod supra fidem sit positum. Hoc est enim, ut Poëta ait, *litem lite resolvere*. pag. 22. præfat. ipsemet fatetur Langletus, socias ipsius eam pro *fanatica* habuisse, quod tamen ipsum, ad singularem ipsius pietatem probandam, plurimum facere existimat. P. 28. præfat: affert characteres quosdam, ab illustri *Gerson* adornatos, ex quibus judicari possit, utrum hi vel illi veris visionibus ornati fuerint nec ne. At quisquis rerum peritus eos examinaverit, deprehendet, mille eos esse exceptionibus obnoxios. Pag. 33. sq. refertur, quod singulari cultu persecuta fuerit *cor Jesu Christi*, quodque ad illius exemplum plures in Oriente & America hoc ipsum fuerint venerati. Si quæras, quid per cultum cordis Christi intellexerit fœmina hæc, exponit Episcopus pag. 42. sq. nimirum per cultum hunc cordis Christi intelligendum, amorem singularem Soteris nostri, quo genus humanum complexus est in vita & morte sua, virtutes item præclaras, quibus eluxerat. At præterquam quod omnes Christiani amorem Jesu Christi erga miseros peccatores deprædicare debent, & virtutes ipsius, quantum in homines cadit, imitari; manifestissimum est ex multis hujus biographiæ locis, bonam fæminam cor veri nominis vulneribus saucium, imaginationi repræsentatum, tam devote veneratam. Vide pag. 234. & confer figuram hujus cordis fronti libri præmissam, ut de aliis locis nil dicam, ubi de eadem re agitur. Quis autem non *fanaticissimum* merum hic videt? Pag. 38. refertur, *Margaretham* nostram quomodo rite orandum sit tum didicisse, quando sacram Hostiam rite sit contemplata. Pag. 39. narrat Biographus, eam postquam habitu religioso fuisset induta, inusitatas statim habuisse visiones, & colloquiis

quiis familiarissimis cum Christo usam. Nimirum vestimenta hæc incredibilem habent vim & efficaciam, ad omnis generis virtutes consequendas. Pag. 47. exponit, quam singularem curam gesserit concreditorum sibi duorum animantium, nimirum asinæ & asini. Quid inde collegerit sancta hæc fæmina, malo ipsius verbis, quam meis, ne insultasse illi videar, proferre: *Puisque Saul* (inquit) *en cherchant des ânesses a trouvé le Royaume d'Israël, il faut que j'aquierre le Royaume du Ciel, en courant aprés de pareils animaux.* Ita ratiocinari solent Eccesiæ Romanæ sancti. Taceo plura, cum liber fere totus esset describendus, qui nonnisi cento est incredibilium fabularum, quas nemo non, cui sanum synciput est, explodere solet. Et tamen his non obstantibus digna hæc fæmina habita, quæ ab ipso Pontifice cœlo collocaretur. Quod si denique, ut dissertationi huic nostræ finem imponamus, oculos mentis nostræ ad *perillustrem Fenelonium*, qui Anonymum nostrum in gremium Ecclesiæ Romanæ reduxerat, respiciamus, patebit sane, causam non habuisse novum Proselytum, Protestantium Religionis decreta *fanaticismi* postulandi, Romanensium non item. Nihil ego illustris Archiepiscopi virtutibus, eruditioni, ingenio, quod habuit capacissimum, detractum volo. Multa in libris ab eo editis continentur utilia, acuta, ingeniosa. Interim quisquis Theologiæ verum gustum habet, fatebitur, ipsum facultati imaginatrici, in rebus etiam ad Religionem spectantibus, plus æquo tribuisse, atque eo nomine scripta Mysticorum majoris, quam par erat, æstimasse. Notum est quales, quantæve lites in Gallia ortæ fuerint, postquam *Fenelonius* causam Nob. fæminæ *Guioniæ* egisset, insurgente nimirum contra ipsum *Bossueto*, Episcopo Cadomensi, *Fenelonii* æmulo, homine in politicis non minus quam polemicis artibus exercitato, & in Aula Regis Galliæ tum temporis plurimum valente. Lites & contentiones auxerat ipse liber *Fenelonii de placitis Sanctorum*, quem *Clemens XI.* Pontifex damnavit. Nescio autem annon, prudentiorum judicio, *fanaticismi* suspectum sese reddiderit Archiepiscopus, quando sententias suas in hoc libro contentas, veras, certas & Deo dignas esse pronuntiavit, in biograph. pag. 73. simul tamen primum ac audivisset, XXIII. propositiones ex libro suo elicitas, a Pontifice esse damnatas, mentem sine ullo novo instituto examine mutavit, Pontificis decretis non solum abjectissime sese submisit, sed & mandato per universam suam Diœcesin misso jussit, ut omnes Præsu-

les & Sacrorum Ministri, Papæ decreto subscriberent: Mirà hæc est & plane insolita mentis mutatio: Credere propositiones aliquas a Deo esse: eas certas esse & veras; & tamen simul fide divina credere, eas a Pontifice jure falsi convinci posse; adeoque concedere, Deum nonsolum posse contraria præcipere, sed & ea, quæ Pontifex infallibilis scilicet injunxerit, majoris esse æstimanda, quam rectæ rationis decreta & ipsam Revelationem. Hæccine admittere poterit homo, quem nullæ præjudicatæ opiniones in transversum agunt? an non potius talem, qualem sese hoc in negotio demonstravit Archiepiscopus Cameracensis, paratum esse diceremus, singulas in horas sanctissima Religionis decreta rejiciendi, si quidem id Papæ placiturum esset? Magis adhuc mirum, quod pag. 47. hujus biographiæ fatetur, Auctores, qui a Pontificibus in Sanctorum numerum fuerint relati, non solum easdem propositiones & phrases, quibus ipsemet usus sit, usurpasse, sed & duriores longe magis suis in medium protulisse. (*) Credidit itaque illustris Vir, Pontifices esse infallibiles; credidit eos in Sanctorum numerum posse referre tales, qui falsas & Religioni inimicas defendant opiniones; credidit Pontificem perpetua inspiratione, si e cathedra loquarur, gaudentem, easdem propositiones, quas in Sanctis probaverat, pro falsis & erroneis, ubi eædem ab aliis defenduntur, posse declarare. Quæ omnia nemo concedit, nisi qui *fanaticis* est imbutus *opinionibus.* Certe ita Deus contradictoria velle & probare dicendus esset; ita facultate instruxisset Pontificem, triangulum in circulum i. e. verum in falsum mutandi. Hinc recte ait Cl. *Weismannus*, cæcæ illius obedientiæ *Fenelonii* mentionem faciens: *Devoti & contemplativi ordinarie submisissimi sunt sanctæ sedi. Nihil certe humilius, mitius, atque modestius est, rationibus agendi Archiepiscopi Cameracensis. Verum dubito, utrum ejusmodi modestia & subjectio deceat Præsidem, qui credit, se defendere doctrinam tam sæpe ab Ecclesia canonizatam. S. Cyprianus virtutes episcopales ac disciplinam Ecclesiæ æque perfectam habebat ac quisquam alius sui seculi. Ille vero an unquam eo fuit animo, ut ipse Carthagine publicaret constitutionem Stephani Papæ de validita-*

(*) En ipsissima verba illustris Viri: J'ai accepté ma condamnation dans toute son étenduë. Il est vrai, que les propositions & les expressions, dont je m'étois servi, & d'autres bien plus fortes, avec bien moins de correctifs, se trouvent dans des Autheurs canonisés.

liditate baptismi Hæreticorum ? Nimirum (addit Rev. Theologus, adductis hactenus *Vassorii* verbis.) *Venerationem sedis Romæ, atque magnam dosin præjudiciorum, in hoc Archiepiscopi Cameracensis sacrificio intervenisse, nullum plane dubium est.* Et tamen hanc ipsam cæcam & libero atque ingenuo homine indignam submissionem pag. 74. vocat *un acte interieur d'obéissance à Dieu.* Et pag, 78. simul asserit. *Il est vrai, que je ne puis avoüer contre conscience, que j'aye jamais crû aucune des erreurs, qu'on m'a imputées.* Quæ pag. 93. de *Fenelonii* publicis sermonibus ad populum habitis narrantur, tanto Præsule indigna sunt, atque satis ostendunt, eum contemplationibus mysticis plus æquo tribuisse. (*) Refert nempe Biographus, ill. Præsulem, ubi habendus esset sermo sacer, missa textus S. lectione & scriptione sermonis, totum se contemplationi & orationi dedisse, atque ita, nullis aliis præsidiis munitum, verba fecisse: at quemadmodum facile concesserim, V. D. Ministrum, animum ad scribendum sermonem sacrum adjuncturum, convenienter officio suo & conscientiæ agere, si animum pietate munit, precibusque vacat; ita nemo ab altera parte facile Viro cordato persuaserit, sine meditatione, lectione, & textus ipsius accurata introspectione, sermones haberi posse attentione dignos. Non hîc exspectandæ insolitæ inspirationes, sed pectore opus est amore Dei verique incenso; opus est lectione, meditatione & perspicua rerum proponendarum expositione; inprimis opus est argumentis ad probandum aptis, perspicuis, omniumque ingeniis attemperatis, quæ omnia sine studio & exercitatione comparari non possunt. Hoc dum facere neglexit ill. Vir, mirum non est, si orationes ipsius nimium inflatæ, & phrasibus, quæ fanaticismum sapiunt, repletæ fuerunt. Confer tu Archiepiscopi Reformatæ Religioni addicti, nimirum illustris *Tillotsonii* sermones sacros, cum declamationibus *Fenelonii*, & si sapis mox senties, quantum discrimen sit, inter meditatam & rite elaboratam orationem, & inter sermonem impetu quodam effusum. Vel sola meditatio *Fenelonii*, Festo Nati-

(*) Rem ita narrat Biographus Ill. Præsulis: Tous ses sermons étoient faits de l'abondance de son cœur. Il ne les écrivoit point. Il ne les préméditoit presque pas. Il se contentoit de se renfermer dans son Cabinet, pour puiser dans l'oraison toutes ses lumieres. Comme Moïse, l'ami de Dieu, il alloit sur la montagne sainte, & revenoit ensuite vers le peuple lui communiquer ce qu'il avoit appris, dans cet entretien ineffable.

vitatis Christi habita, quæ pag. 98. hujus biographiæ extat, indicio esse potest, quam confusa & plebis ingenio parum attemperata sit oratio, nescio quibus mysticis vocibus & phrasibus instructa. Ex iis, quæ hactenus de *Fenelonii* ingenio & res ad Religionem spectantes tractandi methodo diximus, judicari potest, quid de novo illo Proselyto, qui biographiam *Fenelonii* conscripsit, sit sentiendum. Bonus nimirum homo, illustr. *Fenelonii* exemplum secutus, cæcam obedientiam optimum putavit esse medium perveniendi ad certam de Religione persuasionem: auditis enim duntaxat *Fenelonii* præceptiunculis de imbecillitate mentis nostræ in dijudicandis rebus ad Religionem spectantibus, & infallibilis judicis necessitate, ex locis quibusdam Scripturæ, nulla veri specie ad infallibilitatem Pontificis probandam trahendis, petita, victus statim noster, i. e. conversus est; rationi mittit nuntium; infallibilitatem Papæ sine argumentis admittit; dispalescunt tenebræ omnes oculis oculatissimi scilicet Deistæ offusæ, idque sine examine, rectæque Rationis & Revelationis consultatione. Hoc principio admisso, paratus est subtilis ingenii homo fide divina omnibus Pontificis decretis, minutisque opinionibus, subscribendi, omnesque aniles fabulas, ritus, ficta miracula, & quicquid placuerit Pontifici, sacro cum silentio venerandi & credendi. Mirum sane Deistam! miram & omnibus Ovidianis metamorphosibus magis incredibilem mutationem! Hunc ducem sequatur in posterum, quisquis Deistas ad meliorem revocare vult mentem; brevis & expedita est via: Crede omnia quæ Pontifex injungit vera esse, & Deum ama, i. e. cole Eum juxta beneplacitum Papæ & insigne eris Ecclesiæ Christi membrum. Quæ hactenus allata sunt, mea opinione satis superque probant, non sine causa Ecclesiam Romanam multis modis *Fanaticissimi* suspectam esse. In sequentibus videbimus, quo jure Proselytus noster probet, Protestantium cœtus eadem labe infectos esse.

DISSER-

DISSERTATIONUM
DE
RECENTIORUM QUORUNDAM
ERUDITORUM PRÆPOSTERIS
ADVERSUS
INCREDULOS
DISPUTANDI METHODIS,
PARS QUINTA.

Thes. I.

Argumentum hujus Dissertationis proponitur.

In quarta Dissertatione argumenti, quod nobis excutiendum sumsimus, ab una parte ostendimus, methodum, qua usus est illustr. *Fenelonius*, ad revocandos Incredulos plane esse ineptam; ab altera vero pluribus contra Anonymum, Proselytum Ecclesiæ Romanæ probavimus, tantum abesse, ut *Fanaticorum* principiis superstructa sint fundamenta, quibus innituntur principalia capita doctrinæ Protestantium, ut potius in Ecclesiam Romanam jure meritoque hæc objectio possit retorqueri. Pergendum igitur hac vice nobis esset cum ad examinandas reliquas rationes, quæ effecisse dicuntur, ut Anonymus nomen daret Deismo; tum ad argumenta *Fenelonii*, quibus Deistam istum expugnavit & in gremium Ecclesiæ Romanæ reduxit, excutienda; quoniam autem rationes, quas Anonymus affert, ab omnibus illis, & quidem majori cum eruditionis apparatu adducuntur, qui Deismo favent, easque in nostris de *Causis Incredulitatis Dissertationibus* bono cum Deo examinaturi sumus, sicco pede eas heic loci transibimus, atque ad argumenta reliqua, quibus se de veritate Religionis Romanæ convictum fuisse novus Proselytus narrat, pedem promovemus. Antequam tamen id præstamus, promissi memores

mores oſtendemus, principia, quibus ſuperſtructa eſt Proteſtantium doctrina, non ſolum ab omni ſpecie Fanaticiſmi eſſe aliena; ſed & viam auctoritatis longe pluribus eſſe incommodis obnoxiam, quam viam examinis, imo eam reddere hominum animos a Religionis amore & cultu prorſus alienos. Poſteriorem propoſitionem variis argumentis in hac, priorem in ſequentibus, ſi Deus vitam dederit, adſtruemus. Erunt fortaſſe qui putent, non neceſſe eſſe, ut hæc materia tanta diligentia expendatur: at qui cogitaverit, doctiſſimos Eccleſiæ Romanæ Doctores *hodienum* id unum agere ut probent, conceſſum a Proteſtantibus quibusvis Religionis examen homines neceſſario in *Fanaticiſmum* & *Indifferentiſmum* conjicere, ſola vero auctoritatis via eosdem adduci, ut ſine hæſitatione veram i. e. Romanam Religionem amplectantur, fatebitur, Eccleſiæ noſtræ Doctoribus ante omnia eſſe elaborandum, ut de confidentia ſua dejiciantur Eccleſiæ Romanæ Doctores. Notum eſt non ſolum doctiſſimum & eloquentiſſimum Virum P. *Nicolium* in libris de *præjudiciis legitimis adverſus Calviniſtas*, & de iisdem *ſchismatis convictis*; *Boſſuetum in Hiſtoria Variationum Proteſtantium* & libris P. *Jurio* oppoſitis; Anonymum in vita *Fenelonii*; *Dupinium* in vita *Boſſueti*, *Bibliothecæ Eccleſiaſticæ* inſerta; ſed & inter recentiores *Scheffenmacherum*, Jeſuitam Argentoratenſem, in epiſtolis contra Proteſtantes editis, & noviſſime *Eminentiſſimum Cardinalem Tencinum in Inſtructione ſua paſtorali*, doctiſſimi *Courayerii animadverſionibus in Hiſtoriam Concilii Trident.* P. *Sarpii* oppoſita, omnibus viribus id agere, ut oſtendant, per principia Proteſtantium, non ſolum neminem ad certam Religionis cognitionem pervenire poſſe, ſed neceſſe inſuper eſſe, ut qui ea ſequuntur in *Fanaticiſmum* & *Indifferentiſmum* neceſſario incidant. Noſtrum igitur erit, hoc opprobrium pro viribus a cœtibus Proteſtantium depellere. Novimus quidem excellentiſſimos Viros, *Chillingvvorthum*, *Claudium*, *Cl. Pajonum*, *Pfaffium*, *Werenfelſium*, *Turrettinum*, *Saurinum*, *Scherlockium*, *de la Chapelle*, aliosque hoc argumentum docte excuſſiſſe, ſtrenneque cauſam Proteſtantium egiſſe; ſed quoniam hæc opera non in quorumvis verſantur manibus, prolixioraque ſunt, quam ut ab omnibus evolvi poſſint, neque inutile, aut ab officio meo alienum erit, ſi & ego, pro viribus conceſſis, in compendio controverſiam hanc oppido momentoſam examini ſubjecturus fuero.

II. Ut

II. Ut mentem Doctorum Ecclesiæ Romanæ rite percipiamus, explicandum ante omnia est, qua ratione, quibusve argumentis probare velint, viam examinis, quam in cognoscenda Religione ineundam esse docent Protestantes, homines, simplices inprimis, in *Fanaticismum* & *Indifferentismum* conjicere. Possunt autem omnia commode ad tria revocari capita. Primum argumentum petunt ex ipsa obligatione examinandi Religionem, quibuslibet injuncta. Omnes, dicunt hi Doctores, simplices, idiotæ, artifices, rustici, mares & fœminæ, secundum Protestantium decreta, tenentur in Sacris Literis certa & vera Religionis principia quærere, & hoc facto iis subscribere, quæ voluntati Numinis consentanea esse existumant: Atqui simplices, cum ob ingenii imbecillitatem, tum ob rerum cognoscendarum difficultatem, & diversitatem opinionum atque interpretationum, articulos religionis ad salutem necessarios certo & infallibiliter cognoscere non possunt; Et tamen his non obstantibus tenentur tandem omnes vi hujus examinis adquiescere in iis, quæ vera esse putant; *fanaticum* autem esse, incertam opinionem pro veritate cœlitus patefacta habere. *Secundum argumentum* petunt ex *modo persuasionis* de veritatibus scitu necessariis, vi cujus, secundum Protestantium sententiam, plebs certo scire possit, utrum hi vel illi articuli firmiter credendi sint, nec ne. Si Doctores Ecclesiæ Romanæ audias, impossibile est, ut plebs de veritate Religionis christianæ in genere, & de articulis creditu necessariis in specie, ex diligenti argumentorum collatione & examine possit certo esse persuasa. Jam vero, inquiunt, solere Doctores Ecclesiarum Protestantium, contrarium probaturos, asserere, plebem veritates illas certo cognoscere posse, per testimonium Spiritus S. internum. Non posse autem plebem certo scire, utrum Spiritus S. auctor sit hujus persuasionis, & quoslibet, erroneas opiniones foventes, ad ejusmodi testimonium posse provocare; *fanaticum* autem esse, loco argumentorum, quæ ad hos vel illos articulos Religionis probandos afferri deberent, ad nescio quod internum Spiritus S. lumen provocare. His *tertium*, tanquam consectarium adjicere solent Doctores pontificii. Cum nimirum secundum Pontificiorum opinionem impossibile sit, ut plebs veros & creditu necessarios Religionis articulos, ex Sacris Literis eruere, verum a falso distinguere, diffidentium objectiones perpendere & refellere possit, fieri aliter non posse, quam ut in *Indifferentismum* incidat,

Objectiones Pontificiorum summatim repræsentantur.

cidat, & quaslibet opiniones, ad quas admittendas quasi tempestate & cœco impetu delata sit, arripiat, singulosque in dies ex ingenii imbecillitate, & opinionum diversitate, sententias de Religione mutet. Ex his principiis Protestantium insuper necessario sequi, omnes errantes esse tolerandos, hoc autem concesso, fieri aliter non posse, quam ut innumeræ turbæ & dissensiones in imperiis & Ecclesiis oriantur. Hæc summa est argumentorum, quibus potissimum hodierni Doctores pontificii utuntur, ad probandum, quam sit via examinis periculosa, & quam facile homines eam sequentes in *Fanaticismum* abducat. Non necesse esse puto, ut singillatim loca Doctorum pontificiorum, quibus disertis verbis hæc argumenta proferunt, adducam. Nemo enim, qui controversiarum, quæ nobis cum Pontificiis intercedunt, gnarus est, de iis, quæ dixi, dubitaverit. Evolvat, cui placet, *Nicolium* libro de *Reformatis schismatis convictis cap. XI. XII.* & passim in hoc libro. *Bossueti Histoire des Variations Tom. II. Lib. XV. pag. m. Edit Paris.* 1743. *edita.* 447. Idem hoc argumentum plenius tractat tomo secundo libri adversus P. *Jurieu* editi, cujus titulus: *Avertissimens aux Protestans sur les Lettres du Ministre Jurieu, contre l'Histoire des Variations. Celeb. Dupinius*, dum mentionem injicit libri *Bossueti* des Variations des Protestans, ita pronuntiat *Biblioth. Ecclesiast. Tom XVIII. pag.* 168. *Rien n'est plus dangereux, que d'embrasser un sentiment par je ne scai quel goût interieur, & par un certain sentiment de la verité, qui se fait, dit-on, appercevoir comme la lumière qui frappe les yeux par son éclat naturel. Cet instinct secret est un NB. Esprit de Fanatisme, qui peut autoriser toutes les erreurs, qu'il plaira aux particuliers de soûtenir. Les Variations & les differentes Sectes des Protestans ne viennent que de ce, qu'ils ne reconnoissent point d'autborité, qu'ils soient obligés de respecter.* Eandem cantilenam repetunt *Scheffenmacherus*, epistola secunda libri sub hoc titulo editi: *Lettres d'un Docteur Allemand de l'Université catholique de Strasbourg à un Gentilhomme Protestant sur les six obstacles au salut, qui se rencontrent dans la Religion Lutherienne. Fenelonius*, si fidem habeas Proselyto, qui biographiam hujus Viri edidit. (*) Eminent: Cardi-

(*) Quam parum sibi in hoc argumento constiterit illustris Vir, patet ex iis, quæ Nobili alicui Germaniæ Principi respondit, cum ab ipso petivisset, ut suam de Tolerantia sententiam exponeret: Ita enim inter alia disserit: „ Nulle „ puissance peut forcer le rétranchement impénétrable de la liberté des

Cardinalis *Tencinus* in nupera *Instructione pastorali* adversus *Courayerium* edita, pag. 100. & passim, ut plures alios taceam.

Antequam directe argumenta, quibus utuntur Pontificii ad sententiam suam comprobandam, expendamus, ante omnia variis rationibus ostendemus, quantis sit sententia Pontificiorum de via auctoritatis obnoxia difficultatibus. Et *primo* quidem ostenderunt dudum Viri Ecclesiarum Protestantium doctissimi, inter quos eminent *Placette* & *Saurinus*, *viam auctoritatis* a Doctoribus Ecclesiæ Romanæ tantopere commendatam, longe majoribus obseptam esse difficultatibus, quam vero *viam*, uti vocatur, *examinis*. Age ostendamus idem in compendio. Ut Laicus sciat, dari infallibilem ejusmodi judicem in terris, duo illi cognoscenda sunt. *Prius* est, penes quem, & ubi privilegium illud infallibilitatis reperiatur: *posterius*, qua ratione & via ipsi perspectæ esse possint decisiones infallibilis illius judicis. Quod ad *priorem* quæstionem attinet, difficile erit Laico cognoscere, quis singulari hoc privilegio sit instructus, quandoquidem ipsi Doctores pontificii de hoc argumento inter se dissentiunt. Quidam enim Pontifici soli, alii Conciliis, illud tribuunt. Quidam Concilia, præsidente Pontifice, pro regula infallibilitatis habent; rursus denique alii ad universalem & constantem Ecclesiæ doctrinam recurrunt. Cum autem hæc quæstio versetur circa *regulam principalem fidei*, in qua explicanda dissentiunt ipsi Doctores, quomodo tandem Laicus discernere poterit, cui tandem subscribendum sit sententiæ? Si ad notas Ecclesiæ externas recurrere vult Laicus, rursus ubi pedem figat, nescit; In numero enim non conveniunt. *Greg.* de *Valentia* & alii quatuor, *Tannerus* cum multis aliis sex, *Sanderus* duodecim, *Bellarminus* quindecim, *Bosius* vero centum ejusmodi notas in medium proferunt. Laicus ergo certo scire debet, non solum quot numero sint notæ, sed & singulas nonnisi Ecclesiæ Romanæ competere. Hoccine autem

Ostenditur, viam auctoritatis, quam solam, tanquam certum & infallibile medium perveniendi ad salutarem cognitionem veritatis commendant D. Pontificii, majoribus longe difficultatibus esse obnoxiam, quam vero viam examinis.

 sine

„ cœur. La force ne sauroit persuader les hommes; elle ne fait que des „ hypocrites. Quand les Rois se melent de Religion au lieu de la proteger, ils la mettent en servitude. Accordés donc à tous la Tolerance civile, non en approuvant tout comme indifferent, mais souffrant avec „ patience tout ce que Dieu souffre & en tachant de ramener les Hommes par une douce persuasion. „ Ita loquuntur Viri Docti in Ecclesia Romana, ubi secundum dictamen conscientiæ non vero decreta Pontificum pronuntiant. Quando vero de oppugnandis Protestantibus per viam auctoritatis agitur, ibi omnia resorbent.

ſine examine præſtari poteſt? Hoccine præſtitu adeo facile eſt? Sume vel unum characterem v. gr. de *Sanctitate doctrinæ;* fierine poteſt, ut Laicus cognoſcere certo poſſit, Eccleſiam nunquam in fide erraſſe, ſine examine doctrinæ Patrum & cognitione articulorum, quos ex Sacris Literis petitos eſſe affirmant Doctores Eccleſiæ Romanæ? Quod ſi Doctores pontificii contendant, Pontifices duntaxat privilegio infallibilitatis eſſe inſtructos, tum ante omnia perſpectum eſſe debet Laico, Pontifices a veræ fidei profeſſione diſcedere non poſſe, neque unquam erraſſe. At quis non videt disquiſitionem illam plebis capacitatem ſuperare, partim ob eruditionis, qua laborat, inopiam: partim quod non ſolum quidam Pontifices aſſeruerint ſe errare poſſe, & quod multi adverſa ſecum fronte pugnantes ſententias defenderint; ſed & quod Proteſtantes inductione exemplorum clariſſimorum oſtenderint, plures Pontificum a recta fidei regula deceſſiſſe? Certe hæc una quæſtio de infallibilitate Pontificum, nonniſi pertinaci ſtudio & lectione multorum voluminum, per longam annorum ſeriem continuata, elucidari poteſt, ut de imperitia plebis, quam tantopere extollunt Doctores pontificii, nil dicam. Pontifices quosdam confeſſos eſſe ſe errare potuiſſe, multis exemplis, quæ in *Launoji epiſtolis,* alibique reperiuntur, probari poſſet, ſi id data opera demonſtrare animus eſſet; ſed unum attuliſſe exemplum ſuffecerit. *Gregorius XI.* Pontifex Romanus, teſtamento ſuo hæc verba inſeruit: *Item volumus, dicimus, & proteſtamur ex noſtra certa ſcientia, quod ſi in conſiſtorio, aut in concilio, vel in collationibus publicis & privatis ex lapſu linguæ, aut aliàs ex aliqua perturbatione, vel etiam lætitia inordinata, aut præſentia Magnatum, ad eorum forſitan complacentiam, ſeu ex aliqua diſtemperantia, vel inadvertentia, aut ſuperfluiditate aliqua, dixerimus* erronea contra Catholicam fidem, *quam coram Deo & hominibus, ut tenemur, præ cæteris profitemur, colimus, & colere cupimus, ſeu forſitan* adhærendo opinionibus contrariis fidei catholicæ ſcienter, *quod non credimus, vel etiam ignoranter, aut dando favorem aliquibus* contra *catholicam Religionem obloquentibus, illa expreſſe & ſpecialiter revocamus, deteſtamur, & habere volumus pro non dictis.* Hactenus *Gregorius.* Itane loquuntur homines, qui infallibilitatis dono ſeſe ornatos eſſe infallibiliter ſciunt? vide, quæ occaſione confeſſionis *Clementis VI.* & *Urbani V.* ſcripſerit homo pontificiæ Religioni *addictus* Cl. *Fleuri, Hiſt. Eccleſ. Lib. XCVII.* Pontifi-

ees insuper quosdam propositiones adversa secum fronte pugnantes aliquando defendisse, probari clarissimis exemplis potest. Ita notum, *Sixtum V.* Editionem Vulgatam solemni constitutione pro versione mendis carente, adeoque authentica haberi voluisse: *Clementem vero VIII.* eandem pluribus mendis sublatis emendari, & solam, rejecta editione priore, legitimam esse jussisse. Pariter ex *Augustini lib. I.* contra *Julianum* & *ejusd. Epist. XLIII.* constat, *Innocentium I.* asseruisse, parvulos, nisi manducaverint carnem filii hominis, vitam prorsus habere non posse: Patres contra concilii Tridentini Sess. III. Can. IV. itap ronuntiant: *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.* Quid ad hæc Laicus noster? certo aut statuere debet, vel propositiones contradictorias simul veras esse posse, vel alterutrum Pontificum errasse: crescunt difficultates, ubi ad multorum Pontificum vitas, mores, & opiniones deventum. Quale judicium tulerit de quibusdam Pontificibus *Baronius*, notum est. Accedunt testium fide dignissimorum de erroribus & lapsibus *Zephirini*, *Marcellini*, *Felicis*, *Liberii*, *Sylvestri II.* *Celestini*, *Johann. XXII.* & aliorum testimonia. Hæc omnia a Laico solerter sunt examinanda & discutienda: concilianda insuper judicia Ultramontanorum & Gallorum, circa terminos infallibilitatis vehementer diffidentium. Pone vero hæc omnia ad liquidum esse perducta, & manifestum esse, subscribendum decretis Pontificum, si iidem ex *cathedra*, uti loquuntur Doctores pontificii, pronuntient, novum, idque difficillimum est instituendum examen. Quæritur enim, quid ad hoc requiratur, ut jure possit Pontifex dici *ex cathedra* locutus. Hic vero Doctores pontificii eum ex cathedra loqui dicunt, si (1.) agatur de re ad universam Ecclesiam spectante; (2.) quando de controversiis ad Religionem spectantibus, iisque diligenter expensis, alterutram in partem pronuntiat, (3.) quando quæstionem decisam proponat tanquam articulum fidei, (4.) quando dissentientes pro hæreticis habeat, eosque anathemate percutiat. Ad explanandum vero vel solum primum requisitum, necesse est ut sciant Laici, Pontificem esse legitimum, id est juxta Canones electum. Quot autem ad hoc probandum denuo quæstiones sunt enodandæ? Sunt enim quædam requisita in eligentibus, quædam in eligendo. Ab *eligentibus* juxta sententiam Ecclesiæ R. Doctorum requiritur: (1.) ut electio facta sit a Cardinalibus. (2.) ut ea facta sit ab

omnibus, vel ſaltem majore parte. (3) electio debet eſſe libera. (4.) eligentes nullis pravis affectibus ad eligendum debent eſſe commoti. (5.) debent iidem eſſe homines ſanæ mentis. Ab *eligendo* vero poſtulatur: (1.) ut ſit baptizatus. (2.) matura ætate. (3.) ut ſit mas non fœmina. (4.) ut ſit mas non Hermaphroditus. (5.) ut non ſit vel Simoniacus, vel heterodoxus. Quis vero, non dicam Laicus ſed eruditus etiam, ſine formidine erroris oſtendere poſſit, inde a Petro, primo, ſi Diis placet, Pontifice, hæc omnia fuiſſe præſtita? Quam difficulter inſuper conciliabit Laicus hiſtoriam Antipaparum? qua fiducia litem de Johanna Papiſſa, de qua viri doctiſſimi *Blondellus* & *Spanhemius* omnibus adhibitis doctrinæ & ingenii copiis certarunt, dirimet? quibus difficultatibus obruetur idem, ſi quæ occaſione *Bullæ Unigeniti* in Eccleſia Romana acta ſunt ſedulo expendere voluerit? Quod ſi vero Laicus noſter ad *Conliorum* decreta examinanda pedem promoveat, ſentiet rurſus, quam innumeræ hic quæſtiones occurrant nulla arte ſolvendæ; Primo Doctores ipſi pontificii de auctoritate eorum inter ſe diſſentiunt; quod ſatis, ut alia teſtimonia mittam, docet Liber *de Concordia Sacerdotii & Imperii ſcriptus* ab illuſt. Archi-Epiſcopo Pariſienſi *de Marca*. Ita de decreto quartæ & quintæ ſeſſionis Concilii Conſtantienſis aliter ſentiunt Emanuel *Schelſtraten*, & aliter doctiſſimi Viri *Richerius*, *Maimburgius*, *Dupinius*, *Arnaldus* aliique. Quæritur hic quis jus habeat Concilia convocandi; quis Præſidis officio defungi teneatur; quis decreta eorum confirmare; quis illis privilegium infallibilitatis conciliare poſſit. Quæritur quis jus habeat Concilia diſſolvendi; cui tribuenda ſit facultas Conciliorum canones interpretandi; quæritur quænam concilia dicenda ſint œcumenica; quæritur utrum vota pronuntiantium fuerint libera; utrum argumenta quæſtionum ſerio ſint excuſſa; quæritur quænam regula ſit, juxta quam de duorum Conciliorum inter ſe diſſidentium valore ſit judicandum. Vel ſola hiſtoria eorum, quæ in *Concilio Tridentino* acta ſunt, docebit ſatis ſuperque Laicum, quam difficile ſit ſine erroris formidine quicquam pronunciare. Et quid dicet noſter Laicus, ſi audiat, in Concilio, quo damnata eſt doctrina *Abælardi*. Patres quoſdam, vino ſomnoque ſepultos quaſi fuiſſe, excitatos poſtea & de ſua ſententia interrogatos, loco uſitati *damnamus*, ſemiſomnes nimirum, *namus*, *namus*, pronuntiaſſe? vide acta apud

P. *Bay-*

P. *Baylium* voce *Berengarius.* (*) Hæccine omnia, quæ de Conciliis eorumque canonibus &c. dicuntur, discutere poterit Laicus? Lynceum certe oportet esse talem, aliisque plane ingenii dotibus ornatum, quam quibus tales instructos esse clamant Ecclesiæ Ro-

(*) Verba ipsa Berengarii in Apologia Abælardi adducam. Ea speciminis loco ostendere possunt, quanta cum veneratione, dicam an levitate, controversiæ theologicæ in Synodis & Conciliis sæpe sint tractatæ: Berengarius de Patribus in unum vocatis agens, ita inter alia loquitur: *Post aliqua Pontifices insultare, pedem pedi applodere, ridere, nugari conspiceres, ut facile quisque judicaret, illos non Christo vota persolvere, sed* Baccho. *Inter hæc salutantur scyphi, pocula celebrantur, laudantur vina, Pontificum guttura irrigantur; lethæi potio succi Pontificum corda jam sepelierat. Ecce, inquit Satyricus:*

- - - inter pocula quærunt
Pontifices saturi quid dia poëmata narrent.

Denique cum aliquid subtile divinumque sonabat, quod auribus pontificalibus erat insolitum, audientes omnes dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in Petrum, & oculos talpæ habentes in Philosophum. Hoc,inquiunt, sineremus vivere monstrum - - - ? *Cujus vini calor ita incesserat cerebris, ut in somni lethargiam oculi omnium solverentur. Inter hæc sonat Lector, stertit auditor, alius cubito innititur, ut det oculis suis somnum; alius super molle cervical dormitionem oculis suis molitur: alius super genua caput reclinans dormitat. Cum itaque lector in Petri satis aliquod reperiret spinetum, surdis exclamabat auribus Pontificum;* Damnatis? *Tunc quidam vix ad extremam syllabam expergefacti, somnolenta voce, capite pendulo,*Damnamus, *ajebant: Alii vero damnantium tumultu excitati decapitata prima syllaba*, Namus, *inquiunt.* Certe non magis pie & prudenter boni illi Viri examinarunt sententiam *Abælardi*, quam Consiliarius ille regius, cujus mentionem facit *Hottomanus*, negotium civile tractavit: *interrogatus enim semisomnis dixit*, suspendatur, credens criminalem processum esse: cui Præses, *quin imo, inquit, agitur de prato*: ergo defalcetur, *respondit ebrius.* Conferatur celeb. *Infantii Préservatiu contre la Réunion avec le Siége de Rome, Tom. III. epist. XIV.* in qua inter alia probat, in ipso Alcorano non tot ineptias, Deoque indignas reperiri opiniones, quam vero in Actis Concilii Nicæni secundi.

manæ Doctores, si talia præstare possit. Quod si tandem Laicus noster in eorum concedat sententias, qui asserunt, infallibilitatem Ecclesiæ quærendam in doctrina universaliter a Patribus tradita, & a membris illius recepta, sentiet, quam difficiles hic solutu occurrant quæstiones, quas solvere in sua potestate situm non esse, vel ante institutum examen animadvertet. Ad id enim rite instituendum vastissima Patrum volumina ipsi sunt evolvenda; Scripta dubia a certis distinguenda; peritus insuper esse debet linguarum & artis criticæ, loca truncata tenetur e scriptis eliminare, & meliora restituere; variantes lectiones, quæ ex dissensu Manuscriptorum oriri solent, expendere; dissidentes opiniones Patrum conciliare, & denique hæc omnia demum ad regulam S. Literarum, sine qua Laicus nosse non potest, utrum doctrina illa Patrum vera sit nec ne, sunt examinanda. Necesse autem esse ut hoc examen instituatur, vel ipsi illi Patres, quibus fidem habendam esse clamant Doctores pontificii, confitentur. Unum adduxisse testimonium in tanta copia juvat, nempe *Hippolyti*, qui contra *Noetum cap. 9. op. Tom. I. p. 139. Edit. Hamburg.* ita pronuntiat: *Unus Deus est, quem non aliunde, Fratres, cognoscimus, quam ex sanctis Scripturis. Quemadmodum enim quis, si vellet sapientiam hujus seculi exercere, non aliter hoc consequi poterit, nisi dogmata Philosophorum legat; sic quicunque volumus pietatem in Deum exercere, non aliunde discemus quam ex Scripturis divinis. Quæcunque ergo S. Scripturæ prædicant, sciamus: & quæcunque docent, cognoscamus: & sicut vult Pater credi, credamus: & sicut vult Filium glorificari, sic glorificemus: & sicut vult donari Spiritum sanctum, sic accipiamus: non secundum propriam voluntatem, neque secundum proprium sensum, neque vim inferentes in ea, quæ ab eo data sunt, sed quomodo ipse per S. Scripturas docere voluit, sic intelligamus*: hactenus Hippolytus. Ex paucis hisce a nobis adductis manifestissimum est, *viam auctoritatis*, quam illi Doctores, & quidem solam commendare solent, longe majoribus difficultatibus esse obnoxiam, quam vero viam examinis, cui insistendum esse Protestantes contendunt. Certe omnibus suis rethoricationibus nil aliud obtinent Doctores pontificii, quam ut difficultates difficultatibus augeant, hominesque ab omni prorsus examine & amore Religionis reddant alienos. Sane similes hi Doctores mihi esse videntur homini artem medicam professo, qui interrogatus ab homine ægrotante, ut medicamenta sibi exhiberet tollendo malo apta, prolixissime dissereret & probare contenderet, quam sint omnia aliorum Medicinæ Docto-

rum

rum medicamina ad morbum hunc tollendum plane inepta, præter unum aliquod arcanum ſibi cognitum; poſtea tamen precibus ægri commotus, medicamentorum loco collo hominis ſalutem anhelantis lagunculam vacuam appenderet,cui in ſchedula vaſculo adjecta majoribus literis illud, *Probatum eſt*, inſcriptum eſſet, poſteaque diſcederet & miſerum deſtitueret. Et profecto, ſi ab una parte tam difficile eſt Religionis, uti aſſerunt Pontificii, examen; & ab altera parte ad reperiundam infallibilem illam Eccleſiam tantis ambagibus opus eſt, tamque innumeræ quæſtiones, quæ captum Laicorum ſuperant, excutiendæ, quid aliud colligent homines, quam hoc nimirum, omnes quæſtiones de Religione indignas eſſe examine, & perinde plane eſſe quid de ea ſtatuamus? Annon ita viam hi Doctores ſternunt vel ad extremam impietatem, vel ad ſtultiſſimam credulitatem & ignorantiam turpiſſimam rerum præſtantiſſimarum?

IV. Quicunque modernorum Pontificiorum ſcripta evolvit,deprehendet, eos potiſſimum id agere, ut oſtendant examen Religionis cuivis conceſſum innumeris difficultatibus obnoxium eſſe, malaque poſt ſe trahere nulla ratione corrigenda, exiſtimantes homines hac ratione miſſo examine rerum credendarum, ad infallibilitatis tribunal, tanquam ad ſacram quandam anchoram, ſeſe recepturos; interim vero dum hoc faciunt, virtutes ipſas Dei, ſapientiam nimirum ejus, æquitatem, & bonitatem manifeſto impugnant. In ſumma brevi, quid de hoc argumento ſentiant pontificii Doctores expoſuit doctiſſimus *Nicolius* in præfatione libro, *les préjugés légitimes contre les Calviniſtes*, præmiſſa. Redeunt omnia, quæ ibidem diſſerit, ad ſequentes propoſitiones. I. Omnes homines, qui ratione utuntur, debent eſſe perſuaſi, Deum ſimpliciſſimos etiam homines & ingenio debili inſtructos, ſalutis tamen compotes reddere velle.

Pontificii Doctores, dum examen Religionis tot difficultatibus obſeptum eſſe aſſerunt, ſapientiæ & æquitati Dei detrahunt.

II. Ad hanc ſalutem obtinendam nullum aliud illis concedit Deus medium, præter cognitionem veræ Religionis.

III. Non ſolum igitur poſſibile, ſed & facile, Religionem veram cognoſcere.

IV. Hoc tamen non obſtante clarum eſt, quod nulla via ad examen ejusmodi inſtituendum ſit difficilior, periculoſior, & minus omnium ingeniis attemperata, quam hæc ipſa.

Quis vero eſt adeo obtuſi ingenii homo, ut non cognoſcat, tales propoſitiones cum virtutibus divinis manifeſtiſſime pugnare? Deus,

inquit

inquit Doctor, vult ut homines etiam simplices, & nullis disciplinis instructi, veram Religionem cognoscant, & per hanc cognitionem viam sibi sternant perveniendi ad felicitatis æternæ possessionem; Deus serio vult, ut hujus boni compotes reddantur; hic ipse Deus tamen, si eundem Doctorem audias, ab una parte plerorumque mortalium ingenia ita finxit, ut Religionem cognoscere non possint; ab altera vero Religionem ipsam tantis tenebris involvit, ut ope examinis nunquam ad cognitionem hujus ipsius Religionis pervenire possint. Si hæc ab homine Atheo, vel Sceptico dicerentur, equidem non mirarer; sed cum hæc ab acutissimo Ecclesiæ Romanæ Doctore, addicto olim factioni Jansenistarum, qui lectionem S. Literarum commendare aliàs solent, proferantur, merito horresco, atque assero, ejusmodi propositiones ad omnem Religionis cultum ex animis hominum excutiendum aptas esse. Quid enim magis cum bonitate & æquitate Numinis pugnat, quam dicere, Deum serio velle ut homines omnes Religionem veram cognoscant, neque tamen, ut eam instituto examine cognoscere possint, facultatem dedisse? Quid magis durum dici potest, quam Deum mortalibus Revelationem dare voluisse, ut veram Religionem cognoscerent; Eundem vero tantis eam tenebris involvere voluisse, ut plerique mortales ejus sensum intelligere non possint? Imo, si recte ratiocinentur Ecclesiæ Romanæ Doctores, omnes, exceptis Pontificibus ipsis, in eorum numerum referendi sunt, qui ope examinis Religionem cognoscere non possunt, quia universæ Ecclesiæ fides non nititur argumentis per rectæ ratiocinationis leges e S. Literis erutis, sed mera auctoritate eorum, qui infallibiles scilicet, sunt judices. Quid magis Dei infinitæ sapientiæ repugnat, quam ita statuere, nimirum, Eum homines ad felicitatem veram per cognitionem Religionis perducere velle, simul tamen ad hunc finem obtinendum talia adhibuisse media, per quæ homo nunquam per vitam eo pervenire possit? Quid judicaret sanæ mentis homo de præceptore, qui serio se & omnibus viribus conniti diceret, ut discipulus curæ suæ concreditus vir evadat eruditus, hacque ratione suam felicitatem promoveat, cumque in finem pensa quædam probe ediscenda præscribat, qui tamen certissime esset persuasus, eum non solum ob ingenium hebes quammaxime, pensum addiscere non posse, sed & ea, quæ discenda essent capacitatem ipsius plane superare? Ex quo satis patet, in quas difficultates sese conjiciant Ecclesiæ Romanæ Doctores, examen

men Religionis proſcripturi. Sed, ais, idem tamen *Nicolius* in eadem præfatione cum omnibus Doctoribus Eccleſiæ Romanæ ex propoſitionibus ſupra adductis hoc colligit: nimirum oportere hominem, ſuæ imbecillitatis ſibi conſcium, recurrere ad eum, quem Deus maxima rerum divinarum cognitione inſtruxerit, i. e. ad Pontifices; ita enim deſiderii ſui eum compotem iri redditum, & viam perveniendi ad ſalutarem rerum divinarum cognitionem reperturum: ſed quis non videt difficultates a nobis motas ita non tolli? Quomodo enim homo adeo tenui rerum cognitione inſtructus, adeo ſimplex & rudis judicare poteſt, quis ille ſit, cui Deus majorem, quam cæteris mortalibus, rerum divinarum cognitionem conceſſerit? num poſſunt homines, nullis plane diſciplinis exculti, judicare quinam inter omnes, qui diſciplinarum & artium cognitione ſunt inſtructi, ad ſupremum eruditionis, & quidem theologicæ, gradum pervenerint? An non contra facillime fieri poſſet, ut Laicus noſter hominem loquaciſſimum tandem pro homine rerum divinarum peritiſſimo haberet? an non facile in impoſtorem incidere poſſet, vera falſis miſcentem? num vero tandem in negotio, ubi de æterna ſalute agitur, licet alterius ſententiæ ſubſcribere? Egregie inſaniam horum hominum detexit ὁ Μακαρίτης *celeb. Werenfelſ. Diſſertat Apologet. pro plebe chriſtiana adverſus Doctores, judicium de dogmatibus fidei illi auferentes.* Capite nono inter alia ſic Laicum, vel quisquis ille ſit tandem, qui in Religionis negotio miſſo examine alios ſequitur, alloquitur: *Quisquis es, qui ſapientiæ aliorum tuto te fidere poſſe putas; ſi Dei gloria, ſi ſalus animæ tuæ tibi curæ eſt, ſubſiſte, & vide cui fidas. Forte ii, quibus in re tanti momenti credis, ex hypocritarum genere ſunt, quorum plenus eſt orbis, qui ipſi non credunt, quod aliis credendum obtrudunt: ſimulant ita propter ſpem commodi aut honoris, aut propter metum incommodi, jacturæ, damni, infamiæ, pœnæ aliusve mali. Sunt innumeræ, ſunt valde plauſibiles, talia de pluribus præſumendi rationes. Forte is, cujus auctoritatem ſequeris, ſequitur ipſe auctoritatem alterius, hic alterius & ſic deinceps. Atque ita, tu ſimul & duces tui, itis, qua itur, non qua eundum eſt: forte iſte, qui tibi videtur* dux cæcorum, lumen eorum qui in tenebris ſunt, eruditor inſipientium, magiſter infantium, *ipſe cæcus, ipſe caligo, ipſe inſipiens, ipſe infans eſt. Forte iſte* in Iſraele magiſter ipſe ea neſcit, quæ ſunt ad ingrediendum in regnum Dei neceſſaria. Forte *hi ſpeculatores tui cæci ſunt*, qui ipſi nihil intel-

ligunt. Forte *qui in cathedra Mosis sedent*, *fermento* inquinati sunt, a *quo* tibi est solicite *cavendum*. Forte *prophetæ tui prophetant mendacium; visiones animi sui eloquuntur & non ex ore Jehovæ*. Denique qui in *ovium vestimentis* incedunt, *intus rapaces* forte *lupi* sunt. *Doctis & sapientibus tibi confidere videris; sed num tibi difficilius videtur, judicare de paucis in verbo Dei perspicue traditis dogmatibus, quam judicare quis sit vere doctus & sapiens; quod fortasse ne ii quidem sciunt, quos sequeris. Non omnes, qui docti habentur, multum temporis consumserunt in excolenda bona mente, in expoliendo ingenio & judicio exacuendo. Præclare cum multis agitur, si nativam judicandi facultatem in scholis non perdiderunt. Non omnes, quorum eruditio celebratur, ex penu suo multa depromere possunt, quæ faciant ad recte de rebus utilibus judicandum: rara tantum didicerunt, difficilia, ostentationi non usui inservientia; et, sicubi judicandum est, non id agunt, ut quam rectissime judicent, sed occasiones captant scientiæ monstrandæ. Enim vero si illiteratus sæpe nosset eum, cujus doctrinam miratur, non minus desineret ejus judicio confidere, quam desiit in* comœdia Menedimus *fidere consilio sui* Chremetis, *atque ut ille diceret*:

> Ego me non tam astutum, neque ita perspicacem esse, id scio: sed hic adjutor meus & monitor & præmonstrator Chremes hoc mihi præstat &c.

Videret multos inter eos, quorum eruditio laudatur, epulonibus similes esse, qui ciborum varietate & multitudine gustum depravarunt, & stomachum corruperunt: Multos funambulis, qui maluerunt discere artem spectatoribus admirabilem, quam generi humano utilem; multos denique avaris, qui semper congerunt & corradunt, congestis uti nesciunt. Hactenus eximius ille Theologus, cujus reliqua in dissertatione hac occurrentia sedulo evolvenda sunt omnibus, qui de hoc argumento rectum ferre volunt judicium. Si vero Laici nostri accurate scire possunt, quis maxime divinarum rerum cognitione eaque solidissima excellat, non cæci, vel lyncei, sed oculatissimi essent dicendi. Pone vero Laicum sibi persuadere, Pontificem Romanum peritissimum esse rerum divinarum judicem, ne sic quidem tuto, & sine formidine erroris, iis, quæ de Religione tradit, subscribere poterit: ut enim ad infallibilem illum judicem confugiant homines, Religionis veræ sciendi cupidi, necesse est, ut duas illas propositiones fundamentales habeant certissime cognitas: nimirum certum, & extra omnem dubitati-

bitati-

bitationis aleam positum esse, dari in terris infallibilem judicem; & hunc nonnisi esse Pontificem Romanum. Ostendimus autem nos in superiore sectione, *moraliter impossibile* esse, ut propositiones illas duas, non dicam Laicus, sed ne quidem eruditissimus Ecclesiæ Romanæ Doctor sua principia sequens, probare possit. Ex quo iterum evidentissime sequitur, Deum ita homines ad impossibile, si methodus Pontificiorum genuina sit, obligare, quod cum bonitate & sapientia divina manifestissime pugnat. Certe ad probandas illas duas propositiones non solum innumeræ quæstiones sunt solvendæ, uti ex antecedentibus patet, sed & homini illi omnia media sunt e manibus erepta, per quæ ad enodationem illarum propositionum pervenire possit, quod in præcedenti dissertatione pluribus ostendimus. Summatim tamen hic pauca addemus. *Nicolius* in citata præfatione statuit, necesse esse, ut quilibet de propositionibus illis, quas adduxi, sit persuasus. Ut igitur persuasio illa sit certa, primo, ipso judice, consulenda est ratio, & dispiciendum Laico, utrum ex lumine naturali sibi concesso probare possit, dari talem judicem infallibilem. At quocunque se bonus homo vertit, talem tamen reperire non poterit. Reperit quidem doctos Jurisconsultos, Medicos, Grammaticos, Theologos, sed eos *infallibiles esse* omnes, vel unum ex iis, nulla addiscere arte potest. Convertit ergo se ad doctissimos Ecclesiæ Romanæ Viros, auditurus, qua ratione illi probent, dari ejusmodi in terris infallibilem judicem. Hi dicunt inter alia, in Sacris Literis Christum ad Petrum dixisse *pasce oves meas.* &c. at quomodo tandem ex verbis hisce bonus ille homo colligere poterit, dari in terris judicem infallibilem, cum de ipsa Revelationis divina origine persuasus esse non possit, nisi admisso tali judice? pone tamen ipsum ad hæc verba Christi intelligenda animum applicare, quod necesse est, cum quia *Nicolius* vult, ut homines Religionis sint gnari; tum quia hic articulus primarius & fundamentalis est, quo totius catholicæ Religionis veritas innititur: perpendit ergo verba hæc: *pasce oves meas.* Homo ille noster non plane sensu communi destitutus novit quid sint oves, quid pascere; nulla autem ratione perspicit, quomodo infallibilitas ex hisce verbis erui possit, si ad literam verba sumantur; ridebunt forte ipsum Doctores pontificii, atque methaphorico sensu ea verba sumenda ingeminabunt; sed ne sic quidem cernit, qua ratione methaphoricus pastor infallibilis sit. Si enim pascere idem sit ac do-

 cere,

cere, & salutaribus præceptis imbuere, nondum eruere potest ex hac impropria significatione privilegium infallibilitatis; novit enim Doctores pontificios, Episcopos &c. munere hoc defungentes, infallibilitatem tamen sibi non arrogare; audit insuper Christum hæc verba fundentem sese applicasse ad Petrum, diu rebus humanis ereptum, nec cernere potest, qua ratione privilegium hoc ad plures alios pertineat. Hactenus igitur homo noster, veri licet forte amantissimus, nondum ex allatis verbis videt sequi, dari in terris judicem infallibilem. Ponamus hominem nostrum adire Pontificem ipsum, quem inusitata luce perfusum esse ajunt Doctores sui, cumque de verborum illorum significatione interrogare. Jam vero aut homo noster, antequam mentem suam de verborum adductorum sensu aperuit Pontifex, credit, eum esse infallibilem, aut demum de hac veritate vult persuaderi: Si *prius* est, insanus plane est, quandoquidem hoc sibi ante omnia probari vult: Si vero homo noster demum judicem quærit, non majorem vim in animum suum habebit explicatio Pontificis, quam alterius hominis, qui rationibus ipsum in suam vult pertrahere sententiam. Itaque cum audit eum verba; *Pasce oves meas*, interpretantem, non magis commovebitur, quam antea, quando *Doctorum suorum* percepit explicationem: pone vero per nescio quam mirabilem mentis mutationem fieri, ut homo noster in verbis hisce hunc sensum reperiat: *Tu Petre & omnes tui successores erunt infallibiles judices in rebus ad Religionem spectantibus*, tum ne sic quidem interpretatio esset legitima, cum quia non auctoritate Pontificis infallibilis, sed ipsa naturali, si Diis placet, verborum explicatione esset innixa; hactenus enim nondum persuasus est, eum, qui secum loquitur & verba Christi interpretatur, esse infallibilem. Ex quibus omnibus manifestum est, Pontificios, dum viam examinis periculosissimam esse contendunt, simul vero per hypothesin de via auctoritatis sequenda, omnia instrumenta cognoscendi religionem veri amantibus e manibus excutiunt, sententiam fovere, quæ æquitati, bonitati, & sapientiæ Dei contraria sit.

Pontificii Doctores, dum solam auctoritatis viam in rebus ad Religio-

V. Solent, ut sæpius jam audivimus, Doctores pontificii, viam examinis impugnaturi, non solum in immensum extollere difficultates, quæ in examine Religionis occurrunt, sed & plebis judicium ita deprimere, ut tantum non eam in classem brutorum referant; quo ipso non solum ridicule agunt, sed & frustra est omnis illorum adver-

sus

ſus Proteſtantes inſtituta diſputatio. Quod jam breviter docebimus. Inde ab eo tempore, quo ab Eccleſia Romana ſeceſſionem fecerant Proteſtantes, eos rationibus cum ex Scriptura S. tum ex Antiquitate eccleſiaſtica petitis, adorti ſunt Doctores pontificii, non eo, quo ſperaverant cum ſucceſſu. Rationes enim rationibus opponebant ſatis validas. Oſtenderunt enim non ſolum opinionibus a ſcholaſticis ingeniis in Theologiam invectis, & ab Eccleſia Romana receptis, nullum in S. Literis eſſe præſidium; ſed excuſſis magna cum induſtria antiquiſſimis Patrum monumentis, probarunt, antiquiſſimos diſciplinæ chriſtianæ alumnos ignaros plane fuiſſe tot opinionum, quæ ſequiore demum ætate in Theologiam ſunt introductæ, & tanquam articuli creditu neceſſarii Eccleſiæ chriſtianæ obtruſi. Oſtenſum inſuper, nil lucrari Doctores Eccleſiæ Romanæ, etiamſi demonſtrent, unum alterumque Eccleſiæ primitivæ Patrem hanc vel illam opinionem decretis Eccleſiæ Romanæ conſentaneam adprobaſſe, dum evidentiſſimis exemplis evictum ſit, pios alioquin & præſtantes Viros, paſſim in ſcriptis ſuis, & in iis potiſſimum, in quibus S. Literarum teſtimoniis opinionibus ſuis pondus addere voluerunt, turpiter ſæpe halucinatos fuiſſe. Inprimis autem jugulum cauſæ Pontificiorum petiit, quoad uſum Patrum, celeb. Eccleſiæ Reformatæ Theologus, *Dallæus*, in egregio libello de *uſu Patrum*; quem *Scrivenerus*, & alii fruſtra hactenus impugnarunt: non quæritur, utrum forte in examine hujus vel illius ſententiæ Patrum erraverit vir doctus, quod facile conceditur; ſed ſi ad argumentorum ſummam, quibus theſin ſuam ſuperſtruxit, attendamus, contendimus eam eſſe inconcuſſam. Idem argumentum a doctiſſimo *Withbio*, aliiſque præſtantiſſimis Theologis accuratius adhuc excuſſum, reſque noſtra ætate eo deducta, ut exigua valde ſit inter Doctores Pontificios & Proteſtantes de uſu Patrum ſententiarum diſcrepantia: Nimirum utraque pars iis aſtipulatur Patrum ſententiis, quas cum receptis opinionibus conſpirare exiſtimat. Poſtquam autem Doctores pontificii pulchre vidiſſent, ſe hac ſua diſputandi ratione nil plane lucrari, ſoliciti fuere de excogitandis methodis ad reducendos Proteſtantes magis aptis. Superiore igitur ſeculo *Nicolius*, & poſt eum plerique Eccleſiæ Rom. Doctores, hoc unum pedibus manibusque egerunt, & adhuc agunt, ut conquiſitis undique difficultatibus, quas in examine Religionis occurrere dicunt, Proteſtantibus perſuadeant, ante omne examen pro

nem ſpectantibus incundam eſſe dicunt, non ſolum ſeſe ridiculos faciunt; ſed & argumentis quibus nos oppugnant, omnem adimunt vim, & efficaciam.

certo habendum esse, dari infallibilem aliquem in terris judicem, eumque visibilem, cujus decretis sit sine mora subscribendum, quove admisso omnibus sit manifestum futurum, quid credendum, quid non credendum sit. At hoc ipsum σοφον, ut putant, φαρμακον, tantum abest, ut ad revocandos Protestantes aliquid conferat, ut potius non solum animos eorum magis magisque reddat ab Ecclesia Roma alienos, sed & malam Ecclesiæ Romanæ ostendat causam, omnemque vim argumentis, quibus nos oppugnant Doctores pontificii, prorsus demat. Cum quibus enim tandem disputare volunt Ecclesiæ R. doctissimi Viri? Num cum plebe, & hominibus controversiarum omnium ignaris? Quid magis autem ridiculum, quam eos rationibus in gremium Ecclesiæ reducere velle, quos rationes allatas expendere non posse ipsimet fatentur, imo quos ne quidem ad examen Religionis teneri contendunt? An non hoc æque ineptum est, ac id, quod fecisse S. *Franciscum* legimus, quando nimirum is orationes habuit ad aves? certe de Laicorum ignorantia circa res ad Religionem spectantes ita sæpe loquuntur hi Doctores, ut putares plerosque sensu communi esse destitutos. Num autem putant magnum decus accessurum Ecclesiæ Romanæ, si aliquot millia rusticorum faterentur, Romæ vivere hominem infallibilem? Num acutius cernerent in rebus ad Religionem spectantibus quam antea hi homines, quando huic articulo subscriberent? imo vero, inquient Ecclesiæ Rom. Doctores, concesso hoc articulo facile admittent sententias omnes ab hoc judice probatas. Sed quo argumento probabunt, homines hosce perspectam habere Religionem, qui Psittacorum ritu certorum verborum repetunt sonos, i. e. alterius sententiæ sine examine album calculum adjiciunt? non magis enim licet examinare Religionem, postquam concedunt talem judicem infallibilem dari, quam antea; & si hoc facerent, desinerent esse almæ matris Ecclesiæ genuini filii. (*) Sane

(*) Gnaviter hoc argumentum contra Doctores pontificios ursit celeb. SCHERLOK *Préservatif contre le Papisme.* Inter alia sic loquitur pag. 5. „ Je voudrois seulement demander à ces impetueux Amateurs des disputes, s'ils „ admettent que je sois en droit de juger par moi-même en matiere de „ Religion. S'ils disent que non, pourquoi viennent-ils donc me rompre „ la tete de leurs disputes: le but de la dispute n'est il pas de convaincre? „ & comment convaincre un homme, à qui l'on ne permet de juger de „ la force des raisons qu'on lui allégue. Voudroient-ils disputer avec une

Sane similes mihi videntur Doctores pontificii artifici, qui se mechanicarum artium peritissimum esse jactaret, & gloriam ex ædificio aliquo, vasto & pulcherrime ad leges artis exacto, captare vellet, cumque in finem non solum pueros & puellas, sed & cæcos magno numero conduceret, ut laudibus celebrarent suam peritiam ex opere elucentem, cum tamen turba hæc non magis de iis, quæ ad artem mechanicam pertinent, rectum possit ferre judicium, quam cæcus de coloribus: applicatio est facilis. In cœlum tollunt laudibus Ecclesiam suam ejusque decreta; notas veritatis hujus Ecclesiæ, splendorem nempe ejus, sanctitatem & antiquitatem, adeo esse perspicuas clamant, ut non possint non homines in suas sententias pertrahere; simul vero dum hoc faciunt, plerosque mortales, quos in gremium Ecclesiæ pertrahere omnibus viribus volunt, tam rudes stupidosque esse tuentur, ut in examine Religionis talpa sint cæciores: quo ipso non solum sese faciunt ridiculos, sed & necessario efficiunt, ut omnes, qui ratione recte utuntur, non possint non de Ecclesia Romana *abjectissime* sentire. Ecclesia enim, quæ promiscue omnes in gremium suum recipit, & pro veris suis membris habet, qui tamen verum an falsum sit, quod credendum est, nunquam examinare vel potuerunt, vel si voluissent, prohibiti fuerunt hoc facere, non potest cœtus esse, cui addicere sese possint homines sana mente instructi, & Religionis salutaris amore tacti. Tali sane Ecclesiæ competit, quod olim juratus

„ pierre? ou faire un beau discours pour persuader à un cheval qu'il est „ hors de son chemin? n'est-ce pas la même chose? ne perdent-ils pas „ leur tems tout de même de disputer contre un homme, à qui il ne sert de „ rien de pouvoir comprendre ce qu'on lui dit, s'il n'est pas en droit de „ suivre son jugement? s'ils repondent qu'oui, je leur demande, si c'est „ la doctrine de leur Eglise, que chaque particulier peut juger par soi-„ même? si ce n'est pas là ce qu'ils appellent l'examen particulier, qu'ils „ reprochent aux Protestans comme une hérésie grossiere & la source de „ l'incertitude de leur foi. S'ils ouvrent une fois cette brèche aux héréti-„ ques pour entrér dans l'Eglise, j'ai peur qu'ils n'y perdent beaucoup, & „ que l'Eglise elle-même n'ait de la peine à se sauver. Car quoi? si tout ce „ grand & magnifique appareil de l'infaillibilité des Papes & des Conciles se „ reduit après tout à l'examen particulier, c'est fait de l'Eglise. Ces Gens-là „ ne voient pas, par cela même qu'ils disputent contre nous, qu'ils s'enga-„ gent à trahir la cause de leur Eglise, & qu'ils abandonnent le principe de „ l'infaillibilité, ce qui va à leur perdre un bon nombre de bons Catholiques, „ qui ne sont retenus que par les engagemens d'une foi aveugle & implicite.

tus civitatis sacræ hostis, *Celsus*, non sine gravi injuria, primis Christianis objecerat apud *Origenem*, Lib. III. pag. 137. dicens: *μηδεις προσιτω πεπαιδευμενος, μηδεις σοφος, μηδεις φρονημος· ἀλλ᾽ εἰ τις ἀμαθης, εἰ τις ἀνοητος ταῤῥων ἡκετω. Τουτους γαρ ἀξιους του σφετερου Θεου αὐτοθεν ὁμολογουντες, δηλοι εἰσιν, ὁτι μονους τους ἠλιθιους καὶ ἀγενεις καὶ ἀναισθητους, καὶ ἀνδραποδα, καὶ γυναια, καὶ παιδαρια πειθειν ἐθελουσι τε καὶ δυνανται.* i. e. *Nemo accedat eruditus, nemo sapiens, nemo prudens, sed si quis est indoctus, insipiens, infans, fidenter veniat. Hos enim Deo suo dignos, verbis istis confessi, aperte declarant, stolidos, solos & ignobiles, & sensu carentes, mancipia mulierculas, puerulos inducere se velle ac posse.* Quod si vero Doctores pontificii in gremium Ecclesiæ suæ adducere volunt non plebem & promiscuam turbam, sed V. D. Ministros & Religionis Antistites; aut sibi persuadent fungos ipsos pro cerebris habere, planeque ineptos esse, ad examen rigidum articulorum inter nostros & Pontificios controversorum instituendum; aut benignius de iis sentiunt, atque existimant, sufficienti eos eruditionis apparatu ad hoc præstandum, instructos esse; si *prius* asserant, non semetipsos tantum ludibrio exponunt, sed & iis, quos oppugnant, gravem inferunt injuriam. An non enim ineptum plane est, disputare velle cum eo, quem artis recte ratiocinandi, & disciplinarum, quæ ad quæstiones rite excutiendas postulantur, ignarum esse antea nosti, vel saltem putas? Certe hoc idem esset, ac si quis geometricis demonstrationibus eum in suam sententiam pertrahere vellet, quem expertem esse plane hujus scientiæ ante probe perspectum haberet. Velim autem sibi persuadeant Ecclesiæ Romanæ Doctores, non adeo obtusa gestare capita Ecclesiarum Protestantium moderatores. Quantum ingenio valeant, ipsimet experiendo millies senserunt, & adhuc sentiunt. Plerique inter eos abhorrent a refutatione decretorum Ecclesiæ Romanæ, quandoquidem pleræque opiniones hujus cœtus adeo infirmæ & ineptæ ipsis videntur, ut existiment, Virum veré eruditum, vix operæ pretium facturum, si opiniones centies & millies retusas denuo examini submittere velit. Nonnisi coacti igitur ad controversias, quæ nobis cum Ecclesia Romana intercedunt, animos adjiciunt. Si vero benignius de Doctoribus nostris sentiant, atque fateantur, plures esse Viros inter nos ingenio & eruditione instructos, parum prudenter agunt,

agunt, quando illis persuadere volunt, ut ad originem divinam Religionis rite cognoscendam, sic ad controversias, quæ mutuo intercedunt, rite perpendendas, necesse ante omnia esse, ut admittant visibilem aliquem in terris judicem, eumque infallibilem. Num enim credere poterunt, viros sapientes & disciplinis excultos propositionem illam sine instituto severissimo examine admissuros, id est conclusioni subscripturos, antequam præmissas rite perpenderint? Quod si hoc negent Doctores Ecclesiæ Rom. & ad rationem, traditionem, & revelationem recurrant, an non eo ipso postulant a Doctoribus nostris, ut rationes ex triplici hoc fonte petitas examinent, & hoc demum facto, alterutram in partem pronuntient? Hoc vero si semel concedunt, an non vident & palpant, viam examinis solam relictam nobis esse ad controversias illas discutiendas? Hoc concesso, vereor, ne infallibilitatis illius tantopere celebratæ εἰδωλον in fumos sit abiturum, par quippe levibus ventis & volucri somno simile: certe frustra sunt hi Doctores & multa agendo nil agunt, nisi concedant, æquissimum esse, ut postulatum, a quo controversiarum dependet summa, rite examinetur. Hinc *ὁ μακαριτης celeb. Werenfelsius*, (cujus de Doctoribus, plebi judicium de dogmatibus fidei adimentibus, Dissertationem, utinam omnes Ecclesiæ Romanæ Doctores rite perpenderent, antequam adversus nos in arenam descenderent) in epigrammate quodam adversus similis ingenii homines ita pronuntiat:

Cum me credere vis, nihil probare:
Nil credo tibi: cur? rogare noli:
Annon hoc satis est superque causæ;
Quod me credere vis, nihil probare?

Per rectæ rationis & conscientiæ leges nonnisi iis articulis possunt subscribere Protestantes, quos in S. Literis perspicue inculcatos esse vident; atque ita etiam judicarunt, quos tantopere deprædicant, Ecclesiæ primitivæ Patres, quorum plurima testimonia, si id ageretur, ad hoc probandum adducere possem. Unum suffecerit *Cyrilli Hierosol. Archiepiscopi*, de hoc argumento judicium, quod extat p. 60. Edit: *Touttei*, itaque sonat: Δει περι των θειων και ἁγιων της πιϛεως μυϛηριων, μηδε το τυχον ἀνευ των θειων παραδιδοσθαι γραφων: και μη ἁπλως πιθανοτησι και λογων κατασκευαις παραφερεσθαι, μηδε ἐμοι τω ταυτα σοι λεγοντι ἁπλως πιϛευσης, ἐαν την ἀποδειξιν των καταγελλομενων ἀπο των θειων μη λαβης γραφων: ἡ σωτηρια γαρ

αὐτη της πιϛεως ἡμων ἐϛιν ἐξ ἐυρεσιλογιας, ἀλλα ἐξ ἀποδειξεως των θειων ἐϛι γραφων. i. e. *Oportet circa divina & sancta fidei mysteria ne minimum quidem absque divinis Scripturis tradi; nec temere probabilitatibus, argumentisque in verborum artificio consistentibus abduci. Ne mihi quidem ista proferenti ultro credas, nisi de divinis Scripturis eorum, quæ tibi adnuntio, demonstrationem acceperis. Hæc enim fides, cui nostram salutem debemus, non commentitia disputatione, sed ex divinarum Scripturarum demonstratione vim habet.* Novi quidem doctissimum Editorem operum Cyrilli, *Toutteum*, omnem lapidem movere in animadversionibus suis ad hunc locum, ut clarissimum testimonium e manibus Protestantium eripiat. Sed facile probari posset, si instituti nostri ratio hoc permitteret, virum doctum errorem, quem Logici *petitionem principii* vocant, commisisse & frustra se torsisse. Haud ignorant Ecclesiæ Rom. Doctores, Protestantes ita sentire: hoc tamen non obstante in re seria semper ludunt, dum homines acutos valde & eruditos, misso examine ad tribunal alicujus judicis infallibilis evocant. Aut desinant igitur tandem libros controversiarum scribere, nostram ab Ecclesia Romana secessionem deplorare, nosque ad reditum in gremium benignæ matris Ecclesiæ ducere velle; aut principii loco ponant, cuivis veri cupido examinandam esse Revelationem singulosque Religionis articulos. Hoc si semel concedant, lubentes cum Ecclesiæ Romanæ Doctoribus conferemus. Quod si adeo certis fundamentis superstructa est Religio catholica, nil decedet bonitati causæ, quam se profiteri tuentur, sed adjuncto & permisso examine forte clarius enitescet. Si vero examen hoc quibuslibet, (nam omnium hic, qui veritatis cognoscendæ cupidi sunt, par est jus) concedere nolunt, non solum frustra semper disputabunt, & necquicquam lucrabuntur, sed & Ecclesiam Romanam omnium exponent ludibrio.

Pontificii Doctores, dum variis utuntur μεθοδειαις ad auctoritatem judicis infallibilis stabiliendam, non so-

VI. In antecedentibus pluribus ostendimus, Doctores pontificios difficultates in examine Religionis occurrentes, in immensum extollere, existimantes, hanc certissimam esse stabiliendi necessitatem judicis infallibilis viam. Iidem tamen, misso hoc præsidio, variis utuntur μεθοδειαις ad probandum Protestantium Ecclesias omnibus illis characteribus destitui, qui veræ Ecclesiæ Christi duntaxat competunt, cum tamen hoc ipsum non solum sine mutua argumentorum collatione & examine fieri non possit; sed & hoc ipso satis superque ostendunt,

dunt, se in jactata auctoritate judicis infallibilis exiguum ad nos oppugnandos reperire præsidium. Age monstremus hoc inductione aliquot exemplorum. Ita notum est *celeb. Bossuetum* (cujus opera critica, adversus Protestantes scripta, in Gallia denuo recudi opera Card. *Tencini* percepimus) eo potissimum nomine Protestantes impugnasse, quod suis confessionibus & scriptis non constanter adhæserint, sed mox hic mox illic iis quædam vel addiderint, vel demserint; quodve primi Reformatores, vel æstu disputationis, vel imbecillitate ingenii, aliquando fuerint lapsi. Hanc vero *variationem* signum esse manifestum falsæ Ecclesiæ; veram enim Ecclesiam unam esse debere, & sibi semper constantem, volente hoc inprimis *Cypriano*, Episcopo Carthaginensi. Quam parum autem auctoritati Ecclesiæ Romanæ hac ratione consuluerit *Bossuetus*, doctissimi inter Protestantes Viri demonstrarunt. Nos strictim duntaxat quædam hic monebimus. Et 1) quidem nemo non videt, Episcopum principii loco ponere, Ecclesiam Romanam solam esse Ecclesiam veram: sed hoc est τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν. Hoc enim nisi ponat, unde probabit discessionem nostram ab Ecclesia Romana signum esse falsitatis doctrinæ? num forte ita argumentari licet, hic vel ille ab opinione aliorum recessit, ergo ille errat? ergone si vel maxime probare possem *Titium* esse hominem nequam, sequitur *Cajum* esse hominem probum & innocentem? num quod quidam v. gr. *Persæ* discesserint ab opinionibus *Turcarum*, sequitur Turcarum Religionem veram esse? num quod *Cyprianus* a *Stephani* Pontificis sententia circa baptismum hæreticorum discessit, sequitur eum cum iis, qui ejus sententiam sequebantur, membra Ecclesiæ veræ esse desiisse: Quis non sentit nil plane bonitati causæ *Bossueti* accedere, sive Protestantes omnibus apicibus confessionum suarum adhæserint, nec ne? quis non perspicit, non omnem mutationem esse malam? Si vero demonstrare voluit *Bossuetus*, mutationes istas alicujus esse momenti, hoc ipso jussit nos ad examen revocare mutationes illas, easque cum Scriptura, Traditione, & decretis Ecclesiæ Romanæ conferre; atque ita vel invitus confiteri tenetur, viam examinis tutissimum esse medium ad verum cognoscendum, momentumque controversiarum, quæ mutuo intercedunt, expendendum.

lum infirmitatem systematis sui manifestam faciunt; sed & hoc ipso viam examinis, a qua tantopere abhorrent, commendant. Ostenditur hoc primo exemplo Bossueti.

Secundo. Misera est argumentatio, quæ in ipsum Adversarium summo jure retorqueri potest. Probarunt centies Doctores Ecclesiarum protestantium, in Synodo Tridentina dogmata quædam Ecclesiæ primi-

tivæ ignota, & a Scholasticis duntaxat temere arrepta, pro certis & divinis declarata fuisse. Ex quo manifestum est, Ecclesiam Romanam non semper sibi constitisse, atque adeo verum erit ita ratiocinando, Ecclesiam Romanam veram Ecclesiam esse non posse. Unde doctissimus *Renoultius* in sua *historia Variationis Ecclesiæ gallicæ*, in fine semper capitis libri sui, loco formulæ Mathematicis suetæ, I. Q. E. D. hoc addit epiphonema: Voilà Monsieur une Variation! Et quid tandem sentiendum de ipso *Bossueto*, qui suam celebrem *delineationem Ecclesiæ catholicæ mutavit*, & quidem in multis articulis? num variatio hæc veritati articulorum detrahit nec ne? quicquid respondebit, sese captum esse sentiet. De re ipsa, i. e. libro *Bossueti*, ejusque priore & posteriore editione, vide cl. *Maichelii Lucubrationes Lambethanas*, & *P. Jurieu Préservatif contre le changement de Religion*, qui inprimis nervose ostendit, *Bossuetum* in sua delineatione, cum ab aliis Doctoribus pontificiis, tum etiam a decretis Synodi Tridentinæ discedere. Aut ergo absolvendi sunt Protestantes, neque ex qualicunque mutatione erroris arguendi; aut damnanda erit universa Ecclesia Romana.

Tertio. Si argumentatio illustris Episcopi aliquid valeret, nil Doctores Ecclesiæ Romanæ, sed Athei, Sceptici & qui albis dentibus Religionem omnem rident, plurimum lucrarentur; ita enim ratiocinabuntur: Philosophi Orientis, Græciæ & Latii, ut de aliis nil dicamus, diversas plane de origine rerum omnium, & Religione, foverunt sententias. Diversos ritus, cærimoniasque habuerunt Judæi, quas postmodum abrogarunt Christiani. Christiani ipsi primis jam exortæ disciplinæ christianæ temporibus in sectas scissi, exortique varii generis hæretici. Concilia conciliis opposita, Patres patribus contrarii. A Scholasticis postea multa sunt adjecta, quæ veteri Ecclesiæ erant ignota. In sanctissima Synodo Tridentina sententiarum erat divortium. Post illam controversiæ non sepultæ, sed ad nostra usque tempora sunt continuatæ. In ipsa Ecclesia Romana de multis Religionis articulis sententiarum est maxima varietas. Illi qui ab Ecclesia Romana secessionem fecerunt, ut notum est, in diversas abierunt sectas, majores vel minores. In utrisque per omnia non idem omnes sentiunt. Hic igitur dissensus, hæc tanta variatio & mutatio sententiarum satis probat, Religionem omnem nullis esse superstructam fundamentis, eosque demum sapere, qui metum omnem Numinis subjecerunt pedibus.

bus. Valet certe hominum illorum ratiocinatio, si argumentatio Bossueti legitima est. (*) Et quis nescit, Deistas Religionis christianæ veritatem impugnaturos, ad tot diversas, quæ inter Christianos locum habent, de Religione opiniones, provocare? Aut ergo Episcopus victas debet Atheis & Deistis dare manus, aut fateri, dissensum, qui inter Protestantes obtinet, non impedire, quo minus Religio eorum certis sit innixa principiis.

Quarto. Quæ de vitiis Reformatorum in medium profert *Bossuetus*, non solum in ipsos Doctores Ecclesiæ Romanæ majore jure retorqueri possunt, sed & ex eodem fonte probari potest, jactatam infallibilitatem Pontificum nonnisi ab iis admitti posse, qui sanæ rationi miserunt nuntium. Nos non negamus, primos Reformatores fuisse homines fallibiles, atque uno ictu omnia perspicere non potuisse. Fatemur, eosdem negotiis districtos, & acerbissime ab adversariis variis lacessitos, modum in scribendo non semper servasse. At num hoc veritati Religionis, quam profitebantur, quicquam detrahit? Hoc si ita est, quid ergo de primi, si Diis placet Papæ, i. e. *Petri* doctrina erit sentiendum, si lapsus in vita sufficiens ratio est rejiciendæ ejusmodi hominis Religionis? Quid non ex vitis Patrum, & mutuis eorum anathematismis, quid ex Pontificum gravissimis vitiis erit colligendum? an non ita, si vera hæc est argumentatio, infallibilitas Ecclesiæ plane concidit? audi vel unum *Baronium* in *Annal. Eccl. Tom. X. ad An. DCCCCXII. n.* 8. *col.* 685. *edit. Colon. d. A.* 1624. de Pontificibus sic differentem: *Quæ tunc facies sancta NB. Ecclesiæ Romanæ?*

(*) Simile ratiocinium Bossueto opposuerat ὁ μακαρίτης cl. Basnage in præfatione historiæ Ecclesiæ præmissa: En effet (inquit ille) „ le fondement de „ l'Ouvrage de Mr. de Meaux est ruineux, & on sent sans peine que la Me„ thode des variations n'est qu'un pur sophisme. Elle favorise l'Athéisme, „ qui n'étant appuyé que sur un seul principe, ne souffre jamais des Variati„ ons. Que repondroit Monsieur de Meaux à un Athée qui lui crieroit, tout ce qui varie est necessairement faux, „ & qui aprés lui avoir fait longue „ deduction de tous les changements de doctrine, arrivés dans l'Eglise chrê„ tienne depuis dix-sept cens ans, lui répresenteroit qu'il n'y a qu'un seul „ principe, sur lequel ni lui ni ses prédecesseurs n'ont jamais varié, c'est qu'il n'y a point de Dieu? „ Je voi, lui diroit-il, des changements dans „ toutes les Religions du monde, j'ai lieu de conclure qu'elles sont faus„ ses; je nie, & j'ai toûjours nié constamment l'existence de Dieu: je suis „ donc le seul au monde qui defends la verité.

quam fœdissima, cum Romæ dominarentur potentissimæ æque ac sordidissimæ meretrices, quarum arbitrio mutarentur sedes, darentur Episcopi, & quod auditu horrendum & infandum est, intruderentur in sedem Petri earum amasii Pseudo-Pontifices, *qui non sint nisi ad consignanda tantum tempora in catalogo Romanorum Pontificum scripti. Quis enim a scortis hujusmodi intrusos sine lege legitimos dicere posset Romanos fuisse Pontifices? Nusquam Cleri eligentis vel postea consentientis aliqua mentio, canones omnes pressi silentio, decreta Pontificum suffocata, proscriptæ antiquæ Traditiones, veteresque in eligendo summo Pontifice consuetudines sacrique ritus & pristinus usus prorsus extincti: sic vendicaverat omnia sibi libido seculari potentia freta, insaniens æstro percita dominandi. Dormiebat tunc plane alto (ut apparet) sopore Christus in navi, cum hisce flantibus validis ventis navis ipsa fluctibus operiretur. Dormiebat, inquam, qui ista videre non dissimulans sineret sic fieri, dum non exsurgeret vindex. Et quod deterius videbatur, deerant qui Dominum sic dormientem clamoribus excitarent discipuli, stertentibus omnibus. Qualesne reris delectos ab hisce monstris Presbyteros & Diaconos Cardinales fuisse putandum, cum nihil tam naturæ insitum sit, quam unumquemque sibi similem progenerare? Quos im omnibus iis, a quibus delecti fuerint, consensisse dubitare quis poterit, imitatosque esse ipsos, sectatosque eorum vestigia quis non facile credat? & optasse hos omnes, Dominum dormisse semper, & nunquam in judicium surrecturum, evigilaturum nunquam ad ipsorum cognoscenda & punienda facinora, quis non intelligat?* Hactenus *Baronius.* Eat igitur Meldensis Episcopus, & ex hac Cardinalis Pontificum descriptione de sanctitate Ecclesiæ Romanæ judicium ferat.

Quinto. Denique, ea quæ a *Bossueto* proferuntur omnia, si vel maxime variatio aliqua locum haberet in confessionibus primis Reformatorum, non solum Ecclesiæ Romanæ nil accederet præsidii, quandoquidem ex iis in quibus conveniunt Protestantes, sufficientia depromi possunt argumenta, quibus probatur, Romanenses in doctrina & cultu a purissima Christi disciplina turpiter deflexisse, sed & necessitatem examinis, a quo tantopere abhorrent Ecclesiæ Rom. Doctores, firmissime probat. Ut de priore jam nil dicamus, demus, circa explicationem articulorum quorundam sibi non constitisse in omnibus Protestantes, & theses quasdam mutasse, quid inde lucrabuntur Ecclesiæ Romanæ Doctores? aut dicendum, mutationes illas vel in *melius*, vel

vel in *pejus* factas: si *prius* est, cur eos tandem objurgant? cur ex hac mutatione colligunt, certis principiis non esse superstructas Protestantium sententias? Si vero *posterius*, demonstrandum hoc erat Ecclesiæ Romanæ Doctoribus. Hactenus enim mutationes illas necessarias fuisse contendunt Protestantes. Ut ergo lis illa dirimatur, instituendum est examen articulorum, de quibus disceptatio orta est. Quo ipso non solum Doctoribus Ecclesiæ Romanæ, sed & accusatis omnibus jus concedendum est articulos illos examinandi. Ex quo sequitur, solum examen Religionis certam & tutam monstrare viam, ad horum vel illorum articulorum veritatem vel falsitatem demonstrandam.

VII Inter eos ex Doctoribus Ecclesiæ Rom. qui examen Religionis promiscue omnibus concedendum non esse probare voluerunt, eminet P. *Nicolius*, Vir magni ingenii & acerrimi judicii; falsi sunt hoc ipsum doctissimi Ecclesiæ Reformatæ, qui cum eo congressi sunt, Viri, *Pajonus*, *Claudius*, & *Jurieu.* (*) Idem tamen doctissimus vir passim talia adversus nos adfert argumenta, quæ invicte probant nonnisi via examinis ad controversias, quæ nobis cum Ecclesia Romana intercedunt, expendendas perveniri posse. Ad hoc probandum, non provocabo ad quosdam libellos viri hujus docti, diversis occasionibus scriptos, sed argumenta petam ex hoc ipso, quo data opera thema hoc omni adhibita diligentia excusserat, opusculo: de *præjudiciis legitimis adversus Calvinistas.* Sumamus argumentum capitis *octavi.* In eo probare studet, ad demonstrandum, Reformatos esse schismaticos, sufficere, si ostendatur, eos ab Ecclesia secessionem fecisse, neque necesse esse, ut quæratur, jure an injuria id factum fuerit. Nemo non videt hanc propositionem, quomodocunque intelligatur, sine examine & terminorum perspicua explicatione admitti non posse: aut enim Ecclesiæ nomine intelligit notionem vagam qualiscunque cœtus abstracte consideratam; vel cœtum hominum recte de Religione sentientium: vel denique eos, qui perversas de Religione

(*) De libro Nicolii ita judicat Saurinus: ,, L'état du Christianisme en France, pag. 238. Jamais cause ne fut mieux attaquée, que la nôtre l'a été par ,, Mr. Nicole; Jamais cause n'a été mieux defendüe, que la notre l'a été ,, par Mr. Pajon. Le Livre de l'aggresseur est excellent dans son genre; celui du defenseur l'est dans le sien. Ce n'a pû être que la verité ,, qui a fait triompher le dernier.

one fovent & tuentur opiniones. Si *primum*, quæro tandem quibus in terris degat abstracta illa Ecclesia? num in Utopia? quomodo, cum ignota sit, alterutram in partem de ea aliquid possit pronuntiari? Si *secundum*; verum quidem erit, a tali cœtu recedendum non esse; sed cum quælibet Ecclesia hoc sibi privilegium vindicet, quærendum ante omnia est, quid sit Religio & quænam sit vera? Hoc sine examine fieri non potest. Si per eos, qui recte de Religione sentiunt, nonnisi homines Romanæ Ecclesiæ addictos intelligat *Nicolius*, probari sibi postulabunt Protestantes, hoc eminens privilegium soli Ecclesiæ Romanæ competere. Quomodo autem rursus hoc probabitur, sine examine articulorum quibus subscribit Ecclesia Romana? Quo jure schismatis accusare poterit eos vir doctus, quos rationibus tamen hujus erroris convincere non vult? annon omnibus rectæ rationis principiis contradicit, qui asserit omnes esse schismaticos, qui a suis recedunt opinionibus, licet ille probare nolit, eas certas esse, solidisque argumentis superstructas? Si vero hoc tentare velint Ecclesiæ Romanæ Doctores, velint nolint, ad examen illud tantopere exosum confugere tenentur. *Tertium* tandem nemo, qui sanæ mentis est, affirmabit. Ex quibus patet, qualemcunque notionem Ecclesiæ sibi fingat Vir doctus, necesse esse, ut omnes, qui sese illi adjungere volunt, ante omnia solicite examinent, quænam sint cœtus hujus de rebus divinis opiniones, quæve Deum colendi ratio. Vide autem, quas tenebras oculatissimi hominis menti offundat chimerica illa nescio cujus infallibilis Ecclesiæ idea: eodem capite p. m. 151. ait: posito, verum esse, discedendum ab Ecclesia, quæ graves errores profitetur, aliosque, ut idem faciant obstringere vult, nihilominus si certum esset, dari Ecclesiam a qua nunquam discedendum esse vulgo esset persuasum, schismaticos futuros omnes, qui ab ea secessionem facturi essent, qualescunque ob causas, eumque in finem argumento celeb. *Dallæi* opinionem suam confirmaturus, argumentum aliud opponit: *Dallæus* ita ratiocinatus est: Discedendum est ab Ecclesia, quæ graves errores tanquam certos Religionis articulos profitetur, ad eosdemque credendos omnes obligare vult, & cultum denique idololatricum exercet. Atqui Ecclesia Romana &c. Ergo. Huic argumento sequentem opponit ratiocinationem: Datur Ecclesia, a qua nullo sub prætextu discessio facienda, adeo ut schismatis sint rei omnes, & NB. extra spem salutis positi,

qui

qui eam deserunt. Atqui *Calvinistæ* ab hac Ecclesia discesserunt: Ergo. Hanc argumentandi methodum ita comparatam esse dicit, ut qui eum sequatur, necesse non habeat instituere singulare dogmatum examen. Vix oculis meis credidi, cum hæc legissem, simulque meminissem, *Nicolium* inter eos fuisse, qui plurimum contulerunt, ad conficiendam *Artem cogitandi*, Eruditorum plausu acceptam. Putares agi de cœtu ignoto plane hominum, in terra australi vel forte in planetis degentium; fingit enim Vir doctus nescio quam Ecclesiæ imaginem, diversissimam ab ea, a qua discesserunt Protestantes. Sine dubio nunquam affirmassent Protestantes discedendum ab Ecclesia, & ipso actu discessionem non fecissent, nisi ipsis persuasum fuisset, justissimas esse ab Ecclesia, & quidem Romana, de qua una quæstio est, discedendi causas. Et sane qui aliter de iis sentiunt, iniquissime de iis judicant. Dicendum enim, eos perinde habuisse, quamcunque profiterentur Religionem. Sed mittamus causas discessionis nostræ, & examinemus argumentationem *Nicolii*. In majore propositione hujus argumenti per Ecclesiam intelligit aut veram Ecclesiam, aut falsam, tertium non datur. A falsa, si quidem errores suos nobis violenter obtrudere velit, discedendum non esse, nemo, qui Religionis castæ amore tangitur, imo qui sanæ mentis est, nedum *Nicolius*, profitebitur. Si vero *veram* intelligat vir doctus, tum probandum, Calvinistas ab ea recessisse. At quomodo, sine singulari examine articulorum Religionis, thesin suam adstruere poterit *Nicolius*, cum nulla sit Ecclesia inter Christianos, quæ non certis quibusdam articulis Religionis subscribat? Ex quo manifestum est, necesse esse, ut antequam de discessionis jure quæratur, ante omnia definiatur vera Ecclesiæ notio. Hæc autem pro lubitu fingi non potest, sed ad characteres illius a Deo & Sotere nostro Jesu Christo nobis datos, est exigenda. Hoc autem denuo sine examine fieri non posse vel me tacente quilibet videt. Itaque dum vir doctus examinis viam effugere voluit, illius necessitatem probavit. Ut clarius pateat, substitue loco vagæ notionis Ecclesiæ, cœtum hominum, qui soli veram castamque Christi doctrinam sequuntur, atque ita argumentare: Qui a cœtu hominum, quos sinceram Jesu Christi doctrinam profiteri certissimum est, discedunt, schismatici sunt: Atqui a tali cœtu Calvinistæ discesserunt: Ergo. An non hoc posito, sensu communi destitui censendus esset ille cœtus Protestantium Doctor, qui sibi probari non vellet propositionem minorem,

 & ri-

& ridiculus contra Doctor pontificius, qui postularet sibi concedi, characterem Ecclesiæ majore propositione expressum nonnisi Romanæ Ecclesiæ competere? Idem vir doctissimus, qui absque particulari discussione articulorum Religionis Calvinistas egregie confutari posse sibi persuasit, cum in præfatione libri *de legitimis præjudiciis*, tum capite primo & secundo serio monet, Calvini discipulis probe esse expendendas causas, ob quas ab Ecclesia Romana fecerint discessionem, positisque omnibus præjudicatis opinionibus ita agendum, quasi schismatici, i. e. Reformatorum sententiis addicti non essent. Quis neget monitum hoc esse non contemnendum, sed attentione dignum? At quis non pulchre simul perspicit, *Nicolium*, hoc ipso omnes invitare ad examen Religionis articulorum, de quibus orta est disceptatio, instituendum? An enim serio possunt Reformati cogitare de secessionis ab Ecclesia Romana causis, sine examine argumentorum, discessionem suadentium, articulorumque, quos utraque Ecclesia tuetur, veritate vel falsitate? Ex his manifestissimum est, doctissimos Ecclesiæ Romanæ viros, non satis præsidii invenire in *via auctoritatis*, & vel invitos ad viam examinis probandam trahi.

Idem ostenditur exemplo Scheffenmacheri & Fenelonii.

VIII. Ante aliquot annos, non sine supercilio Protestantes aggressus & J. *Scheffenmacherus*, Jesuita Argentoratensis, editis epistolis ad Nobilem, uti titulus præ se fert, virum, cœtui Protestantium addictum. In his hoc unum potissimum agit, ut ab una parte viam examinis reddat suspectam, ab altera vero ut Pontificis tribunal infallibile, si Diis placet, stabiliat. Postremum hoc dum agit, suam vel vafritiem & impudentiam, vel ignorantiam prodit manifestissime. Contendit sine admisso infallibili judice neminem certo de veritate articulorum Religionis persuasum esse posse; simul tamen idem pag. 117. affirmat, posse nos secure in Ecclesiæ Romanæ decretis adquiescere, & tamen dubitare, utrum solus Pontifex *ex cathedra*, ut ajunt, *loquens*, i. e. Pastoris universalis Ecclesiæ partes agens, infallibilis sit, nec ne. (*) Ita ludunt illi homines, & verba dare volunt non

(*) Verba ipsa Jesuitæ adducam. Nimirum eludere volens objectionem Protestantium asserentium, ne ipsos quidem Pontificios inter se de principio fidei convenire, dum alii pro Conciliis generalibus, alii pro Pontifice, vel cum vel sine Conciliis pugnent, sic respondet: „ Je réponds que tous les „ Catholiques s'accordent à reconnoitre pour régle de la foi la Parole de „ Dieu expliquée par l'Eglise. Or l'Eglise, je parle ici de l'Eglise ensei-

non popello duntaxat, quem non magis ad religionis examen aptum esse clamant quam asinum ad lyram, sed & viris gravibus & acuti ingenii? Quid enim magis est ineptum, quam affirmare, sine admisso infallibili judice neminem de veritate dogmatum credendorum persuasum esse posse, & tamen simul contendere, nos secure articulis, quos profitetur Ecclesia Romana, subscribere posse, licet ignoremus vel negemus etiam, Pontificem ex cathedra loquentem infallibilem esse? Annon hoc idem est ac si quis dicat, virum veri amantissimum conclusionem syllogismi admittere posse, & tamen præmissas negare, vel de earum veritate dubitare? Annon versuta illa cum Protestantibus agendi ratio satis ostendit, doctissimos Pontificiorum haud satis præsidii reperire in sua de necessitate judicis infallibilis opinione? Sed & mentitur Jesuita, quando publice affirmat, licitum esse vel Doctoribus Ecclesiæ Romanæ, vel Laicis in sola auctoritate Pontificis ejusque infallibilitate adquiescere, vel Conciliorum supra Pontificem auctoritatem tueri. Si quis ea duntaxat, quæ occasione *Bullæ Unigenitus* in Gallia acta sunt, perpendit, facile sentiet, quæ fides habenda sit huic Jesuitæ. (*) Crescit difficultas,

 si ea,

„ gnante, n'est ni le Pape seul, ni le Concile sans le Pape; mais c'est
„ le Corps des Evêques joint à leur Chef; tel corps joint au Chef est in-
„ faillible. C'est ce que tout Catholique se fait un devoir de croire. Pour
„ ce qui est de l'infaillibilité du Pape, lors qu'il parle ex cathedra,
„ c'est à dire en qualité de Pasteur Universel, pour instruire toute l'Eglise,
„ aprés avoir consulté Dieu & düement éxaminé les matières, les senti-
„ mens des Catholiques sont partagés sur cela. Mais ceux-là méme qui
„ tiennent pour cette infaillibilité, & qui se fondent sur cette parole du Sau-
„ veur à St. Pierre: J'ai prié pour vous, Pierre, afin que vôtre foi ne vienne
„ pas à manquer: „ ceux-là méme dis-je n'en font pas pour cela un ar-
ticle de foi: ils ne régardent leur sentiment que comme NB. une opinion, &
„ si Dieu vous fait la grace, Monsieur, de vous faire Catholique, - - - il vous
sera libre de prendre parti pour & contre, sans que votre foi puisse en souffrir.

(*) Eo nomine acriter Jesuitam nostrum perstrinxit *doctissimus de la* CHAPELLE, cujus verba licet prolixiora sed ad scopum nostrum facientia ita sonant pag. 81. libri supra cit. *C'est un fait constant, Monsieur, & que votre Docteur allemand n'ignore point, que c'est désormais dans sa communion parmi les Partisans de la Bulle, & principalement à* Rome *non* une opinion, *mais* un article de foi, *que le Pape est superieur au Concile, que c'est en lui seul personnellement que réside l'infaillibilité de l'Eglise enseignante, & que le corps des E-*

ſi ea, quæ ab eodem pag. 118. dicuntur de hoc argumento, expendamus: Nimirum contendit ille loco citato; aliter agendum eſſe quando Mahumedanus, Judæus, vel Gentilis ſit convertendus, aliter ubi de reducendis Proteſtantibus quæſtio ſit. Neceſſe nimirum eſſe, ut priores primo de neceſſitate & exiſtentia judicis infallibilis convincantur, antequam Religionis decreta ipſis proponantur: Proteſtantibus tum demum judicem illum commendandum, quando de veritate Religionis chriſtianæ, & authentia librorum Canonis ſacri perſuaſi ſint. Quis non malam fidem hominis accuſet, qui ſciat, Doctores pontificios *uno ore clamare*, neminem de ullo Religionis articulo perſuaſum eſſe poſſe, ſine judicis infallibilis auctoritate? Quis non videt, quam parum tribuat infallibilis judicis auctoritas ad graviſſima Religionis dogmata confirmanda? Quæro enim ex Jeſuita hoc, utrum perſuaſio illa de veritate Religionis chriſtianæ, quam tribuit homini Proteſtantium cœtui addicto, *certa* ſit & *firma*. Si affirmet, rogo, quid opus tandem ſit infallibili judice. Si credo bis duo eſſe quatuor

vêques ſans avoir été conſulté ne concourt à légaliſer ſes déciſions que par la ſoumiſſion qu'il témoigne à les accepter. C'eſt un fait auſſi conſtant, que les Jeſuites, qui ont ſollicité cette Bulle, en ſont auſſi les zélés defenſeurs, & qu'ils remuent le Ciel & la Terre pour la faire récevoir par-tout comme regle de foi. Quelle ſincerité peut-il donc y avoir dans la bouche d'un Ecrivain de cette Compagnie, qui vous dit gravement, que ſi vous vous faites Catholique Romain, vous ſerés en pleine liberté de croire là-deſſus le pour & le contre? Oſeroit-il encore aujourd'hui vous tenir le même langage, & tout ce qui s'eſt paſſé en France, *depuis l'impreſſion de ces Lettres, ne doit-il pas le confondre? Eſt-ce pour une* Opinion, *pour des ſentimens indifferens en eux-mêmes, pour des queſtions douteuſes & problematiques, de l'aveu de tous les Catholiques Romains, qu'on a vû le Cardinal de Noailles perſecuté juſqu'au dernier moment de ſa vie, pour en arracher une acceptation pure & ſimple: l'Evêque de* Sennes *depoſé dans le Concile d'Ambrun contre toutes les loix canoniques:* la Sorbonne *privée d'un grand nombre de ſes membres les plus eclairés, toutes les Communautés réligieuſes agitées interieurement par les diviſions les plus aigres: une infinité des Reguliers, des Seculiers, & des Laiques expoſés aux dernieres inſultes, ou aux dernieres ſouffran-*

quatuor, hæcque persuasio est certa, qualem tandem ea majorem evidentiæ lucem accipit ex testimonio alterius: vel si firmiter rationibus gravissimis commotus credo, Jesum ex morte in vitam fuisse revocatum, quid roboris huic persuasioni addet *hominis Romæ viventis auctoritas?* quæ ratio tandem dari potest, cur Laicus de hac veritate possit esse *firmiter* persuasus, non vero de falsitate Transsubstantiationis, vel de necessitate adorationis solius Dei? Quæro insuper, utrum homo ille, qui de veritate Religionis christianæ est persuasus, ad cognoscendos reliquos articulos Religionis creditu necessarios admittere debeat judicis infallibilis auctoritatem *sine* examine vel *cum eo?* Si *prius* contendat, ineptus est, quia ita persuasio nulla, nedum certa esse posset: Si vero demum examinandum est, utrum talis judex infallibilis existat nec ne, redeunt omnia illa dubia, quæ contra auctoritatem illius judicis a Protestantibus moveri solent, viaque examinis, a qua tantopere abhorrent Doctores Ecclesiæ Romanæ, est calcanda. Mirum est, quas in partes sese vertant Doctores pontificii, ut nos in gremium Ecclesiæ Romanæ revocent. *Scheffenmacherus* vult, ut, qui Protestantium cœtui sunt addicti, ante omnia ope-

ees: le Corps des Avocats de Paris, *injurié, censuré, réduit au silence; le premier Parlement du Royaume poussé à l'extremité inouie de renoncer à sa propre existence, par une demission volontaire, & le Roy lui-même ne sauvant que par miracle l'independance & l'authorité de sa Couronne, des mains audacieuses de ses propres Evêques animés & conduits par leur Chef, Evêque de* Rome. *En verité, Monsieur, des gens qui seroient persuadés que l'infaillibilité personnelle du Pape n'est pas un article de foy nécessaire au salut; que ses décisions n'obligent point absolument la conscience de tous les fidéles, & que l'on en peut impunement appeller au Concile, ces gens-là dis-je, doivent être bien mechans & bien scélérats pour porter si loin la fureur & l'Antichristianisme, dans la seule vuë de faire triompher une* opinion, *qu'ils ont embrassée, mais qu'ils reconnoissent pourtant n'être qu'une* opinion, *sur laquelle il est permis à chacun de tenir indifferement le pour & le contre.* Hactenus doctus ille Vir. Confer librum *sex* vol. Amstelod. 1723. editum, sub titulo. *Histoire du livre des Reflexions morales sur le nouveau Testament & de la Constitution Unigenitus.*

ram navent, ut de Religionis christianæ veritate certis argumentis sint persuasi, quod sine accurato examine, servatis rectæ ratiocinationis legibus, fieri non potest. Idem vero hoc facto vult, ut missa discussione articulorum controversorum credant, & sine examine quidem, dari judicem infallibilem; quod absonum plane. Hinc recte cl. *Sherlok*, Libri citat. pag. 11. ait: *C'est en verité une chose surprenante, qu'un Protestant puisse être capable d'embrasser le Papisme sur des raisons; car dès le moment qu'il est gagné, il faut qu'il fasse une seconde abjuration des moyens, par lesquels il a été converti. Il faut qu'il se serve de son jugement pour entrer en la communion de Rome, & dès le moment qu'il y est entré, il faut renoncer à son jugement & en réconnoitre la non-validité.* Manifestissimum est, hoc unum agere Doctores Ecclesiæ Romanæ, ut illi, quos in Ecclesiæ suæ gremium reducere volunt, *ore saltem fateantur*, dari judicem infallibilem, hocque facto ipsis relinquunt, quid de Religionis articulis, inter Pontificios & nostros controversis, velint sentire. Commemorabile hujus rei exemplum habemus in *Saurino*, olim V. D. in Helvetia Ministro, sed postea in castra Pontificiorum traducto. Homo hic in disciplinis mathematicis, Geometria inprimis erat probe versatus, eoque nomine conversionem hujus hominis laudibus multis extollunt Ecclesiæ Romanæ Doctores. Nihil, inquiunt, ingenia ejusmodi admittunt, nisi quod certis & immotis est superstructum rationibus. Quandoquidem igitur homo tam acris ingenii, relicto cœtu Reformatorum, in castra Pontificiorum transiit, necesse est Religionis pontificiæ dogmata omnia ita esse evidentia, ut vel ad rigidissimas Geometriæ leges exigi possint. Nolo hic urgere, quod homo ille non conscientiæ stimulis concitatus, aut argumentorum vi commotus, sed ob turpissima furta in Helvetia commissa, & inopiam in Galliam migraverit, seque Episcopo Meldensi *Bossueto*, qui tum temporis pro oraculo in controversiis tractandis habebatur, commendaverit. Luculenter hoc patet ex epistola ipsius *Saurini* manuscripta ad Ministrum Ecclesiæ Gallicæ Tigurinum data, & *Mercurio Helvetico*, qui *Neocomi* editur, inserta. At hoc non urgebo: perpendam duntaxat rationes, quibus homo ille inductus est, ut in gremium Ecclesiæ Romanæ sese reciperet. Extat historia hujus conversionis apud *Gayot de Pitaval*, Advocatum Parlamenti Parisiensis, in collectione, cui titulus: *Récueil des Causes célébres & interessantes, Tom. V. pag. 76. sq.* Hic narratur, convenisse *Saurinum*,

num Boſſuetum, atque in ſinum ipſius conjeciſſe dubia varia, quæ hactenus impediverint, quo minus nomen daret Eccleſiæ Romanæ. Inter illa referendum inprimis dogma de Transſubſtantiatione. De hoc, aliisque dogmatibus, *Saurinum* per integrum menſem cum *Boſſueto* acriter certaſſe, tandem vero victum fuiſſe. Argumentum autem validiſſimum, quo hominem adeo acuti ingenii expugnavit *Boſſuetus*, huc redit: Qui fatetur neceſſe eſſe, ut ſeſe adjungat Eccleſiæ Romanæ, omnes illius articulos admittere tenetur, quia abſurdum & contradictorium eſſet, Eccleſiam infallibilem admittere, & tamen decretis illius nolle ſubſcribere. O admirabilem vim veritatis! An non hoc idem eſt, ac ſi *Boſſuetus* ita allocutus eſſe *Saurinum*: Perſuade tibi *Saurine* firmiter, Eccleſiam Romanam eſſe infallibilem, & poſthac, quod lubet, poteris credere. Egregia ſane converſio, digna homine, qui nonniſi rationibus, geometricam evidentiam æquantibus, cedere ſolet! verba ipſa *Saurini* de ſua converſione, ne Lectori impoſuiſſe videar, in margine infra adducam, una cum commentariolo doctiſſimi *de la Chapelle.* (*) Aliud exemplum nobis ſuppeditat *Maimburgius.* Hic, quod quædam minus grata ſanctæ matri Eccleſiæ in ſuis hiſtoriis narraſſet, a Pontifice *Innocentio XI.* e Societate Jeſuitarum fuit ejectus. Vide autem quo animo hanc ignominiam tulerit, & qua ratione erroribus ſuis valedixerit. In *hiſtoriæ Calviniſmi* præfatione, *edit Pariſ.* A. 1682. ita loquitur: *Je ne ſens point, que ma conſcience me réproche rien ſur tout cela.* Nihil mihi conſcius ſum.

(*) Verba SAURINI ita ſonant: „ Je ne puis me réſoudre à ſupprimer un des „ raiſonnemens, dont Mr. de MEAUX ſe ſervit contre moi. C'eſt que poſé „ pour ceux, qui ſe ſont ſeparés de l'Egliſe, la néceſſité de s'y réünir; „ neceſſité que je reconnoiſſois, il y avoit de l'abſurdité à chicaner avec „ elle, & à rejetter comme erreur quelque partie que ce ſoit, de la doctri„ne qu'elle enſeigne, & dont elle exige indiſpenſablement la créance de „ ceux, qu'elle recoit, puisque par là, la réünion neceſſaire d'un coté „ devenoit impoſſible, de l'autre, ce qui impliquoit une contradiction ma„ nifeſte: je me rendis enfin, & Mr de MEAUX, content de mes diſpo„ ſitions, me récut dans le ſein de l'Egliſe. „ Poſtquam hæc verba lib. ſupra cit. pag 352. adduxiſſet doctiſſimus de la CHAPELLE, ſequentia ſubjecit: „ Il ne paroit point, par ce narré, que le nouveau converti croye au„ jourdui la préſence réelle & quelques autres choſes moins importantes „ plus fermement qu'il ne le faiſoit, étant encore Miniſtre. Il paroit „ ſeulement, qu'il ſacrifia ſes lumiéres à l'authorité, & qu'on ne lui en „ demanda pas d'avantage. Cet acte de docilité venant d'un Mathemati-

ſum. *N. S. Pére, quand même il ne prononce pas ex cathedra, a bien d'autres lumières, & d'autres vües que les miennes. Il peut voir, ce que je ne vois pas; & je veux même croire, puis qu'il le veut ainſi, que je ſuis coupable, quoique je ne ſaſche pas en quoi, & qu'il eſt maintenant bon, que je ſubiſſe avec grande ſoumiſſion la peine qu'il m'impoſe.* In antecedente diſſertatione oſtendimus, quam obſequioſo animo receperit ill. *Fenelonius* cenſuram Pontificis contra libellum; *les maximes des Saints,* editam; quodve ſibi perſuadere voluerit Archiepiſcopus, jure hoc ab eo factum, licet ſimul contenderit, ſe errorem in citato libello deprehendere poſſe nullum. An non iterum evidentiſſimum eſt, ex adductis hactenus exemplis, non magis de præcipuo hoc articulo infallibilitatis Pontificis perſuaſos eſſe Doctores pontificios quam Proteſtantes? An non hæc ipſa exempla clamant, omnes, qui examen Religionis proſcribere volunt, vim conſcientiis inferre, & hypocritas, non vero ſinceros Religionis cultores efficere? Idem ill. *Fenelonius*, ſecus ac ſenſit *Scheffenmacherus*, incredulum converſurus, ante omnia ad infallibilis judicis tribunal recurrendum eſſe ait; ſine hoc incredulum ex Deiſmo eluctari non poſſe affirmat; imo ſi erudito Eccleſiæ Romanæ Theologo fides eſt habenda, idem aſſeruit, nullum, etiam *leviſſimum articulum* Religionis admitti poſſe, niſi certum ſit ab infallibili judice eum probari; *Si dans l'analyſe de la foy Dieu ne lui* (de *Fenelonio* loquitur auctor) *garantit à chaque pas une infaillibilité ſurnaturelle, il ne croit rien.* Vide *Saurin l'Etat du Chriſtianiſme en France* p. 242. Ita ſane neceſſe eſt, ut non ſolum perpetuo infallibilitatis dono ſit ornatus Pontifex; ſed & ut ſingulis momentis in omnia viſibilis Eccleſiæ membra ſpiritus infallibilitatis ſit diffuſus, quod facile fieri poteſt, dum certum eſt, unum idemque corpus poſſe eſſe in pluribus locis ſimul. Idem denique, ne plura exempla adducam, magno

gno

„ cien eſt fort rémarquable, Il faut croire, qu'un ſavant de cet ordre en
„ ageroit de même en cas de beſoin ſur un probléme de Géometrie, &
„ plus facilement encore; parce que la conſcience géometrique doit être
„ plus ſouple que la conſcience chrétienne. Si l'Egliſe s'aviſoit donc de dé-
„ cider, que ſept & quatre ſont douze, il ſe ſoumettroit à la déciſion ſans
„ chicane & ſans reſiſtance: je le veux; mais enfin ſa ſoumiſſion ſi humble
„ & ſi docile pourroit-elle ſe nommer „ une foi ſouverainement ferme &
inebranblable, juſqu' à repandre ſon ſang? „ on le diroit & le rédiroit un mil-
„ lion de fois, qu'on ne le perſuadera jamais à perſonne.

gno conatu agit Card. *Tencinus*, in sua contra doctissimum *Courayerium* edita *Instructione pastorali*. Gallis nimirum suis, quos omnium hominum oculatissimos esse plerique hujus nationis sibi persuadent, vult ostendere, solam illam opinionem de infallibilitate Pontificis ad retundendos Jansenistas, Deistas & Reformatos, & ad tot crassos errores retinendos, anilemque superstitionem alendam, relictam esse. Sed hæc opinio, utilissima licet Aulæ Pontificiæ, hactenus tamen nonnisi adhibita omnis generis violentia commendari & obtrudi potuit; quod doctissimus *Courayerius*, in defensione suarum in *Sarpii* historiam animadversionum, ut de aliis nil dicam, egregie ostendit. Ego plane hic subscribo corollario, quod nuper Dissertationi suæ subjecit *eruditissimus mihique faventissimus vir*, C. A. *Heumannus: Courayerius* (inquit) *quas Ecclesiæ Romanæ doctrinas vel veras vel falsas esse liberrime nunc Londini pronuntiat, in notis ad Historiam Sarpianam, eas jam ipsi, cum Lutetiæ degebat, veras esse visas vel falsas, dubitari non potest. Pœnæ igitur Professoribus veritatis in Ecclesia Romana subeundæ metus, eum in patria fecit Nicodemum. Tales Nicodemos Galliam tot ferme habere, quot Viros habet ingenio pollentes & eruditione, nonnisi is dubitaverit, qui negat, plures in Gallia esse Courayerio pares & ingenio & eruditione. Apparet hinc, quod Gallia manet pontificia, ex eo fieri, quod aut Pontificium manere aut mortem vel morte graviorem pœnam subire necesse est unicuique, quodque ibi regnum Religionis habet Papa, suumque exercet, sic volo sic, jubeo.*

IX. Ostendimus in antecedentibus, opinionem Pontificiorum de via auctoritatis, virtutibus divinis, æquitati nimirum ejus, bonitati, & sapientiæ contrariam esse. Age jam ostendamus, hoc principium credendi, non solum judiciis omnium, qui ratione recte utuntur, contrariari, sed & Religionem christianam Deistarum & Gentilium ludibrio exponere, unde mirum non est, Protestantes præter alias gravissimas rationes a Papatu tantopere abhorrere. Deus mortalibus dedit facultatem, cujus ope nexum rerum & veritatum deprehendere possunt. Hanc facultatem appellant Rationem. Sine hac nullam rem expendere, nulli propositioni assentiri possunt. Ope hujus facultatis, ut aliarum multarum rerum, sic Religionis potissimum adipiscuntur cognitionem. Quo magis autem objectum contemplationis ad felicitatem nostram promovendam aliquid conferre potest, eo magis etiam ratio-

Pontificiorum, de principio credendi, ratiocinandi methodus, non solum omnium, quotquot sunt sanæ mentis hominum, judiciis est contraria, sed & Religionem christia-

nam Incredulorum ludibrio exponit.

nis vires sunt intendendæ, ad illud rite cognoscendum & ex illius contemplatione uberem fructum percipiendi. Atqui ope hujus facultatis non solum Theologiæ naturalis principia cognoscimus, sed inde etiam plurima deducimus ad vitam rite gubernandam consectaria. Cum vero cognitio hæc valde debilis esset & adhuc sit, hominesque cognitione hac sola instructi in varios gravissimosque errores incidissent, veraque falsis admista fuissent, voluntates insuper hominum non efficaci satis præsidio essent instructæ convenienter his principiis agendi, placuit Deo, singulari amore generis humani tacto, mortalibus dare Revelationem, in qua medium perveniendi ad veram felicitatem clarius ostenderetur, præstantioraque & efficaciora exhiberentur adminicula & incentiva Religionem cognoscendi & amandi. Hoc autem posito, quid magis rationi consentaneum, æquum, & justum esse potest, quam ut illi homines, quibus Revelatio illa concessa est, pro viribus eam expendant? vel num ad hoc demonstrandum magno argumentorum apparatu opus est? Certe, ut æquitatem hujus postulati probemus, non necesse est ut provocemus ad hujus vel illius sectæ Theologos, sed ad omnes omnium gentium homines, ad doctos & indoctos, Græcos & Barbaros, ad omnes denique quotquot sanæ mentis sunt. Omnes fatebuntur, necesse esse, ut si adsit Revelatio cœlitus concessa, omnes eam cognoscant & expendant, antequam pro vera Revelatione admittant. Quod si vero Doctores Ecclesiæ Romanæ audias, examen hoc Religionis non solum est non necessarium, innumeris difficultatibus obseptum, sed & periculosissimum. Tale autem judicium non potest non homines sanæ mentis offendere; non convenit enim cum sapientissima Dei voluntate, Religionemque facit merito suspectam. Ita lata porta omnibus imposturis conceditur. Quamdiu ergo Doctores pontificii huic argumento, quod strenue faciunt, inhærent, non possunt non Gentilium & Incredulorum animos a christiana Religione reddere alienos. Habent *Turcæ*, *Indi*, *Japonenses*, *Persæ*, *Tartari*, , suos summos Pontifices, a quorum sententiis nemini licet recedere. Vide testimonia collecta a *doctissimo* de la *Chapelle*, *Tom. II. p.* 174. *libri citati*, & quæ in recentissima *vitæ Schach Nadyr* bellicosissimi Imperatoris *descriptione*, de eodem argumento narrantur. Quo argumento autem probabunt Doctores pontificii, homini *Romæ*, non item in *Persia*, vel in Insula *Japan* degenti, privile-

vilegium infallibilitatis a Deo esse concessum? (*) Incredulis certe non potest non hæc infallibilitas jactata ridicula videri. Pone omnes, quotquot sunt Christiani, profiteri, dari Revelationem cœlitus concessam, quæ veritates momentosissimas complectatur; hanc solam viam monstrare perveniendi ad æternæ felicitatis possessionem, miserosque esse, qui ea destituantur: eosdem vero simul asserere, Revelationi huic fidem esse habendam sine examine, quoniam semper degant Romæ homines quidam, qui non solum confidenter contendant eam Revelationem esse divinam; sed & qui, quid in illa Revelatione alicujus pretii sit, monstrare possint; huic insuper Revelationi adjiciendas traditiones i. e. varias narrationes veterum Religionis Antistitum, scriptas pariter & non scriptas; his omnibus sine examine esse subscribendum, imo omnes articulos hujus Religionis tam excellentis veros & creditu necessarios non esse, sine auctoritate hominum illorum. An non merito ridebit ad hæc incredulus, qui audit in cœlum tolli laudibus rem non examinatam, neque diligenter expensam? Annon omnes Christianos habebit pro turba fanaticorum, quibusvis

(*) Celeb. JURIEU ostensurus, quam præpostere Doctores pontificii ex verbis Christi ad Petrum, *pasce oves meas*, *tu es Petrus*, &c. infallibilitatem Pontificum Romanorum probent, inducit *Turcam*, sic ad hæc loca excipientem; *Prejugés légitimes contre le Papisme Tom. II. pag.* 73. *Je veux qu'un Turc soit ici notre juge, afin qu'il soit libre de l'ésclavage des prejugés: qu'on lui dise d'une part; voyés moi cet homme avec sa triple couronne, qui tient en sa main les clefs de l'enfer & de la mort, qui distribue les peines & les recompenses, qui commande & qui veut être obéi de tous les hommes: & d'autre part écoutés les titres, sur lesquels il s'appuye. Je suis assuré, qu'aprés avoir oui ces textes de l'Ecriture il croira que les Chretiens auront dessein de se moquer de lui: Et où est là-dedans, dira-t-il, la ville de Rome, le Pape, le pouvoir suprême? Où sont les Cardinaux, le sacré Collége, la sainte Congrégation de sancta fide, la Cour sainte, le tribunal de toute l'Eglise & de toute la terre, le pouvoir de commander aux Rois, & d'excommunier tous les hommes? Je ne comprens pas, comment ce saint Père, à qui ces paroles ont été dites, s'il étoit vivant, pourroit fonder sur cela les prétentions d'être l'Epoux visible de l'Eglise, le Vicaire de Jesus Christ, & un Dieu*

ſomniis tanquam totidem oraculis fidem habentium? an non jure, inquiet, præſtat decreta rationis audire, quam vero in re tanti momenti ſequi ducem, cæcam obedientiam poſtulantem? Et profecto hac in parte non male ratiocinantur. Aut enim, inquient increduli, Deus non vult, ut Revelationem examinemus, vel quod facultas, quam vocamus rationem, inepta prorſus ſit, ad eam rite expendendam; aut quod res ipſæ in Revelatione contentæ ſeverum examen ſuſtinere non poſſint. Si *prius* eſt, non tantum actum eſt cum Revelatione veſtra, & neſcio quo infallibili judice, ſed & inepti ſunt Chriſtiani, qui nos adducere volunt, ut Revelationem amplectamur. Si autem facultas illa deceptrix ſit, ſi inepta plane ad examen aliquod inſtituendum, cur nobis iraſcuntur Chriſtiani, quando illi ſubſcribere nolumus, in quorum tamen poteſtate ſitum non eſt, his non aliis judicandi inſtrumentis uti. (*) Ridiculus eſſet homo ille, qui cæcum ad

en terre. Mais je comprens encore bien moins, comment l'Evêque de Rome doit entrer dans tous les prétendus droits de St. Pierre; car je n'y vois rien de commun: l'un étoit à Jeruſalem, quand ces paroles lui furent dites, l'autre eſt à Rome; l'un étoit envoyé avec droit de prêcher dans tout le monde, & celui-ci a ſon ſiége en un certain lieu; l'un avoit onze compagnons de même puiſſance & de même authorité que lui; & celui-ci eſt ſeul & unique dans ſon rang. Enfin je ne ſcai, par quelles machines & quels canaux vous voulés faire couler les privilèges & l'authorité de ce Pierre dans le Pape: Je veux bien, que vôtre ſaint Pierre ait eû tout ce que vous lui attribués, mais qu'a cela de commun avec le Pape? Confer epiſtolam nonam doctiſſimi de la *Chapelle*, ubi de eodem argumento agit.

(*) Ita ſane ratiocinati ſunt Academici, divinam Providentiam, quam Stoici aſſertam iverunt, impugnaturi, apud *Ciceronem Lib. III. de Nat. Deorum:* Duo adducamus loca: *Satis fuerit*, inquit Cotta, qui perſonam Academici agit, ſect. 69. *nullam omnino nobis a Diis immortalibus datam eſſe rationem, quam tanta cum pernicie datam: ut vinum ægrotis, quia prodeſt raro, nocet ſæpiſſime, melius eſt non adhibere omnino, quam ſpe dubiæ ſalutis in apertam perniciem incurrere; ſic haud ſcio, an melius fuerit, humano generi motum iſtum celerem cogitationis, acumen, ſolertiam, quam ratio-*

ad videndum commovere vellet, & hoc agere non valentem graviter reprehenderet: imo jure contendent, Christianos ita ratiocinando divinam accusare Providentiam, quæ mortalibus rationem dederit in rebus maximi momenti nulli usui futuram, ad mala vero perpetranda valde pronam. In memoriam hic incidit colloquium Monachi alicujus de usu rationis, habitum cum *Marschallo d'Hocquincourt*, quod apud *Evremontium* extat & P. *Baylium*. Si *postremum* verum est, suspecta merito nobis est hæc Revelatio, respondebit incredulus: nemo prudens mercem sibi comparare voluerit, quam videre & manibus contrectare non licet. Valete ergo cum vestra Revelatione. Quid aliqua cum specie veri incredulis regeri possit, si Christiani omnes ita, uti pontificii Doctores ratiocinarentur, fateor me nescire. Cum vero Doctores Ecclesiæ Romanæ hoc non obstante auctoritatem Pontificis duntaxat commendent, misso omni Revelationis examine, eo ipso incredulos adversus Religionem christianam obfirmant, eamque risui eorum exponunt. Accedit huc, quod malum auget & incredulos magis confirmat, quod nempe Doctores pontificii, viam homines de veritate Religionis convincendi commendent, quæ ab ea, quæ a Christo & Apostolis, Doctoribus infallibilibus, monstrata fuit, plane est diversa. Unde colligunt, Christianos ipsos de Religione christiana, & Auctoris dignitate non satis esse persuasos. Christum Jesum S. nostrum Soterem, infallibilem fuisse veritatis doctorem inter omnes Christianos est in confesso; Hic vero non voluit, ut discipuli sui & auditores sine examine admitterent, quæ in medium proposuit, sed ad oracula veterum Prophetarum, & ad miracula sua provocavit: vide *Joh. V:* 31. 39. 45. 47. *X:* 37. 38. *XXI:* 24. 25. *VI:* 30. *sq.* Aut igitur hodienum eadem examinis via possunt homines ad cognitionem veritatis salutaris perduci, aut non possunt. Si *prius* est, quærimus ex Doctoribus pontificiis, cur ergo homines omni virium con-

Gg 3 ten-

nem vocamus, quoniam pestifera sit multis, admodum paucis salutaris, non dari omnino, quam tam munifice & tam large dari. Et sect. 78. *Si homines rationem bono consilio a Diis immortalibus datam, in fraudem malitiamque convertunt; non dari illam, quam dari humano generi melius fuit. Ut si Medicus sciat, eum ægrotum, qui jussus sit vinum sumere, meracius sumturum, statimque periturum, magna sit in culpa.*

tentione ab hoc examine retrahant? cur in eo dissuadendo omnem ingenii & eloquentiæ vim adhibeant? cur in immensum augeant difficultates, in examine Religionis occurrentes? Si vero *posterius* est, causas reddant tandem, cur hoc fieri non possit; num mentes hominum post tempora Christi plane sunt mutatæ? num Revelatio de cultu Numinis & Soteris plane est diversa ab ea, quæ tempore Christi & Apostolorum est tradita? Quid dicendum de Apostolis sequentibus exemplum Magistri sui? Quid cogitandum de *Paulo*, qui I. *Thess. V.* 21. tanquam regulam fundamentalem præscribit: *probate omnia, NB. omnia?* Quid de *Petro*, qui I. Petr. III. 15. christianæ disciplinæ alumnos omnes promiscue hortatur, ut parati sint ad reddendam rationem spei & fiduciæ positæ in veritate Religionis christianæ? Quid de *Johanne*, qui I. Joh. IV. I. Christianos monet, ut sibi caveant a falsis Prophetis, si examen omne proscribendum est? Quid de laudibus sentiendum *Berhoensium*, Act. XVII. II. S. Literas quotidie cum dictatis Apostolorum conferentium? Quo jure toties Christus *incredulitatis* accusavit Judæos, si examen omne necessarium non est? Quid sentiendum de tot adhortationibus, increpationibus, institutionibus Apostolorum, si hæc omnia examinari non debent & vitæ attemperari? Quid sentiendum de Deo, qui contemptores Religionis æternis addicere vult pœnis, tamen simul omne proprium examen Religionis, si Pontificios audias, proscribit? Imo quid erit universa fides hominum, sine examine Religionis, quam stulta credulitas, & cultus universus quam mera superstitio? Neque contra exemplum & præcepta Jesu Christi duntaxat agunt Doctores pontificii, viam examinis proscribentes, sed & contra scopum principalem Evangelii impingunt. Præcipuus Revelationis scopus est, ut facta per Soterem redemtione homines magis magisque ad imaginem divinam formentur, atque indies in sanctimoniæ studio majores faciant progressus. Vide Pauli verba ad *Rom. XII.* I. 2. Quomodo autem hoc obtineri poterit, nisi homines probe norint voluntatem Dei in Evangelio patefactam? Vult Deus, ut homo Christianus novus evadat homo, *Ephes. IV:* 24. *Coloss. III:* 10. Quomodo autem hoc fieri poterit nisi probe cognoscatur novæ illius vitæ ratio? cur Apostoli fidelibus scientiam tandem & illuminatos mentis oculos comprecantur, *Ephes. I:* 17. 18. *Coloss. I:* 9. 10. si talis cognitio non est necessaria? Cur S. Soter illis, qui amore rerum divinarum rite cognoscendarum ardent, sibique

que

que obtemperare volunt, majorem adhuc & vividiorem rerum divinarum promittit lucem & cognitionem, Joh. VIII: 32. *si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem*; & Cap. XIV: 21. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum & manifestabo ei me ipsum.* Certissimum est neminem veri nominis Christianum esse posse, nisi qui salutari luce Evangelii ante omnia collustratus sit: an hoc autem Evangelium, ejusque principalem scopum in oculis habere poterit is, qui S. Literas ipsemet expendere, & doctrinam Jesu Christi probe cognoscere neque potest, neque tenetur? num delectari potest in cognitione rei sibi ignotæ? num crescere in cognitione voluntatis divinæ? num aliquam habebunt in animos hominum vim incentiva, ex ipsius Religionis præstantia, pretio redemtionis pro nobis factæ &c. petita, si nullam vel evanidam habeamus articulorum Religionis cognitionem? Et quid de *Paulo* asseremus, qui Coloss. III: 16. vult, ut *verbum Christi habitet in nobis abundanter in omni sapientia*, si vel solum examen Religionis adeo est periculosum, difficile, tantisque obseptum difficultatibus? Ex quo denuo sequitur, pontificios Doctores, nonnisi viam auctoritatis tanquam solam perveniendi ad cognitionem Religionis commendantes, Religionem omnem risui & contemtui incredulorum exponere.

Si via auctoritatis locum habet, non possunt homines de Religionis christianæ veritate, singulisque credendi articulis persuaderi, nisi Deus perpetua faciat miracula, quo ipso frustra datus esset generi humano infallibilis ille,

X. Contendunt Ecclesiæ Romanæ Doctores, simplices, artifices, & rusticos, de veritate rerum scitu necessariarum, ob allatas supra difficultates, persuaderi non posse: ad examen hoc instituendum eos non teneri, & judicium privati hominis, de quocunque Religionis capite, incertum esse, sine persuasione certa cum Pontificis consensu idem conspirare: ex quo necessario sequitur, necesse esse, ut Deus perpetuis utatur miraculis, ad homines de his vel illis Religionis veritatibus convincendos, quo ipso tamen posito & concesso, inutilis esset judicis illius adeo laudibus elati auctoritas. Hoc ipsum paucis ostendemus. Omnes qui Ecclesiæ Romanæ genuini filii esse volunt, duos hosce articulos necessario tenentur credere; *primus* est: dari in terris Ecclesiam aliquam infallibilem; *secundus*: Pontificem Romanum, non alium, esse infallibilem illum Ecclesiæ judicem. Ut autem primam propositionem admittant, sive ad Rationem, sive ad Revelationem, sive denique ad Traditionem recurrant, frustra sunt, quia sine examine de propositionibus illis convinci non possunt. At Religionis examen est omne proscriptum. Omnia Ecclesiæ membra

quem commendant, judex.

bra non poteſt homo veri cupidus conſulere, & ſi id facere poſſet, inutile hoc eſſet, quia privatorum ſingulorum auctoritas nil valet. Ab ore ipſius Pontificis pendere ſingulis momentis non poteſt. Quod ſi omnes per vitam ſemel Romam contenderent, ex ipſo Pontifice audituri, quid ſit credendum vel non, tum ne ſic quidem de articulis illis poſſent eſſe perſuaſi. Aut enim antequam Romam contenderent, fuiſſent de ipſius infallibilitate perſuaſi, aut poſtmodum demum. Si prius dixerint, ſtulti dicendi eſſent, qui foris quærerent, quod domi haberent. Sed nec poſſunt eſſe antea perſuaſi, quia ſive lectione, ſive inſtitutione aliena, ad hunc articulum credendum fuiſſent adducti, vana eſſet omnis perſuaſio, privatorum quippe judiciis innixa. Si vero nondum perſuaſi Pontificem ipſum coram audirent, tum aut examinanda eſſent quæ ab eo dicuntur, aut non. Si non ſunt examinanda, quæro cur ergo Romam petierint, & quomodo certa perſuaſio locum habere poſſit ſine examine? Si vero examen inſtituere velint, eo ipſo errant, quandoquidem ita contra prima præcepta ſanctæ matris Eccleſiæ agunt. Pone tamen licitum eſſe expendere, utrum ea, quæ a Pontifice dicerentur vera eſſent, nec ne; tum iterum recurrendum eſſet ad Revelationem & quærendum, utrum Pontifices tales a Deo Eccleſiæ ſint præpoſiti; utrum falli non poſſint; utrum is ipſe qui verba fundit, ex numero horum judicum ſit; utrum quæ dicit vera ſint nec ne; quo ipſo denuo in orbem redirent ea omnia, quæ ad examen inſtituendum requiruntur. Si miſſo Pontifice confugere volunt ad traditionem, ne ſic quidem quid credendum ſit, poſſunt edoceri. Duplex eſt traditio, ſecundum Pontificios, nimirum vel ſcripta vel non ſcripta. De veritate traditionis non ſcriptæ, vel oralis uti appellatur, non magis eſſe poſſunt perſuaſi, quam de quibusvis aliis narratiunculis per ora hominum ſparſis. Traditionibus ſcriptione conſignatis ſubſcribere non poſſunt homines illi, niſi traditionum illarum veritas nitatur infallibilis judicis auctoritate & interpretatione. Quemadmodum enim, ſi Eccleſiæ Romanæ Doctores audias, nulla interpretatio S. Literarum valet, niſi interpretis infallibilis auctoritate & conſenſu innixa; ita idem dicendum eſt de traditione non ſcripta. Quomodo autem homo noſter ſcire poteſt, intepretationem hujus vel illius traditionis eſſe legitimam? num homo ille adeo ſimplex probare poterit bonitatem verſionis græcæ vel latinæ? num poterit rite expendere v. gr. loca omnia e

Patrum

Patrum ſcriptis petita ad demonſtrandum, Transſubſtantiationem ab iis fuiſſe creditam, quod editis quatuor ſpiſſis voluminibus nobis perſuadere voluerunt auctores *de la perpetuité de la foi catholique?* Hæc cum ita ſint, neceſſe tandem eſt, ut ejusmodi homo, abjecta curâ omni Religionis, ad conſtantem ἐποχὴν confugiat, aut ſi amore Religionis incenſus eſt, deque illius veritate perſuaſus eſſe vult, Deus ipſe per miraculoſam quandam inſpirationem ſingulis momentis eum de his vel illis articulis Religionis convincat. *Prius* cum non concedant Eccleſiæ Romanæ Doctores, *poſterius* fateantur neceſſe eſt. Hinc & ſupra audivimus ill. Eccleſiæ Rom. Præſulem *Fenelonium* contendiſſe, neminem de quocunque articulo perſuaſum eſſe poſſe, niſi idem infallibiliter ſciat, & quidem ſingulis momentis, eum ita intellectum probari Pontifici. Quam abſurdis vero & ineptis conſectariis aſſertio illa de perpetua illa inſpiratione obnoxia ſit, nemo non videt. *Primo* enim ita inutilis redditur omnis Revelatio. Quem in finem tandem Deus humano generi voluit concedere Revelationem, ſi nullum Religionis articulum certo & infallibiliter ex ea cognoſcere poteſt, ſed perpetuis opus eſt inſpirationibus? *Secundo*, inutilis eſt ille omnium controverſiarum & Religionis judex. Quod ſi enim ſingulis momentis Deus per inuſitatam Revelationem homines de his vel illis articulis convincere debet, auctoritas hujus judicicis nulla eſt. Idem enim eſt ac ſi quis dicat, me ſine auctoritate magni Geometræ de his vel illis demonſtrationibus perſuaſum eſſe non poſſe, hanc tamen perſuaſionem ita eſſe comparatam, ut illi aſſentiri non poſſim, niſi Deus ἀπὸ μηχανῆς ſingulis momentis mentem meam ita adflet, ut certo ſciam demonſtrationes certas eſſe & immotas. *Tertio*, quod ſi perpetua adeſſet inſpiratio, nec ſic quidem, ſi principia Eccleſiæ Rom. Doctorum ſequamur, concipi poteſt, quomodo de articulis Religionis perſuaſus eſſe poſſit homo rudis, & Religionis articulorum hactenus ignarus. Pone eum ita ratiocinari: Quicquid Deus immediate hominibus revelat, illud certo credere tenentur; atqui mihi talis vel talis revelatio conceſſa; Ergo. Quomodo de majore & minore propoſitione poterit eſſe perſuaſus, ſi privatum hominis de Religione judicium valet nihil? quid reſpondebit alii reponenti, ſibi revelationem plane priori contrariam obtigiſſe? num ad revelationem confugiet? at revelatio hæc eſſet examinanda, quod tamen non licet facere genuino Eccleſiæ Romanæ filio. Ex quibus denuo

conſtat, Eccleſiæ Romanæ Doctores falſo perhibere, viam auctoritatis tutiſſimum eſſe medium, perveniendi ad ſolidam & certam de veritate Religionis perſuaſionem.

Tantum denique abeſt, ut hæc methodus Pontificiorum de via auctoritatis tutam perveniendi ad cognitionem Religionis oſtendat viam, ut potius omnes, qui eam ſequi volunt, in Fanaticiſmum conjiciat.

XI. Oſtendimus in antecedente diſſertatione, inductione multorum articulorum, quos Eccleſia Romana tuetur, eam a *Fanaticiſmo* liberam non eſſe. Cum vero Doctores pontificii pleno gutture clamitent, Proteſtantes talia principia credendi ponere, quæ *Fanaticiſmo* patrocinentur, oſtendendum eſt, antequam directe hanc calumniam refellamus, tantum abeſſe, ut hoc cum ulla ſpecie illis poſſit objici, ut potius in ipſam Eccleſiam Romanam jure meritoque poſſit retorqueri, ſive reſpicias ad eos, qui Eccleſiæ hujus decreta ſequuntur, ſive ad Pontificem ipſum, cujus ſola auctoritate Religionis omnis ſcil. veritas nititur. (*) Summa ratiocinationis noſtræ huc redit: Qui propoſitiones aliquas pro divinis habet, nixus auctoritate hominis duntaxat, quem verum dicere nulla arte ſcire poteſt, is merito pro *fanatico* habendus eſt. Atqui omnes, partibus Religionis Rom. addicti, propoſitiones, quibus abſolvitur fides catholica, admittunt tanquam divinas, auctoritate duntaxat Pontificis innixi, quem verum dicere nulla (ponimus hic, quemlibet eum coram compellare poſſe) arte ſcire poſſunt: Ergo. Major propoſitio continet definitionem *Fanatici*, quæ ab omnibus Chriſtianis, qui ſani ſunt cerebri, admitti debet. Propoſitio enim divina ſtricto ſenſu dicitur, quæ nititur Revelatione divina; quod ſi igitur quis propoſitionem aliquam pro divina admittit, quam divinam eſſe nulla ratione probare poteſt, is appellatur merito *fanaticus*. Hanc definitionem non poſſunt repudiare Eccleſiæ Romanæ Doctores, quia ea ipſa utuntur, quando nos impugnant, aſſerentes, laicos noſtros articulos Religionis pro divinis habere debere, de quorum tamen veritate, inepti quippe ad examen inſtituendum, perſuaſi eſſe non poſſint. Quæritur ergo hoc duntaxat, utrum minorem ſolide contra Doctores Eccleſiæ Romanæ probare poſſimus. Putamus autem, nos in hac ipſa diſſertatione, propoſitionis illius veritatem ita perſpicue probaſſe, ut ad ſolidam demon-

(*) Monendus eſt B. Lector hac occaſione, deceptum me fuiſſe quando pag. 191. aſſerui, Benedictum XIII. Pontificem auctorem eſſe epiſtolæ, ad Epiſcopum Sueſſonienſem datæ, de laudibus Margarethæ; Satis enim mihi jam conſtat, eam exaratam eſſe a Theologo Reformato præſtantiſſimo mihique amiciſſimo J. V.

monstrationem nil desiderari possit. Omnia huc redeunt. Credere debent fide divina Pontificii, Deum in terris constituisse infallibilem judicem, qui solus quid credendum sit, possit definire, atque decernere. Jam vero contendimus *moraliter* esse *impossibile*, ut Pontificii de veritate hujus propositionis possint esse persuasi. Fieri enim hoc deberet vel per rationem, vel per revelationem, vel per traditionem; at rationis ope nemo scit, quid Deus pro liberrima sua potestate facere vel non facere voluerit. Ex revelatione hoc constare non potest, cum quia examen Religionis secundum principia Ecclesiæ Romanæ vetitum est, tum quia omnis privati hominis persuasio, de veritate hujus vel illius Religionis articuli, sine auctoritate infallibilis judicis vana est. Traditio denique, sive scripta sive non scripta, rursus secundum Doctores pontificios valet nihil, nisi perspectum sit atque probatum, propositiones in traditione contentas auctoritate Pontificis esse confirmatas; unde igitur tandem lucem accipiet homo, qui de existentia judicis illius infallibilis vult esse persuasus? Num recurret ad præstantissimos hujus Ecclesiæ Doctores, Episcopos, Abbates, & Theologiæ Professores? Atqui hi omnes possunt errare, & judicium eorum, quantacunque sint eruditione instructi, valet nihil, quia privatorum duntaxat est? num Pontificem ipsum adibit, & ut hærenti succurrat, rogabit? At & ita frustra est; aut enim Pontifex ex ratione, revelatione, & traditione argumenta desumet, ad probandam hanc quæstionem, aut sibi credi volet sine argumentis. Si prius facit, nil valebunt omnia argumenta, qualicunque specie veri ornata, quia Pontifex ille nondum infallibilis esse ponitur, sed demum quæritur, argumentaque, quibus hanc infallibilitatem sibi concessam esse probare vult, afferre tenetur: atqui propositio talis, hominis utpote hactenus privati, nil valet; si vero credi sibi velit sine argumentis, quæro quomodo tandem persuasio hujus hominis possit esse certa? E quibus evidentissime sequitur, neminem Romanæ Ecclesiæ decreta sequentem persuasum esse posse de judicis infallibilis existentia. Cum vero hoc non obstante fide divina hoc credere teneantur omnes Pontificii, docti & indocti, sequitur mero *fanaticismo* superstructam esse Religionem universam Romanensium. Imo non tantum dicimus neminem Romanensium de hoc fundamentali, scilicet, articulo posse esse persuasum, sed ne ipsum quidem Papam sibi hoc jus ulla cum cum specie veri arrogare posse. Num enim ad hoc probandum pro-

vocabit ad Cardinales, quorum votis ad dignitatem Pontificis fuit evectus? Sed illi falli possunt. Num electio tandem ipsa probat, Cardinalem electum factum esse ex fallibili homine infallibilem Religionis judicem? at quænam tandem hæc est consequentia: certus numerus hominum fallibilium ad maximum honoris gradum evexerunt aliquem ex suo grege; Ergo homo ille factus est subito infallibilis? nova plane hic opus esset ratiocinandi arte si hoc argumentum valeret. Possunt subditi Regem creare, sed eum non possunt reddere infallibilem. Num præsidium aliquod quæret Pontifex in S. Literarum testimoniis, v. gr. in dictis Christi: *pasce oves meas; super hanc petram ædificabo Ecclesiam &c.* At ne sic quidem de sua infallibilitate certus esse poterit: *primo* enim judicat ut cæteri privati argumentari solent, quorum tamen judicium hactenus valet nihil; *secundo* ita certitudo persuasionis non inniteretur auctoritate Pontificis, sed S. Literarum, quod hæreticum esset dicere; argumentum enim hoc faceret Pontifex: Quicquid divina & infallibilis revelatio tradit, id verum est: atqui hæc in citatis locis asserit omnes Petri successores, in quorum numero ego sum, infallibiles fore judices: Ergo. Minori propositioni subscribere non poterit Pontifex, nisi major extra omnem dubitationis aleam sit posita. Quomodo autem fieri hoc potest, cum non tantum revelatio ipsa sine judicis infallibilis testimonio divina non sit, sed nulla propositio etiam ad fidem & Religionem pertinens? Non jam dicam, propositionem minorem obscuriorem esse, quam ut ex ea articulus, quo universa Ecclesia Romana nititur, perspicue probari possit. Vel quis mortalium dicet propositionem illam; *Petre, pasce oves meas,* idem significare ac hoc: *Tu Petre, Apostolorum meorum haud infime, non solum in rebus ad Religionem spectantibus infallibilis eris judex, sed & omnes Doctores, quotquot unquam Romæ docebunt, eodem erunt ornati privilegio?* Nihil igitur reliquum est Pontifici, suam infallibilitatem probaturo, quam ut ad *privatam inspirationem* confugiat. At ita omnes Doctores christiani, Gentiles, Judæi, Turcæ &c. sibi ejusmodi inspirationem tribuere possunt: Ita decipitur universa Ecclesia Romana, publice docens, persuasionem de judice aliquo infallibili non privata inspiratione, sed *ratione* & *revelatione* esse superstructam. Quomodo ipse tandem Pontifex de veritate hujus inspirationis poterit esse persuasus, cum constet, Antecessores suos, quos eodem privilegio ornatos

natos fuiſſe ſtatuere debet, ſententias foviſſe adverſa ſecum fronte pugnantes? Quibus argumentis, aliis de hac inſpiratione dubitantibus probabit, ſe minime vana opinione fuiſſe deluſum? Num poterit ad miracula & dona linguarum cœlitus conceſſa provocare? At quis neſcit his privilegiis deſtitutos eſſe omnes Pontifices? Num perſuaſio illa privata efficiet, ut infallibilis ſit interpres S. Literarum? ſed cui perſpectum non eſt, ejusmodi homines utplurimum linguarum, quibus exaratæ ſunt S. Literæ, expertes eſſe, aliisque plane negotiis vacare, quam interpretationi S. Literarum. (*) Et ſi maxime hoc facerent, non aliunde quam ex ipſa Revelatione ſuam teneretur

 proba-

(*) Damaſus v. gr. inter Pontifices non poſtremus, ignoravit ſignificationem vocis *Oſanna*, ejusque explicationem per literas ab Hieronymo petierat. Extat hæc epiſtola op. Hieron. Tom. III. epiſt. CXLIV. inter alia ſic loquitur Pontifex. *Commentaria cum legerem græco latinoque ſermone, in Evangeliorum interpretatione a noſtris, id eſt orthodoxis viris, olim ac nuper ſcripta, de eo quod legitur* OSANNA *filio David, non ſolum diverſa, ſed & contraria ſibimet proferunt. Dilectionis tuæ eſt, ut ardenti illo ſtrenuitatis ingenio, abſciſſis opinionibus ambiguitatibusque ſcrupuloſis, quid ſe habeat apud Hebræos vivo ſenſu ſcribas; ut de hoc ſicut de multis tibi curæ noſtræ in Chriſto Jeſu gratias referam.* Innocentius X. faſſus eſt ſuam in rebus theologicis ignorantiam. Loca ex diario *de St. Amour* excerpſit præter alios cl. Saurinus loco ſupra citato. *Innocent*, (inquit) *qui ſe voyant hors d'état de prononcer ſur le même ſujet* (i. e. de quinque propoſitionibus Janſenii) *montra ſon crucifix en diſant*; Voilà mon conſeil dans ces ſortes d'affaires: *mais ne ſe trouvant pas enſuite plus éclairé qu'auparavant, fit cet aveu: Je crains, diſoit ce Pontife, que cette diſcuſſion ne m'engage à de trop grandes fatigues: elle en demande de ceux mêmes qui ſe ſont appliqués de tout tems NB. à ces ſortes d'études; à plus forte raiſon m'en couteroit-elle à moi plus qu'aucun autre, parce que je ſuis déjà avance en âge; E poi, ajoutat-il, non e mia profeſſione, oltre che ſono vecchio, non ho mai ſtudiato in Theologia.* C'eſt à dire, *& puis ce n'eſt pas là ma profeſſion, outre que je ſuis vieux, je n'ai jamais étudié en Théologie.* Adde ibidem teſtimonium P. *Ubaldini.*

probare infallibilitatem. Et quem usum tandem habebit Ecclesia christiana universa ex quadam inspiratione hominis Romæ degentis? mitto alia. Ex his præter alia multa, quæ contra viam auctoritatis adduximus, satis superque patet, tantum abesse, ut illa homines ad cognitionem certam Religionis inducat, ut potius in ridiculum & ineptum eos conjiciat *Fanaticismum vel Scepticismum*. Tempus jam esset, ut partim directe probaremus, sententiam Protestantium de via examinis certissimis fundamentis esse superstructam; partim vero ut dilueremus objectiones, quas contra examen illud movere solent Ecclesiæ Romanæ Doctores; sed nolumus limites ejusmodi exercitationibus positos supergredi, huicque dissertationi hic imponimus finem.

DISSER-

****

DISSERTATIO
DE
FANATICISMO, PROTESTANTIUM DOCTRINÆ TEMERE TE FALSO IMPACTO.
DISSERTATIONIS DE PRÆPOSTERIS ADVERSUS INCREDULOS DISPUTANDI METHODIS,
CONTINUATIO PRIOR.

Thes. I.

In ultimis duabus Dissertationibus nostris, de Recentiorum Eruditorum præposteris adversus Incredulos disputandi methodis, occasione ill. *Fenelonii*, Archi-Episcopi Cameracensis, vel potius Proselyti cujusdam, ab eodem Præsule ad Religionem Romanam traducti, ostendimus; hominem hunc, qui forte nunquam per vitam Protestantium scripta theologica evolverat, audacter tamen asseverasse, se, dum ex labyrintho *Deismi* eluctari omnibus viribus laborasset, eumque in finem Protestantium dogmata examinasset, deprehendisse, ea meris *fanaticis opinionibus* superstructa esse: contra vero ea, quæ de infallibili judice a *Fenelonio* in medium fuissent prolata, ejus fuisse evidentiæ, tantaque superfudisse mentem suam, variis dubiis obseptam & agitatam, luce, ut sine ulla dubitatione in iis adquieverit, mentisque tranquillitatem reduxerit.

Scopus Auctoris & argumentum hujus Dissertationis.

Idem

Idem bonus Profelytus (*) afferuit, eos, qui principia Proteftantium circa examen Religionis fequuntur, vel in *Fanaticifmum*, vel in *Indifferentifmum*, neceffario prolabi. Duplicem hanc accufationem citato loco κατα βιαιον retudimus, oftendendo, tantum abeffe, ut hoc aliqua cum veri fpecie Proteftantibus objici poffit, ut potius illi ipfi, qui decreta Ecclefiæ Romanæ fequuntur, non poffint non in graviffimos hofce errores incidere. Notavimus fimul plures errores & ritus, ab Ecclefia Romana receptos, qui nonnifi ab iis defendi poffunt, quorum cerebrum atra bilis labefactavit. Quoniam autem Doctores Romanenfes, quorum teftimonia adduximus, eandem cantilenam femper repetunt, alienum ab officio noftro, quod gerimus, non effe putavimus, fi utramque calumniam, falfo cœtibus Proteftantium impingi, gravibus argumentis effemus demonftraturi; præfertim cum ita nobis occafio fuppeditetur, de rebus maximi momenti differendi. Eum igitur in finem in hac ipfa differtatione oftendemus, decreta Religionis, quæ a Proteftantibus traduntur, *Fanaticifmo* non patrocinari; in fequenti vero difquiremus, quo jure iidem Ecclefiæ Romanæ Doctores afferant, examen Religionis omnibus conceffum, homines in *Indifferentifmum* vel Scepticifmum præcipitare.

Quædam ad argumentum hoc elucidandum præmittuntur.

II. Antequam vero ad ipfius argumenti elucidationem accedimus, duo potiffimum neceffario præmittenda cenfemus, quorum unum ad dogmata theologica Proteftantium; alterum vero ad *Fanaticifmi* naturam fpectat. Quod ad *prius* attinet, poftulamus, ut de articulis Religionis, prouti in confeffionibus publicis & catechifmis re-

præ-

(*) De hoc hoc Viro fequentia per literas mecum nuper communicavit celeb. Tubingenfium Theologus, C. E. Weismannus, quæ Lectori haud ingrata futura confido. Auctor, inquit, biographiæ Fenelonianæ eft Ramfæus, nobilis Scotus, a Fenelonio quondam ad Rom. catholicam Religionem adductus; poftea Romæ Filiorum Prætendentis, quem vocant, Ephorus; hodie, ut ex dedicatione novæ hiftoriæ Marfchalli Turenii ab ipfo concinnatæ patet, familiaris Domus Bouilloneæ, a Duce Aurelianenfi in Equitem creatus, fcriptor denique non incelebris du voyage de Cyrus. Aliquando tamen per literas ex Hollandia edoctus fum, nunquam Deiftam fuiffe hunc Ramfæum, adeoque nil nifi fchematifmum effe, quando in citata hiftoria Fenelonii a Deifmo ad Catholicifmum converfus effe dicitur. Confirmant hæc, quæ in Diario Litterario D. Mathy referuntur, quod nimirum Auctor hic Theologiam Naturalem methodo mathematica elaboratam ediderit.

præſentantur a Proteſtantibus, judicium feratur, non vero uti ab his vel illis cœtuum horum Doctoribus tradi ſolent; æquiſſimum eſſe hoc poſtulatum ne ipſi quidem diffitebuntur adverſarii. Quemadmodum enim merito ægre ferrent Doctores pontificii, ſi ex Myſticorum quorundam, qui hinc inde in cœtibus Eccleſiæ Romanæ reperiuntur, ſententiis & opinionibus de univerſa hujus Eccleſiæ doctrina judicium ferrent Proteſtantes; ita pariter iniquum eſſet, ſi Doctores pontificii ad quorundam hominum, univerſo corpori cœtuum Proteſtantium admixtorum, & *fanaticiſmum* forte faventium opiniones, Theologiam Proteſtantium exigerent. Neque enim tales pro veris Eccleſiæ membris ab iis habentur, quamvis vel mitius, vel ſeverius, de eorum dogmatibus judicent. Quod vero ad *Fanaticiſmum* ipſum ſpectat, obſervandum, in eo definiundo non omnes inter ſe conſentire. (*) Hoc vitium tribuitur primo illis, qui rejecta omni Revelatione, neſcio cui luci internæ, a ratione omni prorſus diſtinctæ, tanquam credendorum normæ, adhærent: de his vero proprie hic ſermo non eſt, quandoquidem ipſi Eccleſiæ Romanæ Doctores haud ignorant, Proteſtantes S. Literas pro unica fidei & morum norma habere. *Fanatici* ſecundo loco appellantur, qui quidem Revelationem ſcriptam admittunt, ſimul tamen plures revelationes extraordinarias ad fidem ſalutarem ingenerandam neceſſarias eſſe contendunt, atque ad eas in examine religionis non minus eſſe attendendum, quam ad S. Literas, exiſtimant. Denique latiſſimo ſenſu *Fanatici* vocantur a quibusdam illi, qui Revelationem ſolam pro regula fidei ſalutaris habent, ſimul tamen quosdam Religionis articulos ex ea elicere, aliisque tanquam divinos obtrudere volunt, qui tamen cæteris omnibus rectæ interpretationis regulis contrarii eſſe perhibentur. Minus autem recte poſtremos hoſce *Fanaticos* vocari, ex iis, quæ infra dicentur, conſtabit. Ex ſequentibus autem patebit, qua ratione probent Doctores pontificii, vel priori vel poſteriori ſenſu ſumtam definitionem *Fanaticiſmi*, Proteſtantibus attribui jure poſſe. Haud ignoramus, hoc titulo onerari ſæpe quosdam inter Proteſtantes, qui quidem dogmata horum cœtuum acriter defendunt, ſimul tamen in actionibus ſuis ad præcepta Jeſu Chriſti conformandis ſunt cætera

(*) De aliis fanaticiſmi definitionibus, & diſcrimine Enthuſiasmi & Fanaticiſmi, vide pluribus agentem celeb. HEUMANNUM, in Poecile, ſive epiſtolis miſcellaneis ad literatiſſimos ævi noſtri Viros. Tom. I. pag. 283. ſq.

turba ἀκριβέστεροι, piisque meditationibus, precibus &c. frequentius, quam vulgo fieri solet, incumbunt. Sed hosce præter meritum in classem *Fanaticorum* referri, cordati quique inter Theologos Protestantes confitentur; neque hos potissimum vellicare volunt Ecclesiæ Romanæ Doctores, quando publice receptam Protestantium Doctrinam *fanaticismo* infectam esse probare aggrediuntur.

Protestantes admittunt omnia principia, quibus cum cœteræ scientiæ, tum vero ipsa Religio innituntur.

III. Ut autem ostendamus, Protestantes nullo jure *fanaticismi* argui posse, provocamus cum ad principia, quibus omnes scientiæ, tum etiam ipsa veritas Religionis naturalis & revelatæ innititur; hæc enim admittunt Protestantes communi consensu. Inter hæc principia prima referunt duo, quorum prius principium *contradictionis*, posterius principium *rationis sufficientis* appellatur. Secundum prius existere nihil potest, quod contradictionem involvit. Ita v. gr. impossibile est, ut idem simul sit & non sit. Hoc principium fundamentum est omnis ratiocinationis. Hoc principio utuntur v. gr. Protestantes, quando asserunt Transsubstantiationem involvere meram contradictionem, atque adeo credi eam non posse. Alterum principium vocatur principium *rationis sufficientis*. Ratio autem sufficiens est id, ex quo intelligitur, cur aliquid potius sit, quam non sit; cur sit potius hoc modo, quam alio. Licet autem illi qui ill. *Wolfii* methodum philosophandi non sequuntur, inter prima principia hoc non referant, rem ipsam tamen in dubium non vocarunt, sed admiserunt; statuunt enim omnes, quidquid sit, debere habere rationem sufficientem cur sit potius, quam non sit; cur hoc modo sit, nec alio. Admittunt insuper Protestantes generalia Theologiæ Naturalis, sine quibus veritas Religionis christianæ demonstrari non potest, capita: Docent dari Numen optimum, sapientissimum; &c. admittunt Providentiam, ad omnia maxima, medioxuma, minima sese extendentem; leges dari naturales tuentur; denique mentis immortalitatem, tanquam veritatem capitalem, unanimi consensu defendunt. Verum est, in modo has veritates probandi inter se viros doctos aliquando dissentire; at hoc non impedit, quo minus omnes in re ipsa amice consentiant. Mentem porro humanam insuper conservari (ut de aliis hujus Universi partibus nil dicam) a Deo, eamque existere & operari desituram sine auxilio Dei, affirmant omnes: non probant vero *Malebranchii* sententiam, asserentis, proprie loquendo non tam mentem agere & operari, quam Deum ipsum; quia

hac

hac ratione omnis mentis libertas, obligatio omnis, Religio denique omnis tolleretur; quod ideo monemus, quia ill. *Fenelonius* haud obscure *Malebranchii* vestigia hoc in argumento secutus est. (*) Ab hac vero senten-

(*) *Fenelonium* opinionem *Malebranchii* de causis occasionalibus probasse, non solum ex variis opusculis ab Archiepiscopo editis, sed & ex biographia *Ramsæi* clare satis patet. In ea pag. 149. mentem suam ita aperit illustris Vir: *C'est Dieu seul qui crée tout, & qui fait tout dans son ouvrage. C'est lui, présent par tout, qui donne sans cesse aux corps les formes & leurs mouvemens; aux ésprits leurs vraies lumières & leurs parfaits amours: Il rend sans cesse les uns intelligibles & les autres intelligens. C'est par lui seul qu'ils communiquent entre eux, selon certaines loix generales, qu'il a établies pour conserver l'ordre & l'union dans ses ouvrages. Les causes secondes ne sont que les simples* NB. occasions *de son action, qui nous echape à cause de sa delicatesse, & que nous attribuons faussement aux créatures & à nous mêmes, en usurpant sur les droits de la divinité. Il n'y a dans tous les êtres finis aucune ombre de vraye force, que celle de notre liberté, par laquelle nous pouvons consentir à l'action divine, qui nous éclaire, nous excite & nous meut; notre action est toujours sterile par elle même; celle de Dieu est seule productrice de toutes nos perceptions lumineuses & beatifiantes; elle est la source unique de toutes les verités & de tous les plaisirs, qui nous remuent. &c.* Manifestum est hic presso pede insistere ill. Virum vestigiis *Malebranchii*, systema causarum occasionalium tuentis. Quantis vero & quam periculosis consectariis obnoxium hoc sit, & *Fanaticismo* & *Spinozismo* faveat, nemo non intelligit, qui systema illud rite introspexit; unde nec ipsi placuit ill. *Leibnizio*, qui plures particulares sententias hujus Philosophi probare alias solebat. Vide passim *Theodiceam* ejus. Protestantes sane ab hoc systemate abhorrent. Inter fratres Lutheranos de hoc systemate ita judicat ὁ Μακαρίτης cel. *Buddeus* in *Institut. Theolog. dogmat.* pag. 439. *Si quis cuncta* (inquit) *quæ hactenus commemoravimus*, (nimirum de systemate MALEBRANCHII) *paulo accuratius consideraverit, facile animadvertet, ea admitti non posse. Si enim Deus omnia immediate efficit, nullum erit peccatum, nullumque flagitium, quod non Deus immediate, & quidem solus perpetret. Nec enim ulla*

sententia alienos esse Doctores *Protestantes* multis testimoniis posset probari. Unum tantum aut alterum adduxisse sufficiet. Nihil ergo hactenus defendunt Protestantes, quod vel umbram habeat alicujus *Fanaticismi.*

IV. Præ-

rerum creatarum, ex illorum hypothesi, pro causa haberi potest. Quod illos cumprimis urget, qui eousque progrediuntur, ut nec spiritibus, adeoque nec menti humanæ vim aliquid agendi, aut cogitationes etiam producendi, relinquant. Ergo non homo est, qui cogitat, sed Deus in homine, aut per hominem; & quando cogitationes impiæ, impuræ, blasphemæ in homine existunt, hos non homo, sed Deus ipse, & quidem immediate ac solus, producit. Non ergo homini, sed Deo jure imputabuntur, qui adeo & solus, quicquid malorum in orbe perpetratur, efficiet. Quod quidem tam absonum, tamque abominabile est, ut vel sola illius rei cogitatio impietate non careat. Non equidem ista admittunt sententiæ istius patroni, sed quo pacto evitare ea queant, non video. Præterea quicquid etiam dicunt, aut in quamcunque se vertant partem, omnia eo tandem redeunt, ut explosum dudum Stoicorum, Deum pro anima mundi habentium, errorem postliminio revocent, atque in scenam producant: hunc vero ita comparatum esse, ut non procul a Spinozismo absit, dudum Viris doctis observatum est. Confer venerandi WEISMANNI *schediasmatum academicorum partem* secundam, & *celeb.* J.Chr. WOLFII *Manichcismum ante Manichæos, pag.* 420. Inter Reformatos data opera, ut alios taceam, hoc systema impugnavit doctissimus *Jaquelot*, cum in *examine Theologiæ P. Baylii*, qui principiis *Malebranchii* ad impugnandam Religionem abusus est; tum in *conformitate rationis & fidei;* quæ vero prolixiora sunt, quam ut heic loci adduci possint. Historiam vero certaminis, occasione opinionis *Malebranchii* inter Eruditos orti, tradit *eruditissimus* & *amicissimus noster Brukerus*, in tomo ultimo præstantissimi operis, *Historiæ* nimirum *criticæ Philosophiæ.* Hæc eo fine adduco, ut pateat, qua fronte novus ille Proselytus, Protestantibus *Fanaticismum* objicere, principia vero herois sui *Fenelonii*, in cœlum tollere laudibus potuerit; quum manifestissimum sit, plures opiniones Virum in cæteris ingeniosum & illustrem comprobasse, quæ a *Fanaticismo* arte nulla liberari possunt.

IV. Præterea non solum demonstrationes mathematicas (de quibus hic dicendi locus non est) sed morales etiam, sive historicas, quæ multorum probabilium concursu comprobantur, admittunt Protestantes. Ita veritatem Religionis christianæ demonstrare solent, provocando ad antiquissimos fidelissimosque rerum gestarum testes; ad eorum qualitatem & quantitatem: ubi vero ad probandam divinam originem hujus Religionis deventum est, ex ipsa doctrinæ præstantia, miraculis, prophetiis, singulari ejus efficacia ad homines emendandos, &c. argumenta petere solent. Librorum denique, qui v. gr. Evangelistarum & Apostolorum nomine veniunt, αὐτεντίαν eadem ratione probare solent, qua id fieri debere natura rei docet. Quid in his quæso est, quod *Fanaticismum* sapiat? Non alia certe ratione veritatem Religionis christianæ probare possunt Doctores pontificii, neque ante possunt esse persuasi (ut jam quidem id probari posse ponam) de existentia judicis alicujus infallibilis, quam certum & extra dubitationis aleam positum sit, Revelationem certam esse, divinitusque nobis datam. Hinc eandem viam ingressi sunt doctissimi Ecclesiæ Romanæ Viri, v. gr. P. D. *Huetius*, aliique. (*) Veritate hac rite probata, in iis, quæ clare & perspicue in Revelatione contenta sunt, adquiescendum esse putant Protestantes, atque unam credendorum normam esse dicunt, nimirum S. Literas. Tandem regulas generales, quibus omnis interpretatio nititur, sequuntur. Has, non alias adhibere possunt Doctores pontificii: quicquid enim de suo infallibili judice garriant, necesse tamen est, ut in interpretatione S. Literarum certis quibusdam Pontifex utatur regulis, ex ipsa ratione & natura linguarum petitis. Hoc autem eosdem facere, fatebuntur omnes, qui eruditissimorum quorundam (v. gr. *Calmeti*) hujus cœtus Virorum commenta-

Protestantes admittunt principia, quibus demonstrationes morales nituntur.

 menta-

(*) Inter Doctores pontificios, qui argumentis historicis veritatem Religionis christianæ probarunt, referendus est *Dominicus de Colonia*, Jesuita Lugdunensis. Scripsit enim librum cui titulus: La Religion chrétienne, autorisée par le témoinage de anciens Auteurs Payens. Hic in præfatione fatetur, hanc methodum probandi omnibus promiscue Christianis attemperatam esse, dicens: *Je plaide ici la cause des Chrétiens en general, & mon travail interesse presque également toutes les personnes, qui ont le bonheur d'avoir ou de reconnoitre Jesus Christ pour Pére, quoiqu'ils n'ayent pas tous eû le bonheur de naître dans le sein de la même Mére.*

mentarios inſpicere dignantur. Ipſi Deiſtæ, revelationis dogmata variis argumentis impugnaturi, iisdem legibus interpretationis ſeſe ſubjicere tenentur, niſi plane velint in *Pyrrhoniorum* caſtra tranſire.

Proteſtantes unam cauſam inſtrumentalem, cujus ope divinæ pariter & humanæ res expendi ſolent, nimirum rationem, admittunt.

V. Non tantum autem admittunt Proteſtantes prima ratiocinandi principia, & generalia Religionis capita, quibus ejus veritas probatur: ſed contendunt cum omnibus qui ſapiunt Chriſtianis, nullam aliam hominibus datam eſſe facultatem, omnis generis veritates probandi, aut errores rejiciendi, quam eam, quæ *Ratio* appellatur. Hoc, ut alia mittam, vel ex eo patet etiam, quod illi, qui *Fanatici* appellantur, & in dijudicandis rebus ad Religionem ſpectantibus ad rationem reſpiciendum eſſe negant, Proteſtantibus objiciant, quod nonniſi ope rationis, debilis illius facultatis, de rebus divinis judicium ferre velint. Has facultate omnes homines pariter ſunt inſtructi, licet in aliis perfectius, in aliis debilius, ob varias cauſas vis illius ſeſe exerat. Verum eſt, videri aliquando Proteſtantes circa uſum hujus facultatis in diverſa abire, quia hoc vel illud dogma pars rationi contrarium eſſe dicit, quod altera pars negat: at ubi ad definitionem ipſius facultatis deventum eſt, uſumque, quem habet in omni vita noſtra, inter ſe non diſſentiunt, ſed λογομαχυσι, quod pluribus in *ſexta* diſſertatione de *Cauſis Incredulitatis* probavimus. Deiſtæ, ad ſua, quæ ſequuntur, principia Religionis vel probanda & confirmanda, vel Chriſtianorum articulos Religionis impugnandos, non alia quam hac facultate uti poſſunt. Loquimur autem de facultate ipſa, non vero de ejus exercitio & uſu. Idem dicendum de Doctoribus Eccleſiæ Romanæ. Præterquam enim, quod nulla veritas vel pro tali haberi, aut nullus error falſi poſſit convinci, ſine hac facultate, Doctores pontificii ipſi, cum oculos a controverſiis, quæ mutuo intercedunt, avertunt, magnifice de ratione ſentiunt. Ipſius ſane judicis infallibilis exiſtentiam alia ope quam hujus facultatis probare (ſi tamen id poſſibile ſit, de quo jam ſolliciti non ſumus) non poſſunt. Ratiocinatio generalis, qua ſuam ſententiam probare nituntur, hæc eſt: Quicquid hominum ſapientum opinione & ſententia, ad probandam tuendamque Religionem plurimum conferre, & ad controverſias, quæ occaſione variarum interpretationum Revelationis oriri poſſunt, dirimendas plurimum facere poteſt, id Deus vi ſuarum virtutum præſtare tenetur; Atqui hæc omnia efficere poteſt viſibilis aliquis & infallibilis judex generi humano conceſſus; Ergo. Sive ad ratiocinationis hujus propoſitionem *majorem*,

ſive

five ad *minorem* respicias, stare hæ non possunt, nisi confiteantur, rationem manifestissimum deprehendere nexum inter ea, quæ nos utilia generi humano esse putamus, & inter obligationem Deo impositam, eadem nobis opere ipso concedendi. Et cujus facultatis tandem, nisi rationis ope, utuntur Doctores pontificii in suis adversus Protestantes disputationibus? Nec hic ergo quicquam reperias in principiis Protestantium, quod *Fanaticismo* favere possit.

VI. Nemo insuper ignorat, Protestantes uno ore confiteri, ad Religionis christianæ veritatem vel in genere probandam, vel ad certos quosdam articulos ex Revelatione eruendos & vindicandos, opus esse accurato *examine*, quod sane *fanaticismo* plane non favet. Novimus quidem Deistas, aliosque plures ridere, quando Protestantes tanta cum confidentia afferunt, examen Religionis omnibus non solum esse permissum, sed & ex principiis suis injunctum: dicunt, verbis quidem hoc examen concedi, at vero re ipsa tolli. Examen enim hoc Religionis potissimum in eo consistere, ut nimirum S. Literas legamus, sed eo fine, ut id in iis reperiamus, quod cum opinionibus Ecclesiarum, in quibus quisque natus est, conveniat. Quicquid autem de eo sit, de quo jam non disputamus, hoc tamen concedere debent illi, qui talia objiciunt, Doctores omnes inter Protestantes in scriptis suis publicis examen Religionis quammaxime urgere, atque contendere, cuivis homini veritatis cognoscendæ cupido, ante expendendos esse Religionis articulos, quam firmo animi assensu iis subscribat. Atque hoc sufficit, ad probandum, in hoc etiam argumento Protestantes eam viam inire, quæ rationi convenientissima, a *fanaticismo* autem alienissima sit. Horum vel illorum privatorum Doctorum perversæ ratiocinandi & agendi rationes nil officiunt veritatibus, communi consensu receptis. Quod ad Pontificios spectat, notum est, eos examen Religionis non cuivis concedere, ob varia mala, ex examine hoc, ut putant, necessario oritura. Hoc ipsum autem dum pedibus manibusque agunt, cæcum adsensum probare debent, quod *fanaticum* plane est; simul tamen volentes nolentes examen hoc effugere non possunt. Multa volumina contra Protestantes in lucem ediderunt, & adhuc scribunt Doctores pontificii, eos in gremium Ecclesiæ Romanæ traducturi. Quod si serio hoc agunt, uti non dubitamus, necesse est, ut argumenta, quæ contra nos afferunt, examinemus; igitur dum volunt examen illud exo-

Protestantes nil quicquam vel admittendum vel rejiciendum in religionis negotio putant, sine examine.

sum

ſum reddere, probare illud & nobis commendare debent, quod ſane ατοπον plane eſt. Quod ſi ex noſtris ſunt, qui examen hoc qualibuscunque de cauſis proſcriptum volunt, vel imminutum, videant illi, qua ratione ſeſe contra inſultus Deiſtarum, & Eccleſiæ Romanæ Doctorum, defendant. Exulat ergo & hic *Fanaticiſmus*, cum, qui morbo hoc laborant, nil magis fugiant, quam exactum aliquod examen.

Proteſtantes, antequam ad probandam veritatem Religionis chriſtianæ animos adjungunt, characteres quosdam, ex quibus veri nominis Revelatio cognoſci poteſt, ponunt.

VII. Non ſolum vero ſolent Doctores Eccleſiarum Proteſtantium omnibus illis communibus principiis, quæ ad divinas pariter & humanas diſciplinas rite cognoſcendas requiruntur, & ab omnibus ſanæ mentis hominibus admittuntur, uti; ſed & antequam ad demonſtrationem veritatis Religionis deventum eſt, certos quosdam characteres ponunt, ex quibus veri nominis Revelatio dijudicanda eſt; quod dum faciunt, oſtendunt ſeſe a *Fanaticiſmo* eſſe alienos plane. Non animus eſt hîc ſingulos illos characteres ſingillatim recenſere, aut fuſius explicare, quia hoc ab omnibus illis, qui data opera veritatem Religionis chriſtianæ probarunt, abunde præſtitum eſt. Oſtendamus duntaxat, hanc ratiocinandi methodum rationi eſſe convenientiſſimam. Hoc ut pateat multis argumentis opus non eſt. Per ſe enim patet, neminem de Religionis chriſtianæ origine rite judicare poſſe, niſi qui antea cognitum atque perſpectum habeat, quid ſit Revelatio, & quænam ſint veræ Revelationis notæ, ut a vanis ſomniis, aut imaginationis deceptionibus ſibi cavere poſſit. Characteribus hiſce, veræ Revelationi propriis, introſpectis, manifeſtum demum erit, utrum in Revelatione Chriſtianis conceſſa notæ illæ deprehendantur, nec ne. Qui *Fanaticorum* turbæ adſcripti ſunt, loco characterum ſolent ad neſcio quam internam lucem, a ratione & Revelatione diſtinctam, provocare; hæc, ſi eos audias, compenſare poteſt & debet ea omnia, quæ alii ex characteribus, qui Revelationi veræ ineſſe debent, petere & depromere ſolent. Hi vero jure meritoque *fanaticiſmo* favere dicendi ſunt. Non poteſt enim tantopere jactata lux characteris loco eſſe, ex quo divina origo Revelationis peti poſſit. *Primo* enim illi ipſi, qui ejusmodi luce inſolita ſeſe perfuſos eſſe dicunt, nullam poſſunt definitionem illius exhibere. *Secundo* non poſſunt ſatis ſuperque ad aliorum convictionem probare, divinitus ſibi conceſſam eſſe ejusmodi lucem, cum ad rationis & Revelationis normam eam exigi nolint. Pone enim hominem, qui hoc dono ſe ornatum

natum esse perhibet, alios, ut hanc vel illam propositionem tanquam divinam admittant, adducere velle; ad hoc probandum aut utetur argumentis ex ratione petitis, aut provocabit ad testimonia S. Literarum; vel denique ad lucem illam internam a ratione & Revelatione distinctam plane confugiet. Si ad rationem & Revelationem recurrit, sententiam suam alii persuasurus, frustra erit jactata illa lux: Si vero missis omnibus argumentis ex duplici hoc fonte derivatis, ad lucem illam duntaxat provocet, omnis disceptatio erit inanis. Probandum enim erit argumentis, lucem talem sibi datam, atque adeo iterum vel ad rationem, vel ad Revelationem recurrendum. Neque enim eadem est *sensationis*, quæ *perceptionis* alicujus veritatis ratio. Vide de hoc argumento *Lokium de Intellectu humano L. IV. c. XIX.* Non diffitemur, sæpe contingere, ut illi, qui soli Revelationi, tanquam credendorum normæ inhærent, perspicuis verbis suæ persuasionis, & inde ortæ mentis tranquillitatis & voluptatis causas exponere nequeant: at ex hoc nondum sequitur, ea, quæ de sua persuasione dicunt, inter suavia insomnia, aut phantasiæ lusus esse referenda; partim quod illi, qui in rebus sacris magis sunt exercitati, hujus suæ persuasionis lætitiæque causas exponere possint; partim quod illi, qui minore rerum divinarum cognitione sunt instructi, ardenti tamen pietatis amore incensi sunt, sæpe non tam ad causas hujus persuasionis, quam vero ad tranquillitatem, quæ ex persuasione oritur, animos suos convertant; ut non dicam, doctis etiam contingere sæpe, ut mentis suæ cogitata, eaque probe pensitata, perspicuis verbis exprimere non possint. Ex quibus patet, temere eos judicare, qui omnia, quæ de *gustu spirituali* dicuntur, albis dentibus rident. (*) De characteribus

(*) Præter Deistas & profanos homines, qui accuratiore rerum divinarum cognitione destituti licet, impudenter tamen de internis motibus piorum judicare solent; huc inprimis est referendus illustris *Schaftsburius*, qui in epistola de Enthusiasmo & aliis in opusculis nimis acriter ea, quæ a Theologis de *gustu spirituali* dicuntur, impugnavit. Vide clariss. MOSHEMII *primitias Julias* pag. 57. & 58. celeb. *Pfaffii* dissert. de *præjudiciis Theologorum*; & illustris LEIBNIZII *Rémarques sur un petit livre, intitulé Lettre sur l'Enthousiasme*, quæ extant dans le *Récueil des diverses pieces sur la Philosophie, la Réligion &c.* pag. m. 245.

ribus ipsis Revelationis, quos in medium proferunt Viri docti, merito dici potest, quod sint rationi convenientissimi. Omnia summatim huc redeunt: veri nominis Revelationem nil tradere debere, quod sit vel rectæ rationi plane contrarium, vel Dei attributis adversum; eam non solum mentes hominum majore luce perfundere debere, quam quæ ex ratione sola peti potest, sed & verum medium perveniendi ad communionem Dei monstrare, majora & efficaciora subsidia & præsidia suppeditare, ad Deum rite colendum & amandum, pravosque affectus edomandos, quam quidem Theologia naturalis subministrare potest, &c. Hi characteres rationi sunt profecto convenientes, & ex ipso scopo & fine Revelationis, si quam Deus generi humano concedere velit, petiti. Certe, si ea, quæ solius rationis ope de Deo cognoscere possunt homines, loco Revelationis duntaxat fuissent inculcata, brevi temporis spatio, uti ante id factum esse novimus, tenebris fuissent denuo involuta, neque morbo gravissimo, quo conflictabatur misere genus humanum, salutaris fuisset allata medicina.

Digressio, in qua expenduntur argumenta, quibus viri docti Revelationis necessitatem probare volunt.

VIII. Iidem Theologi Protestantes non solum veræ Revelationis characteres in medium proferunt, sed & illius *præstantiam*, *necessitatem*, & *utilitatem* multis argumentis comprobare solent. Hoc loco autem, digressione facta, juvat expendisse argumenta, quibus plerique Viri docti, veritatem Religionis Christianæ comprobaturi, uti solent ad *necessitatem* Revelationis adstruendam. Mihi semper visum est, argumenta, quæ ad *necessitatem* Revelationis statuminandam a viris doctis afferri solent, nonnisi probare illius *utilitatem*. Juvat igitur paucis de hac quæstione egisse. Ut autem omnis obscuritas & logomachia evitetur, rite ponendus est quæstionis status. Non quæritur, utrum Revelationis divinitus concessæ *veritatem* sufficienter possimus probare, de quo nemo Christianorum, vere talium, dubitat: neque utrum ea Revelatio, quæ a Numine optimo nobis est data, scitu sit necessaria; non quæritur porro, utrum Revelatio, quam Deus pro amore suo, quo fertur in genus humanum, vel daturus esset, vel jam concessit, insignem eidem allatura esset *utilitatem*, de quo rursus nemo sanæ mentis dubitaverit; neque denique in controversiam venit, utrum Deus, Revelationem donando, rem fecerit suis perfectionibus convenientem. De his, inquam, nulla est disceptatio: sed hoc duntaxat quæritur; utrum certis & evidentibus argumentis

mentis adverſus Deiſtam, vel potius hominem omni Revelationis luce deſtitutum, Paganum v. gr. in India degentem, ex *ſolius rationis principiis* a priori, uti in ſcholis loqui ſolemus, demonſtrari poſſit, *neceſſe* omnino fuiſſe, ut Deus Revelationem mortalibus concederet; vel utrum hoc tantum oſtendi poſſit, nimirum ejusmodi Revelationem dare Deum *poſſe*, & ſi id præſtiturus eſſet, inſignem hominibus eam *utilitatem* allaturam, Deique eo nomine beneficentiam eſſe laudandam. *Poſterius*, non *prius*, nobis ſtatuendum videtur. Ut autem hoc pateat, primo directe quædam ad hanc quæſtionem facientia in medium ſunt proferenda; deinde argumenta ipſa, quibus Viri docti *neceſſitatem* Revelationis comprobare volunt, expendemus. Ut ſententia noſtra rite intelligatur, ſtatuendum eſt per tempus, rem eſſe nobis cum homine pagano, Revelationis omnis luce plane deſtituto, quique hactenus nonniſi conſcientiæ lumen ſit ſecutus. Ponendum inſuper in gratiam Virorum doctorum, qui *neceſſitatem* ejusmodi Revelationis comprobare volunt, hominem hunc rationem ita excoluiſſe, ut de præcipuis Theologiæ naturalis & Juris Naturæ principiis non mediocrem habeat notitiam. Quod ſi quis hunc hominem de veritate Religionis chriſtianæ convincere velit, neceſſe eſt, ut primo, quid Revelationis nomine intelligatur, *explicetur*, & ſimul probetur eam *poſſibilem* eſſe. Utrumque non adeo difficulter intelligere & admittere poterit. Si enim crediderit, Deum eſſe humani generis conditorem; Eum mentem non ſolum facultate intelligendi, recordandi, imaginandi, &c. exornaſſe; ſed & eandem, Ejusdem munificentia, animi ſui ſenſa cum aliis communicare poſſe, facile conceſſerit, Deum poſſe etiam, ſi velit, quibusdam tales inſtillare veritates, quæ hactenus fuerint ignotæ, & e rationis ſolius penu deſumi non potuerint, eosque inſuper talibus præſidiis munire, quibus adjuti alios adducere poſſint, ut quæ revelata ſint, probe intelligere poſſint. Si ulterius noſter ratiocinando pergat, atque ex Pagano illo quærat, utrum Revelatio, quæ mirum in modum mentes hominum eſſet perfectura atque emendatura, res ſit *optabilis* valde, haud facile repugnabit; cum enim maximi beneficii loco habeat, quod Deus generi humano mentem dederit, eximiis facultatibus inſtructam; non poterit non fateri, Deum inſigni quadam ratione ſuam in genus humanum benevolentiam declaraturum, ſi novam quandam lucem eidem eſſet conceſſurus. Ne gratis hoc finxiſſe videar, adducam ea, quæ *Socra-*

tes cum Alcibiade de hoc argumento fermocinatus erat, atque id eo lubentius, quod Viri docti paffim Revelationis *neceffitatem* probaturi, ad dialogum illum provocare foleant. Locus, ad quem Viri docti provocant, extat apud *Platonem*, dialogo cui titulus *Alcibiades*, qui totus eft evolvendus. Afferam tantum ea, quæ ad fcopum noftrum faciunt. Poftquam nimirum *Socrates* docuiffet, juftitiam ac fapientiam penes homines fapientes effe, fapientes vero ac juftos illos effe, qui intelligant, quid apud Deum hominesque dicendum & faciendum effet, ita pergit p. 232. juxta verfionem *Ficini*: *Cupio tamen ex Te audire, quid de iis ipfe fentias.* Alcib. *Mihi vero, o Socrates, haud fecus quam Tibi ac Deo videtur: neque enim fas effet a Deo me diffentire.* Soc. *Recordaris, dixiffe te in plurima dubitatione difcrimineque verfari, ne te ipfum falleres, cum mala quandoque pro bonis optares?* Alc. *memini.* Soc. *an vides non fatis tutum tibi effe ad orandum pergere, ne quando te Deus audiens imprecantem tua facrificia refpuat, aliud vero quiddam fortuitum reportes? Mihi ergo videtur operæ pretium quietem agere: nam oratione Lacædemoniorum propter magnanimitatem, id enim nomen honeftiffimum eft omnium, quibus infipientia fignificatur, non exiftimo uti te velle. Quare neceffe eft exfpectare, donec difcatur, quemadmodum ad Deum atque ad homines habere fe deceat.* Alc. *quando erit, o Socrates & quis Præceptor? jucundiffime enim hunc hominem, quisquis erit, agnofcam.* Soc. *Hic eft, cui tu curæ es. Verum mihi videtur, quemadmodum Diomedi Minervam inquit Homerus ab oculis nebulam abftuliffe, ut difcerneret Deum ab homine, fic & ab animo tuo prius oportere caliginem, qua nunc offunditur, auferre; deinde illa propius admovere, per quæ feu bonum quid fit, five malum, dignofcas, nunc enim impos effe videris.* Alc. *Auferat feu nebulam ille velit, five quodcunque aliud; etenim paratus fum nil penitus prætermittere, quod ille præceperit, quisquis denique fit, modo ipfe fim melior evafurus.* Soc. *Atque ille mirum in modum tibi providet.* Alc. *In illud itaque tempus hoc facrificium differre optimum fore cenfeo.* Soc. *Et recte quidem: tutius enim eft, quam tanto periculo fe fubjicere.* Alc. *Sic eft o Socrates. Interea tamen, quoniam mihi bene confuluiffe videtur, hanc tibi coronam imponam. Diis autem & coronas & reliqua omnia, quæcunque decet, tunc demum afferemus, cum diem illum adventaffe cognovero: adventabit autem quamprimum Diis volentibus.* Confer cum hoc dialogo ea, quæ a *Socrate* apud *Xenoph.*

noph. memorab. Lib. IV. pag. m. 505. de hoc argumento dicta sunt. Cum enim *Euthydemus* dixisset, se non parum negligere Deos, dolere simul, quod nullus hominum beneficiis Deorum condignas tribuere gratias possit; respondet *Socrates: Non est propterea dolendum o Euthydeme, vides namque Delphicum Deum interrogantibus, quonam modo quisquam Diis gratum faciat, respondentem, lege civitatis. Lex ver o ubique talis est profecto, ut juxta facultates quisque Deos sacrificiis placet. Quo igitur pacto aut melius aut magis pie Deos quisque honorare possit, quam eo modo quo ipsi præcipiunt? Oportet igitur non prætermisso quoquam possibili (quicunque enim id facit, negligit Deos) hoc modo Deos honorare, sperareque maxima bona ab eis. Quis namque compos mentis a quoquam alio majora speraret, quam a Diis, qui maxime nobis prodesse possunt. Hæc vero sperare ab iis oportet illum qui eis placet; ille vero eis placebit, qui quammaxime illis obediat.* Ex his locis inter se collatis patet, nihil aliud significare voluisse *Socratem*, quam hoc; nimirum debilem valde esse mortalium rerum divinarum cognitionem, atque adeo valde optandum, ut aliunde major lux adfulgeat; hæc autem cum hactenus desit, secundum oracula & leges civitatis Religionis cultum esse instituendum. Quod si vero vel maxime *Socrates* Revelationem *necessariam esse* his verbis designare voluisset, videndum adhuc esset, utrum argumentis certis hanc suam sententiam comprobare potuisset. Sed, ut dixi, ex verbis allatis nemo hoc extuderit. Et profecto impossibile est, ut quis ex eo solo, quod Deo placuerit nobis Revelationem dare, colligere possit, Deum ipsum necessitate quadam obligatum fuisse hoc ipsum præstandi. Neque enim sequitur: Hoc vel illud utile est generi humano; aut Deus hoc vel illud hominibus concessit; Ergo vi perfectionum divinarum non potuit non concedere. Hoc enim si verum esset, sequeretur v. gr. typographicam artem, ante aliquot secula inventam, utpote insignem hominibus utilitatem afferentem, *necessario vi perfectionum divinarum* indulgeri a mundi incunabulis debuisse, quod absonum est dicere. Sine dubio quicquid generi humano præstat beneficii Deus, id Deo facere dignum fuit; at nondum sequitur: Ergo præstitisse illud necessarium fuit; cum quia pro summa sua libertate agit; tum quia alia plane ratione, licet nobis ignota, mortalibus consulere potuisset. Et sane, quisquis homini pagano omni revelatione destituto ex hoc solo, quod Deus homini revelationem dare possit, quodque ea singularem

utilitatem esset allatura, persuadere vellet, necesse propterea esse, ut opere ipso talem concesserit, deprehenderet, talia ab ejusmodi homine huic sententiæ opponi posse, quæ difficulter solvi possent. Cum mundus ipse, i. e. series infinita rerum contingentium, necessario non existat, neque adeo etiam genus humanum, nemo non videt, Revelationem, quæ generi humano concessa est, bonitati unice liberrimæ & sapientissimæ Numinis adscribendam. Paganus certe primo ita ratiocinabitur: Si Revelatio plane esset *necessaria*, Deum pridem omnibus mortalibus de ea prospecturum fuisse: hujus tamen rei inter suos nulla plane a pluribus jam seculis extare vestigia; dari passim hinc inde quædam oracula, quæ tamen Religioni lucem non adferant, sed potius a quibusdam habeantur pro meris imposturis. Quod si is, qui ejusmodi hominem in suam sententiam pertrahere vult, respondeat, Deum mortalibus ejusmodi Revelationem dedisse, eumque in Christianorum manibus esse, probanda illi erit Revelationis hujus veritas & divina origo: ita vero disceptatio de Revelationis necessitate frustranea erit. Per revelationem intelligimus complexum veritatum, quæ ex principiis rationis erui non possunt; atqui homo Revelationis luce destitutus, earum ideam non habet; quomodo ergo veritatum illarum cum genere humano communicandarum agnoscet necessitatem? Profecto hic locum habet illud tritum: *Ignoti nulla cupido.* Præterea illi, qui de Revelationis necessitate disputant, Revelationis nomine eam, quæ jam quidem in manibus Christianorum est, intelligunt. In ea vero de adventu Jesu Christi, de ejus mirabili nativitate, de Trinitate, Redemtione, aliisque mysteriis, rationi inaccessis, agitur. Cum vero harum rerum notitiam habere non possit homo paganus, de necessitate etiam harum rerum cognitionem habere nulla ratione poterit. *Secundo*: Paganus noster contendet, se inter ea, quæ generi humano utilia esse possent, & inter necessitatem Deo impositam ea præstandi & exhibendi opere ipso, nullum videre nexum; neque enim id omne, quod nostra opinione utile esse posset hominibus, Deum propterea continuo id præstare teneri. Deus, inquiet, potuisset dare hominibus mentes majori luce perfusas, quam quidem jam sunt instructi; posset omnia mala, bella v. gr. pestes &c. prohibere: potuisset corpora ita formare, ut nullis morbis essent obnoxia, multaque alia præstare, quæ homines, sui amore abrepti & præsentibus non contenti, optare solent; hoc tamen non

obstante

obſtante, manifeſtum eſſe, talia à Deo conceſſa generi humano non fuiſſe: hinc manifeſto ſequi, non omne id, quod nobis utile videtur, Deum præſtare debere. *Tertio.* Contendet inſuper idem, homines, ſi iis, quæ conceſſæ ſunt, facultatibus uti rite vellent, ſi pravas animi cupiditates comprimere, & pro modulo cognitionis Deum colere, ſatis ſine nova luce felices futuros eſſe. Duo potiſſimum ſunt, quæ Pagano huic regeri poſſent. *Primum* eſt: Revelationem longe majora commoda atque bona afferre, quam quidem is jam hoc in ſtatu ſibi repræſentare animo poſſit. *Secundum:* Chriſtianos de divina origine Religionis chriſtianæ perſuaſos, hoc ipſo ſatis probare poſſe, *neceſſitatem* & præſtantiam Revelationis. At reſpondebit ille; *primum* nihil aliud probare, quam hoc: nimirum Revelationem, ſi quam Deus generi humano liberaliter eſſet conceſſurus, utilem quammaxime futuram: *ſecundum* vero, etiamſi extra dubitationis aleam poſitum eſſet, non Revelationis *neceſſitatem*, ſed *beneplacitum* divinum commonſtrare, quod his, non aliis populis hoc beneficium præſtare voluerit; neceſſe igitur eſſe, ut miſſa omni diſputatione de neceſſitate, vel non neceſſitate Revelationis, inquiratur, utrum chriſtiana illa Revelatio vere talis ſit, nec ne.

Elucidatur hoc argumentum ulterius.

IX. Hoc autem, quod hactenus oſtendere elaboravimus, magis patebit, ſi argumenta, quibus viri docti utuntur ad probandam neceſſitatem Revelationis, ulterius expendemus. Solent nobis viri docti ob oculos ponere miſerandam conditionem hominum Revelationis luce deſtitutorum, nimirum horrendam rerum divinarum ignorantiam, craſſiſſimam ſuperſtitionem, cultum Deorum infamem, ineptas Poetarum de Diis opiniones, ſacrificulorum fraudes & impoſturas &c. His malis medelam attuliſſe Religionem chriſtianam omnibus in locis, in quibus ſparſa fuerit cœleſtis doctrina: ex quo patere exiſtimant, quam *neceſſaria* fuerit Revelatio. At 1) hæc non probant, quæ probanda eſſent. Neque enim ſequitur: Deus, amore hominum quorundam ſingulari tactus, conceſſit Revelationem, cujus ope rectius de Deo ſentiunt, Eumque caſta & pura mente colere poſſunt; Ergo *neceſſe* eſt, ut Deus miſeris mortalibus in genere Revelationem communicet. Hoc tantum ex dictis infertur, Revelationem quam Deus pro infinita ſua bonitate quibusdam indulgere voluit, ſingularem adferre *utilitatem*, nebulasque errorum diſpellere; de quo nulla eſt controverſia. 2) Si ex eo, quod hominum Revelationis luce deſtitutorum plane

con-

conditio misera est, necessario sequitur, Deum oportuisse iis Revelatione occurrere; tum quæro, quare ergo Deus, exceptis Judæis, per quatuor mille annos homines, in crassissimam idololatriam & omne vitiorum genus prolapsos, Revelatione destituerit? Dicent, necessariam quidem esse Revelationem, Deum autem pro arbitrio suo & bonitate, hoc, non alio tempore, his, non aliis populis& nationibus Revelationem tradere voluisse. Sed hæc ipsa responsio probat, non ex natura Dei, vel virtutum divinarum decentia sequi, *prorsus necesse* esse, ut Deus homines Revelationis luce perfundat. Si enim id esset, ad omnes sese extenderet, omnique loco & tempore ea inter mortales fuisset distribuenda. (*) 3) Experientia constat, hodienum longe maximam generis humani partem crassissima rerum divinarum ignorantia laborare, innumerosque homines superstitione tetra esse contaminatos. Itinerariorum scriptores non possunt satis deplorare Gentium quarundam cæcitatem. Quod si ratiocinatio virorum doctorum valeret, necessum dudum fuisset, & adhuc esset, ut Revelationem illam concessisset, cujus ope e tantis tenebris eluctari possent, quod tamen

(*) Eruditissimus *Clarkius* in demonstratione existentiæ Dei &c. Tom. II. pag. 268. argumentationem hanc probat. Postquam enim necessitatem vel utilitatem potius Revelationis aliquot rationibus probasset, hæc addit: *Vû donc le grand nombre des defauts & des necessités, qui se rencontrent dans l'homme, considerant d'un autre coté la bonté & la misericorde infinie de Dieu, la droite raison nous dicte, & la lumière naturelle nous donne tout le sujet du monde de croire, que Dieu ne laissera pas le genre humain privé pour toujours d'un sécours si necessaire. Il ne s'ensuit pourtant pas de là, comme quelques uns se le sont imaginés, que Dieu soit dans l'obligation de se révéler lui-même de la sorte. Car si Dieu étoit tenu de le faire, il auroit dû se révéler à tous les peuples de la terre, & dans tous les siécles: & la Révélation de sa volonté seroit une chose, à laquelle on auroit pû pretendre de droit, & qu'on auroit pû demander comme une chose dûë; au lieu que c'est une affaire de Bonté, dont nous sommes uniquement redevables à ses misericordes infinies.* Assertum hoc *Clarkii* contra *Tyndalum* tuetur & vindicat doctissimus *Fosterus* in defensione Revelationis adversus *Tyndalium* edita, pag. 89. sq. editionis germanicæ.

tamen ipſum non fieri in propatulo eſt. Voluntati igitur liberæ Dei, ejusque bonitati in ſolidum tribuendum, quod quibusdam lucem illam divinam conceſſerit, ex qua rectius poſſint cognoſcere voluntatem Numinis. *Alterum* virorum doctorum *argumentum* petitum eſt ex fluctuationibus veterum Philoſophorum de Dei natura, Ejus exiſtentia & providentia, legibus item naturalibus & immortalitate mentis, quarum tamen veritatum cognitione Theologia naturalis abſolvitur. Ex hoc colligunt, *neceſſum* fuiſſe, ut Deus generi humano majora, ad cognoſcenda hæc Religionis capita, adferret præſidia. At niſi me omnia fallunt, ex argumento hoc nil aliud, quam hoc colligere poſſunt; nimirum pleroſque mortales ſiniſtris de Religione opinionibus fuiſſe captos, culturamque rationis turpiter neglexiſſe: Deum vero pro infinita ſua bonitate quibusdam largitum fuiſſe Revelationem, cujus ope ea, quæ difficilius ſolius rationis ope cognoſcere poſſunt, facilius longe non ſolum percipiant, ſed & pleniorem accipiant de veritatibus maximi momenti notitiam; ut de ſubminiſtratione eorum, quæ nulla arte per rationis leges addiſci poſſent, jam taceam. At hoc Religionis revelatæ probat *utilitatem*, non *neceſſitatem*. Docet inſuper experientia & Revelatio, pauciſſimos mortalium, qui Revelatione deſtituebantur, & adhuc eadem carent, omnibus viribus connisos fuiſſe, ut ad ea, quæ de rebus divinis cognoſci poſſunt, attenderent. Paulus certe, ut de teſtimoniis, quæ ex hiſtoria eccleſiaſtica & philoſophica peti poſſunt, jam nil dicam, ad Rom. cap. I. & II. teſtatur, Gentilibus τὸ γνωςὸν τȣ̃ Θεȣ̃ notum fuiſſe, & legem cordibus eorum fuiſſe inſcriptam, i. e. cognitu facilem; eosdem tamen lucem illam dignam non habuiſſe, ad quam attenderent; eamque ob cauſam in omne nefas effuſos fuiſſe. Ex quo ſane potius quis colligeret, indignos eſſe hos homines accepta luce, quam vero, ut novis eosdem mactaret beneficiis. Cum vero multis poſtmodum, non obſtante illa cordis perverſitate, Evangelii lucem conceſſit, divinæ id miſericordiæ & bonitati in ſolidum eſt tribuendum. Denique, ut alia mittam, notum eſt, vitia æque, imo magis officere ſaluti hominum, quam errores; notum inſuper Chriſtianorum plerorumque vitam, non obſtante Revelatione, quam in manibus habent, eſſe depravatiſſimam; pauciſſimos de divina origine Religionis chriſtianæ eſſe perſuaſos: innumeros peſtilentibus opinionibus eſſe imbutos, &c. Quod ſi argumentatio virorum doctorum valeat, *neceſſe eſſet*, *ut*

Deus nova & insolita Revelatione iis consuleret. Dicent; jam adesse Revelationem, quam legere & expendere possint. Quid si vero multi id nesciant? Quid si prohibeantur scripta illa evolvere? Quid si paucissimi ad eam lucem oculos aperiant? Quid si vitam ad eam non componant, vel etiam aperte eam impugnent? an non horum respectu perinde est ac si Revelatione essent destituti? an non, si virorum doctorum ratiocinandi methodum sequamur, colligendum esset, *necesse* plane esse, ut Deus novis & insolitis plane mediis uteretur, ad hæc mala tollenda & Revelationi jam datæ novum præsidium conciliandum? Verbo ut absolvam, soli Dei misericordiæ tribuendum, quod Judæis & Christianis dederit Revelationem, ex qua omnes, qui eam rite consulunt, & ad eam actiones suas exigere volunt, cognoscere possunt, quæcunque ad veram felicitatem consequendam facere possunt: minime autem ex adductis virorum doctorum argumentis effici potest, homines Revelationis luce destitutos, solius rationis auxilio cognoscere posse, necesse esse prorsus, ut genere humano Revelatio concedatur. Quod si quæras B. Lector, quem in finem hæc quæstio in medium fuerit proposita, dicam tribus verbis. Nimirum existimo, & ni omnia me fallunt, jure existimo, in tractandis controversiis magni momenti omnia illa esse resecanda, quæ ad quæstionis statum elucidandum vel decidendum nil faciunt, præsertim si animadvertamus, non solum nobis rem esse cum adversariis, quibus nec ingenium neque eruditio deest; sed & nos præposteris argumentationibus, adversariis viam elabendi, multasque in medium proferendi difficultates, quæ solvi haud facile possunt, suppeditare. Ita enim fieri solet, ut unicum contemplationis objectum, in quo oculos mentis defigere deberet adversarius, sensim sensimque e conspectu discedat. Puto igitur sufficere, ut, qui Religionis christianæ veritatem & divinam originem probare aggrediuntur, ostensa Revelationis *possibilitate* & *utilitate*, quam habitura esset, si Deus talem communicare vellet, characteribusque Revelationis nobis indultæ repræsentatis, missa disputatione de Revelationis *necessitate*, ad argumenta, quibus veritas hæc probanda est, sese accingant. Ne cui tamen, quæ diximus (quod evenisse non semel expertus sum) παράδοξα esse videantur, celeberrimorum ætatis nostræ Theologorum testimoniis sententiam meam confirmabo. *Celeberrimus Halensium Theologus* S. J. *Baumgarten*, in Dissertatione sua de *Scriptura S.* ita mentem suam de hoc argu-

mento

mento pandit, dicens: *Studiosius hic elaboraremus in discutienda & asserenda hac Revelationis divinæ necessitate, si operosa illa demonstratione opus esset, aut eandem breviter disputari, imo NB. ad certitudinem omnino perduci posse existimaremus, quod nondum a nobis impetravimus. Sicut enim in demonstranda existentia alius cujusvis rei contingentis, exempli gratia Satellitum Jovis, aut Democratiæ quarundam civitatum per ambages iretur, si disputatio a necessitate illius existentiæ alte repeteretur, quæ longe facilius feliciusque sine illa instituitur; ita etiam longissimis his circuitibus, effugiorum plenissimis, supersedere possumus in demonstranda existentia Revelationis divinæ in Literas relatæ, sine ulla formidine argumentationis nostræ ita debilitandæ, de cujus robore nil detrahitur hoc viæ compendio. Præterea amplior illa comparatio esse debet quam plerique putarunt, qui hunc lapidem volverunt. Omnis enim Theologiæ naturalis ambitus percurrendus est, neque unius alteriusve Philosophi, inprimis antiquioris, effata ut rationis oracula excitanda sunt; sed singulæ doctrinæ eo pertinentes, una cum rationibus, quibus innituntur, ponderandæ, ut his suum ex æquo statuatur pretium, & discrimina opinionis ac scientiæ, conjecturarum, verisimilitudinum & certitudinis indubiæ ubique perspiciantur. Neque finem propositum in hoc negotio quisquam assequetur, nisi hæc duo simul egerit, ut* primum *ex ratione demonstret, has illasve doctrinas hominibus Deo fruituris necessarias omnino esse; neque quemquam iis carere posse sine felicitatis æternæ jactura, atque* postea *evincat, illas doctrinas non solum demonstratas nondum esse, subductis argumentorum omnium in medium unquam prolatorum rationibus, verum etiam demonstrari non posse. Atque si hoc agitur, NB. ut quod res est fateamur, admodum veremur, ut labor facile bene sit cessurus.* Quo enim *quis rigidior in posteriore examine demonstrationum jure suo esse voluerit, eo difficilius in priore negotio aliis, sibique satisfaciet, ex sola ratione rigorose demonstraturus, omnes illas doctrinas, quæ rationem superant, verbi gratia, de trinis in Deo personis, imo etiam de necessaria nobis expiatione vicaria, adeo esse necessarias & omne oppositum ita excludere, ut insufficiens sit omne systema doctrinarum sanctiorum, ad animum adversus Deum determinandum & salutariter emendandum, quod iis destituitur. Tantum certe accedit certitudinis demonstrationibus harum doctrinarum ex rerum natura desumtis, quantum roboris inesse putatur priori demonstrationi necessitatis earundem, quæ ex ratione plane non potest*

 evinci,

evinci, si quod posterius negotium postulat, ipsæ hæ doctrinæ natura non sunt parabiles. Quicquid igitur de hac necessitate Revelationis *asseruimus, ultra probabilitatem non assurgere largimur. Insufficientia vero Theologiæ naturalis, & singularis præstantia revelatæ, tunc demum certa & indubia evadet, si hujus divinitas aliunde evicta fuerit.* Ita cl. *Baumgarten.* Huic succedat vir maximi nominis & celebritatis J. C. *Moshemius.* Is in præfatione utilissimo libro *Dittoni* de resurrectionis Christi veritate, in germanicum idioma translato, præmissa, sic de hoc argumento disserit: *Wann ich sagen darf vvas ich gedenke, so halte ich nicht davor, dass es entvveder sehr nüzlich oder höchst nöthig sey, den Anfang des Streits mit denen Leuthen, die man Deisten nennet, von der Nothvvendigkeit einer Offenbarung zu machen. Diese Art von Leuthen raümet uns ein, das ein Gott sey; und ich glaube dass sie gleichfals zugeben vverden, dieser Gott könne sich, vvenn er vvolle, denen Menschen anders, als durch die Vernunft, offenbaren. Was bleibet also zvvischen uns und ienen zu entscheiden übrig? Nichts als dise Frage: Ob es Gott gefallen und beliebet habe sich durch gevvisse Leuthe, die er als seine Botten und Knechte abgesandt, denen Menschen näher zu erkennen zu geben? Können vvir dieses ervveisen, können vvir zeigen, das eine Religion in der Welt sey, die unbetrügliche und gevvisse Kennzeichen einer gottlichen Offenbahrung an sich hat, so haben vvir gevvonnen und der Streit ist zum Ende. Man vvürde rasend handeln, vvann man nicht ehender glauben vvollte, als bis man einen langen Bevveiss von der Nothvvendigkeit einer Offenbahrung gesehen, nachdem es ausgemacht vvorden, dass vvürcklich eine Offenbahrung vorhanden. Hiesse der nicht thöricht, der nicht eher glauben vvollte, dass die Sonne, deren Strahlen und Licht er siehet und fühlet, da vväre, bis man ihm bevviesen der Erdboden brauche eine Sonne? Könnten vvir hergegen nicht bevveisen dass eine Offenbahrung auf der Welt vorhanden, an deren Unbetrüglichkeit kein kluger zvveifeln könnte, so vvürde es uns vvenig helfen, vvann vvir gleich darthäten, dass das Elend der Menschen einer Offenbahrung bedürfe. Es folgt nicht, dass die Sachen allezeit da sind, die man für nöthig erkennet. Man überführe daher einen Unglaubigen zuerst von der Wahrheit und Göttlichkeit der Religion unsers Heilands.* In eandem sententiam propendunt Viri doctissimi; J. A. *Ernesti*, Professor Lipsiensis clarissimus, in dissertat-

ſertatione de neceſſitate Revelationis divinæ; *Ribovius* in ſchediaſmate academico, in quo probat Revelationem ex ratione probari haud poſſe; cl. denique *Stapferus* Theologiæ polemicæ Tom. I. Cap. III. pag. 266. (*)

X. Antequam vero ad examen rationum pervenimus, quibus cum Deiſtæ, tum pontificii Doctores probare annituntur, methodum Proteſtantium, ſua decreta probandi, fanaticam eſſe, aut doctrinam ſaltem, quam tuentur, a vitio hoc non eſſe immunem; oſtendemus, neque Deiſtas ſua decreta demonſtraturos, aut fidem chriſtianam impugnaturos, neque cæteros Chriſtianos omnes, Religionis chriſtianæ dogmata probaturos vel vindicaturos, aliam ratiocinandi

Neque Deiſtæ ſua principia, neque Chriſtiani cæteri alia methodo veritatem Religionis vel in ge-

(*) Juvat igitur hic memorabili exemplo *Regis Siamenſis* oſtendiſſe, quid plerique Pagani de Revelationis neceſſitate judicent. Hic enim Rex non ſemel a *Ludovico XIV. Rege Galliæ* per Legatos ad amplectendam Religionem chriſtianam invitatus, tale dedit reſponſum: *Je m'étonne que le Roy de France, mon bon Ami, s'intereſſe ſi fort dans une affaire, qui régarde Dieu, où il ſemble, que Dieu même ne prenne aucun intérêt, & qu'il a entierement laiſſée à notre diſcretion. Car ce vray Dieu, qui a créé le ciel & la terre, & toutes les créatures, qu'on y voit, & qui leur a donné des natures & des inclinations ſi differentes, ne pouvoit-il pas, s'il eût voulu, leur inſpirer les mêmes ſentimens pour la Religion, qu'il faloit ſuivre, & pour le culte qui luy étoit le plus agréable, & faire naitre toutes les nations dans une même loy. Cet ordre parmi les hommes, & cette unité de Religion dependant abſolument de la providence divine, qui pouvoit auſſi aiſément l'introduire dans le monde que la diverſité des Sectes, qui s'y ſont établies de tout tems, ne doit-on pas croire, que ce vray Dieu prend autant de plaiſir à être honoré par des cultes & des cerémonies differentes, qu'à être glorifié par une prodigieuſe quantité des Créatures, qui le louent chacune à ſa maniere? Cette beauté & cette varieté, que nous admirons dans l'ordre naturel, ſeroient-elles moins admirables dans l'ordre ſurnaturel, ou moins dignes de la ſageſſe de Dieu? Voyés le Pere Tachard, Voyage de Siam; Tom. I. Lib. V. pag.* 231. *ſq.* De judicii hujus veritate vel potius falſitate alibi nobis differendi dabitur occaſio.

nere, vel certos articulos in specie demonstrare possunt, quam ea quam sequuntur Protestantes.

nandi methodum sequi posse, quam eam, quam commendare solent Protestantes; ex quo sequitur, aut omnes, quotquot Religioni sive Naturali, sive Revelatæ subscribunt, *fanaticismi* postulandos esse; aut Protestantes pariter esse absolvendos. Deistarum, ut notum est, variæ sunt classes, de quibus jam quidem dicendi locus non est. Ponamus nobis jam quidem rem esse cum iis, qui generalia Theologiæ naturalis de Dei existentia, providentia, legibus naturalibus, immortalitate mentis &c. capita admittant: hæc principia firma esse non possunt, nisi generalia ratiocinandi principia, quæ a Protestantibus adhibentur, & quæ supra in medium protulimus, ipsimet sequantur. Utendum certe erit facultate illa communi, id est ratione, ad expendendam Religionem; statuendum nihil absonum, contradictorium, vel divinis virtutibus contrarium, tanquam propositionem vere divinam admitti posse: ad demonstrationem capitum Theologiæ naturalis certa quædam principia ex Metaphysica sunt repetenda. Hanc autem methodum pariter sequuntur Protestantes. Quod si Deistæ christianam Religionem impugnare volunt, vel ex certis rationis principiis, vel ex ipsa Revelatione, argumenta petere debent, ad suas opiniones stabiliendas. Iisdem vero etiam principiis ad probanda sua dogmata insistunt Protestantes, & auxilio eorum argumentis argumenta opponunt. Quod si ad reliquos Christianos v. gr. *Socinianos*, *Pontificios*, *Græcos* &c. progrediamur, patebit, eosdem eadem incedere via. *Sociniani*, uti ex primo capite Catechismi Racoviensis patet, probaturi Religionem Naturalem & Revelatam, cum ad rationis principia, tum ad testium qualitatem & quantitatem, ad miracula Christi & ejus Resurrectionem provocant. Ubi ad hos vel illos articulos singillatim probandos deventum est, non aliud medium relictum esse sibi vident, quam rationis & Revelationis usum. Pontificios non aliam viam inire posse ad probandam veritatem Religionis christianæ, vel ex sola Demonstratione Evangelica ill. viri P. D. *Huetii*, ut de aliis Ecclesiæ Romanæ Scriptoribus nil dicam, satis superque patet. Verum est eosdem, Religionis suæ articulos probaturos, ad infallibilem aliquem judicem, & vicarium J. Christi visibilem, cujus auctoritate Revelationis & singulorum articulorum credendi stet veritas, provocare: verum iidem de articulo hoc primario neminem sanæ mentis persuadere possunt, nisi vel ex principiis rationis, vel ex perspicuis S. Literarum testimoniis, præsidia petant ad hoc præstandum;

hinc

hinc etiam, ut notum est, ad id probandum utuntur argumentis, vel ex convenientia virtutum divinarum, vel ex locis S. Literarum petitis. Ex recentissimis controversiarum tractatoribus, *Mabisius* Gallus veritatem Religionis Romanæ solius S. Scripturæ testimoniis aggressus est probare; quo cum successu, jam non quæram. Ostendimus & nos in tribus ultimis nostris dissertationibus, de recentiorum quorundam præposteris adversus incredulos disputandi methodis, post alios viros doctos, necesse esse, ut Pontificii decreta Religionis suæ statuminaturi, aut Protestantium argumentandi methodum sequantur, aut in castra vel *Fanaticorum* vel *Scepticorum* transeant. Quod si ad Traditionem scriptam provocent, decretis Ecclesiæ Romanæ velificaturi, ex antiquis monumentis, secundum rectæ interpretationis regulas, præsidium causæ suæ quærere tenentur. Unde etiam passim commentarii virorum hujus Ecclesiæ doctissimorum, Patrum scripta explicantium, ejusmodi interpretationibus pleni sunt. * Iidem peri-

(*) Ex recentissima controversia de invocatione Mariæ, in Urbe Salisburgensi inter viros quosdam doctos & inter Monachos superstitiosos mota, patet, eruditos Ecclesiæ hujus viros de usu Patrum tantum non per omnia idem sentire ac Protestantes. In examine enim hujus controversiæ, ubi ad Patrum testimonia deventum erat, sequentes viri illi docti canones observandos esse monuerunt. Primo: *In rebus ad fidem & Religionem spectantibus summa est S. Literarum auctoritas, ita ut Patres, si his contradicant, audiendi non sint.* Secundo: *Minus propriæ & circumspectæ Patrum quorundam loquendi rationes admittendæ non sunt, aut receptis veritatibus anteponendæ.* Tertio: *Si quis Patrum errorem commiserit, & a S. Literis & antiqua Ecclesia recesserit, excusari is quidem potest; neque tamen ex iis, quæ attulit, theses theologicæ conficiendæ sunt.* Quarto: *Si quis antiquorum Patrum sibimet ipsi contradicere videtur, videndum utrum alibi data opera rem ipsam tractaverit, & sufficientibus locis Scripturæ comprobaverit.* Quinto: *Multi Patrum etiam ante seculum* sextum *circa plurima loca S. Literarum, pio quidem animo, rejecto sensu grammatico, mystica interpretatione perperam* usi sunt. Vide de hac controversia recentiore memoratu digna *Acta Ecclesiast.* partes XXXVI. & XXXVII. Inprimis evolvendus liber, qui hunc titu-

periculosum plane esse docent, fidem antiquissimorum monumentorum, ad Religionem pertinentium, impugnare, aut in Manuscriptis corrigendis nimium sibi concedere. (*) Hinc etiam publice conatus audaces *Harduini* improbare valde solent doctissimi hujus cœtus Viri. De græcis tandem Scriptoribus idem dici potest. Quantum ex libris ab iisdem editis constat, Revelationis veritatem iisdem argumentis, quibus Protestantes utuntur, probare solent. Quod si sint aliæ minores familiæ inter Christianos, quæ Religionis dogmata, auxilio nescio cujus lucis, a ratione & Revelatione distinctæ, probare velint, Protestantes causam eorum non tuentur, sed ab iis sese alienos esse & voce & scriptis testantur. Ex quibus omnibus colligimus, Protestantium methodum Religionis veritates probandi, genuinam esse, atque adeo frustra & falso ipsis etiam hoc nomine *fanaticismum* exprobari.

Examinantur rationes, quibus Deistæ probare volunt, Christianos omnes, Revelationi tanquam divinæ subscribentes, fanaticos esse.

XI. Accusantur autem *Fanaticismi* Protestantes non solum a Pontificiis, sed & a Deistis. Juvat igitur præcipuas utrorumque expendisse rationes. Primo agemus de Deistis. Solent illi homines plurima contra Revelationis veritatem & divinam originem Religionis christianæ in medium proferre, quæ, quia diligentissime a viris doctis sunt excussa, hic adducere nolo, eorum duntaxat, quæ ad scopum nostrum faciunt, rationem habiturus. Hoc ex scriptis omnibus horum hominum patet, eos omnes, qui Revelationi subscribunt, pro *Fanaticis* habere. Quibus rationibus autem hoc probent videndum. Dicunt nempe hi homines, præcipua Christianorum dogmata & fidei articulos inniti mysteriis, v. gr. Incarnationis, Trinitatis, Satisfactionis Jesu Christi, Resurrectionis ejusdem &c. Talia autem mysteria credere *fanaticum* esse, quia mysteria omnia res sint plane *inintelligibiles*. Ex his mysteriis tamen peti præcipua ad pietatem motiva; rationi vero contrarium, imo *fanaticum*

lum habet; *Αδεισιδαιμονος φιλορωμαιυ vindiciæ adversus Sycophantas Juvavienses. Operta* quæ *fuere, aperta sunt: patent præstigiæ. Plaut. captiv. Act. III. Sc. 3. v. 8. Coloniæ apud Petrum Marteau* 1741. Legendæ etiam celeb. *Muratorii*, Bibliothecarii Mutinensis, epistolæ doctissimæ, hac occasione scriptæ, & citatis Actis insertæ.

(*) Legantur partis sextæ cap. V. VI. & VII. Vindiciarum veterum codicum, Auctore Domino Petro *Constant*; & ejusdem viri docti Vindiciarum manuscriptorum codicum tria priora capita.

cum plane esse, actiones suas componere velle ad res, quæ plane intelligi non possint. Idem esse, ac si quis inter articulos fidei referat, dari circulum quadratum, & ex eo nescio quæ consectaria eliceret. Provocant in specie ad multas phrases, & dicta N. Testamenti, in quibus, si eos audias, talia pietatis incentiva adducuntur; quæ revera intelligi non possunt. Hinc fieri, ajunt, ut illi, qui ad pietatis, qualem deposcit Religio christiana, studium animos adjiciunt, imaginationis lusus & rerum non intelligibilium confusos conceptus, pro nescio quibus operationibus Dei habeant: interrogatos enim de veritate persuasionis, qua se instructos esse dicant, nescio ad quas *vividas sensationes* provocare, quæ tamen nonnisi phrasium quarundam in speciem sublimium, revera autem nihil significantium, interpretatione innitantur, in quibus homines male sani cerebri tanquam propositionibus claris adquiescant, & in normam cultus divini eas convertant. Deistarum contra principia esse clara & intelligibilia; motiva ex iisdem petita, certa; cultum Numinis ad hæc principia exactum, rationi convenientissimum esse.

Ut ad has objectiones respondeam, *primo* fundamenti loco pono, possibilem esse Revelationem, seu ut clarius loquar, posse Deum cum hominibus quibusdam veritates, quas solius rationis ope consequi non possent, communicare, ita quidem, ut illi non tantum eas intelligant, sed & aliis sensum earum tradere possint. Deistarum est ostendere, impossibile plane esse, ut talis communicatio fieri possit, quod præstari ab iis posse negamus. Impossibilitas enim illa vel a Deo, vel a subjecto, id est homine, desumenda esset. Atqui neutrum probari potest. Non *prius*; quia facile concipi potest, Deum omnipotentem ita mentes hominum posse fingere, vel adficere, ut propositiones quasdam, rationis ope non eruendas, intelligere tamen possint. Non *posterius*: quia homines ejusmodi veritatum intelligendarum capaces sunt. Neque propterea, quod ignoretur modus, quomodo nimirum Revelatio illa fiat, res ipsa est in dubium vocanda, quia ex hoc inumera sequerentur absurda: v. gr, negandum esset Deistis, mundum existere, quia nesciunt, quomodo ille e nihilo sit productus, vel si materiam etiam æternam esse perhiberent, quomodo illa ita fuerit formata sine potentissimi & optimi Numinis consilio & opera, ut hoc, non aliud mundi systema prodiret: negandum esset ipsos loqui posse, quia ignoramus qua ratione ad nutum voluntatis nostræ

tot ſeſe præſentes ſiſtant ideæ, voces item & phraſes, ut plura exempla non adducam. Pone hominem diſciplinarum mathematicarum hactenus prorſus ignarum, ſubito facultatem conſequi, intelligendi maxime ſublimia hujus ſcientiæ decreta, ita quidem ut nonſolum omnia explicare & demonſtrare, ſed & cauſas, præſentibus viris harum rerum peritiſſimis, dare poſſet, cur has vel illas veritates & demonſtrationes veras & certas eſſe ſibi firmiter perſuaderet: pone jam circumſpectis omnibus explicari non poſſe, qua ratione hic homo abſque inſtitutione ad tantam cognitionem pervenerit; num propterea res ipſa eſſet in dubium vocanda, licet mille teſtes adeſſent, qui perſpectum probe haberent, hominem illum ante paucos dies ne quidem prima elementa hujus diſciplinæ intellexiſſe? Non putarim. Atqui ſimile quid contigiſſe Apoſtolis feſto Pentecoſtes, ex hiſtoria evangelica novimus. Incipiebant hi homines, hactenus nonniſi ſermonis patrii gnari, novis ſubito linguis uti, & ſermone perſpicuo τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ deprædicare; audiunt eos homines dialectis variis utentes & ſtupent; præſentes ſunt teſtes numero plures, qui familiariter iis utebantur, atque probe cognoſcebant, antea illos dialectorum illarum expertes fuiſſe. Pone jam neminem miri illius eventus cauſas exponere, aut oſtendere poſſe, qua ratione Deus facultatem illam his hominibus infuderit, num propterea manifeſtiſſimæ experientiæ eſt contradicendum & res ipſa, certa ſatis & manifeſta, inficienda? Non crediderim. Neque igitur ex eo, quod modum conceſſæ hominibus Revelationis ignoremus, ſtatuendum, eam fieri non poſſe. Quærendum igitur duntaxat, utrum perſpicuis argumentis demonſtrari poſſit, Deum cum his vel illis hominibus veritates ejusmodi novas communicaſſe. Dicent forte Deiſtæ, nos hic tanquam pro certo ponere rem fuiſſe vere geſtam, Apoſtoloſque hanc facultatem fuiſſe conſecutos, quod ipſimet infitientur. Verum quidem hoc eſt: at hic non quæritur de veritate rerum geſtarum, quas extra dubitationis aleam poſitas eſſe credimus, ſed de intrinſeca rei poſſibilitate duntaxat agitur, quam ſi admittunt, obtinuimus quod volumus. Neque igitur neceſſe hoc loco eſt, ut veracitatem primorum teſtium probemus.

Secundo, fatemur in hac Revelatione præter veritates quasdam ſolius rationis ope cognoſcendas, præter hiſtorias, præcepta, promiſſiones

promiſſiones &c. reperiri quædam myſteria, i. e. veritates ex rectæ rationis legibus non eruendas, quas obſcure intelligimus; ea tamen nonſolum verbis diſertis, tanquam fidei articuli in Revelatione deſignantur, ſed & cum univerſo corpore Religionis chriſtianæ ita cohærent, ut iis negatis corruat, neceſſe eſt, integrum ſyſtema diſciplinæ chriſtianæ. Ponimus jam quidem pro vero, quod data opera fuſe a viris doctis probatum eſt, in libris potiſſimum N. Teſtamenti univerſam Chriſti diſciplinam contineri; hinc ipſa jubet æquitas, ut ſecundum genuinas vocum & phraſium ſignificationes, quæ ita traduntur, explicemus: nam ſi pro lubitu vim phraſium vellemus mutare, nonſolum fruſtra data eſſet omnis Revelatio, ſed & nullius auctoris ſententiæ & opiniones in his vel illis libris expoſitæ cognoſci poſſent. Si quis v. gr. *Platonem* evolvit, multa deprehendit cognitu facilia, quæ a quovis lectore græcæ linguæ gnaro facile poſſunt intelligi: at ubi in *Timæum*, *Philebum*, aliosque dialogos incidit, reperiet multa, quæ haud facile intelligat: nullus autem ſanæ mentis interpres contendet, hæc quæ obſcuriora in his dialogis ſunt, & difficulter intelliguntur, vel *Platoni* adjudicanda, vel talem interpretationem eſſe dandam, quæ neque ex vi vocum & phraſium, neque ex univerſa diſciplina platonica, alibi ſatis explanata, erui poſſent. Non quæritur hic utrum hæc ſublimiora capita Platonis vera ſint, & rationi conſentanea, de quibus multa dici poſſent: ſed utrum quilibet ſcriptor, & ita etiam *Plato*, non ſit interpretandus ſecundum leges, quas omnes illi admittunt, qui verum ſenſum ſub verbis latentem pandere volunt; quod nemo ſanæ mentis inficias iverit. Idem ergo dicendum, ubi ad explicationem Revelationis deventum eſt; in ea enim, præter multa cognitu facilia, traduntur quædam δυσνόητα, v. gr. aſſeritur colendum Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; Chriſtus Jeſus appellatur Deus; Deus manifeſtatus in carne; Deus benedictus in ſecula; Idem θεάνθρωπος pro nobis dicitur mortuus; Eidem attribuuntur nonſolum nomina, ſed & opera divina, cultus &c. Idem poſt mortem pro nobis obitam in vitam dicitur revocatus, & in cœlos ſublimis abiviſſe &c. Hæc, aliaque, perſpicuis verbis in libris N. Teſtamenti traduntur, adeo quidem, ut ſine violentia alium illis ſenſum tribuere non poſſis: unde ſequitur, in nativa verborum ſignificatione eſſe ſubſiſtendum, licet illud quod ſub verbis

latet, liquido a nobis non intelligatur. Quod si enim ea, quæ de Trinitate, ενσαρκωσει τȣ λογȣ, Ejus satisfactione &c. in N. Fœderis libris traduntur, velis tollere, & alienum sensum verbis clarissimis affricare, nonsolum peccas contra genuinæ interpretationis leges, sed & tale systema exhibes, quod a disciplina christiana plane abhorret, & cum iis pugnat, quæ diserte & constanter a Scriptoribus N. Testamenti traduntur. Sume v. gr. in manus Apostolorum epistolas; deprehendes eos nonsolum frequentissime ad ea dogmata, quæ mysteria appellamus, provocare, ex iisdem incentiva ad pietatem petere, sed & eos, qui talibus articulis subscribere nolunt, inter eos referre, qui veram & salutarem Religionis a Christo traditæ ignorent naturam & indolem. Recte igitur & convenienter rationi agunt Christiani, dum fatentur, in Religione christiana inter alia etiam tradi mysteria. Novimus quidem *Socinianos* aliam ingredi viam, eaque omnia, quæ de mysteriis dicuntur, plane alium in sensum torquere. At si hæc methodus valet interpretandi, quidlibet ex quolibet scriptore poterit extundi, & ita omnes interpretationis leges inutiles erunt. Ita poterit quis hanc methodum sequens, *Senecam*, *Antoninum Philosophum* & *Arrianum*, nobilissimos Philosophiæ stoicæ explanatores & defensores ita interpretari, ut in iis κυριας δοξας Epicuri reperiat, licet scriptores illi a decretis hujus Philosophi plane abhorruerint. Quam inepta vero sit hæc Socinianorum methodus pluribus viri docti ostenderunt. Vide *Illustr. Tillotsonii Serm. Sacr. Vol. VI. Serm. XLVI.* & ibi laudatum *Stillingfleetum*; celeb. *la Croze* in *Dissertationibus de rebus varii argumenti*, gallice scriptis, ut alios taceam. Hoc unum igitur quæritur, utrum ea, quæ a nobis appellantur mysteria, cum rectæ rationis decretis conciliari nulla ratione possint, utpote manifestissimam contradictionem involventia: de quo jam est dispiciendum.

Tertio. Contendunt Christiani omnes, si Socinianos excipias, mysteria in Sacris tradita obscure quidem cognosci, simul vero negant, ea esse ἀσυςατα. Ubi in antecessum monendum, nos loqui de mysteriis prouti illa in Sacris Literis, non vero in *Patrum* & *Scholasticorum* veterum & recentiorum libris repræsentantur. Fatemur, multa de his argumentis passim fuisse scripta, quæ rem per se cognitu difficilem, obscuriorem potius quam clariorem effecerint: notæ sunt lites virorum doctorum de sententiis *Antinicano-*

rum

rum & *Postnicænorum* Patrum circa hoc argumentum ; pugnæ item de voce ὑποςασις, ὁμουσια &c. Sacrarum igitur Literarum auctoritate duntaxat, verbisque, quibus usi sunt Scriptores Sacri de hoc argumento differentes, nititur nostra de mysteriis sententia. Hæ autem tradunt, unum esse numero perfectissimum & summum Numen; quod cultu divino sit prosequendum ; hæ ipsæ tamen simul disertis verbis docent Patrem esse Deum, Filium esse Deum, & Spiritum Sanctum esse Deum ; ex hoc colligunt Christiani, dari in infinita Dei natura quandam distinctionem : hanc veteres & recentiores Theologi voce ὑποςασεως & personæ designare voluerunt: hinc contendimus tres esse personas divinas. Dicimus igitur & defendimus, (ut verba τȣ Μακαριτȣ celeb. J. A. Turrettini in Dissertat. de veritate Religionis christianæ mea faciam) *unum* esse Deum, quemadmodum recta ratio & Scriptura evidenter docent. At vero eadem Scriptura duce, agnoscimus in Christo, Domino nostro, θειον τι, divinum principium, Dei λογον, Dei *Verbum*, *Rationem*, *Sapientiam*, uno verbo, plenitudinem Divinitatis, quam in eo *corporaliter habitasse* ab Apostolo affirmatur ad Colos. II. 9. Agnoscimus etiam divinum principium, quod in Prophetis & Apostolis operabatur, & fideles omnes dirigit, quod vocatur *Spiritus Sanctus*. Duo autem principia & inter se & a *Deo Patre* distingui, docente Scriptura scimus ; quomodo distinguantur, tacente Scriptura, ignoramus. Iterum dicimus ; *unicus est Deus*, unica divina essentia ; neque ab hoc principio certissimo ac momentosissimo dimoveri nos unquam patiemur : sed unus ille idemque Deus certo modo subsistens dicitur mundum condidisse ac administrare, & hic est *Pater* : certo modo subsistens dicitur in Christo apparuisse, hominesque redemisse, & hic est *Filius* : certo modo subsistens dicitur Prophetas & Apostolos adflasse, atque in fidelibus operari, & hic est *Spiritus Sanctus*. Sic distinguimus, præeunte formula Baptismi, aliisque Scripturæ locis: quanquam nescimus, tacente Scriptura, nihilque de his docente ratione, in quo præcise distinctio illa sita sit. Ita *celeb. Turrettinus*. Quanquam autem hæ voces naturam rei, de qua agitur, non satis explicent, servari tamen possunt, cum quia nulla vox est, quæ clarius rem exprimat, tum quia termini, communi Christianorum consensu recepti, temere mutandi non sunt ; quanquam eum, qui rem ipsam in Sacris traditam, i. e.

mysteria ipsa admitteret, simul vero verbum personæ, scrupulo conscientiæ delicatioris commotus, usurpare nollet, exagitandum non esse putarim, dum Theologi ab omni heterodoxiæ suspicione alieni, in explicatione mysterii Trinitatis eas voces omitti posse asseruerunt. (*) Patri, Filio, & Spiritui Sancto, uti diximus, in S. Literis

(*) Ne cui hæc gratis dixisse videar, adducam quædam Theologorum Protestantium de hoc argumento effata. Inter Theologos Reformatos ita de hoc argumento disserit ὁ Μακαρίτης cl. *Gürtlerus*, *Institut. theolog. pag. m.* 65. *In veteri Ecclesia* (inquit) *disceptarunt, an Patrem, Filium & Spiritum Sanctum conveniat appellare tres hypostases? cujus rixæ originem Melanchton bene ad ingeniorum petulantiam retulit. Latini negarunt, condemnantes Græcos, qui sic loquebantur, & per ὑπόστασιν personam intelligebant. Etiam de personæ vocabulo lusere, quotquot infitiati sunt Deum esse Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. Ast rem qui tenet, de vocabulo non morose disputat.* Inter fratres Lutheranos sic mentem suam exprimit celeb. *Buddeus*, *Theolog. dogmat. pag.* 302. *Si quis in re ipsa consentiat, solis autem vocibus offendatur, & adeo ex imbecillitate quadam eas admittere, aut usurpare nolit, eum ideo neutiquam statim ceu hæreticum condemnandum aut rejiciendum censeo. Præeuntes hic nobis habemus concilii Alexandrini An. CCCLXIII. congregati Patres, quos inter ipse Athanasius erat. Cum enim Paulini pariter & Meletii sectatores de usu sensuque vocum οὐσία & ὑπόστασις inter se non convenirent, in ipsa re tamen consentirent, ut ipsis vocibus nonnisi necessitate quadam urgente uterentur, decretum fuit. Quo ipso innuebant, a vocibus seu terminis aliquem abstinere posse, si modo de re ipsa sentiat recte; idque σοφῶς judice Sozomeno: ἐν μάλα σοφῶς μοι δοκοῦσιν ὁρίσαι, μὴ ἐξ ἀρχῆς ἐπὶ θεοῦ τούτοις χρῆσθαι τοῖς ὀνόμασι; prudenter admodum mihi videntur decrevisse ubi de Deo sermo est, non esse statim his nominibus utendum; Hist. eccl. Lib. V. cap. XII. Multo minus existimandum, ad salutem prorsus necessarium esse, ut aliquis hasce voces profiteatur. Plurimi inter eruditos etiam sunt, qui illarum significationem ignorant, tantum abest ut ab hominibus plebejis rudibusque literarum hoc exigi queat.*

Literis tribuuntur nómina divina, attributa divina & opera, cultus denique divinus: unde colligunt Christiani merito, Patrem, Filium,

queat. Huic adjungendus est *celeb. Pfaffius*, qui pag. 146. Institut. suarum theolog. prudenter & candide nonsolum mentem suam aperit de his vocibus, sed & plures inter suos adducit, qui in eandem concesserint sententiam. *Mysterium Trinitatis* (inquit) *idea quadam reali & adæquata comprehendi nescit. Hinc rectissime illi faciunt, qui in re minus evidente in nudis sacrarum Literarum terminis, relictis humanæ sapientiæ verbis, adquiescunt. En vero quid hic ajat Lutherus noster, qui de ὁμουσίῳ hæc verba contra Latomum, Theologum Lovaniensem, quem in arce Walburgensi scripsit, Tom. II. Lat. Witteb. f. 252. ponit: Quod si audit anima mea vocem homousion & nolim ea uti, non ero hæreticus. Quis enim coget me uti, modo rem teneam, quæ in Concilio per Scripturas definita est? Et si Ariani male senserunt in fide, hoc tamen optime, sive bono sive malo sine exegerunt, ne vocem profanam in regulis fidei statui liceret. Scripturæ enim sinceritas custodienda est, nec præsumat homo suo ore eloqui aut clarius aut sincerius, quam Deus elocutus est ex ore suo. Qui verba Dei non intelligit in rebus Dei per se loquentis, non credat se intellecturum verba hominis de rebus alienis loquentis. Nemo melius loquitur, quam qui optime intelligit. Quis autem res Dei intelligit melius quam Deus ipse? Imo quantum est id, quod homo intelligit de rebus Dei? Nec male etiam adeo N. Hunnius in Epitome credendorum Cap. V. f. 79. Es ist einem billich frey zu stellen, ob er wolle diese Art zu reden (in dem einigen göttlichen Wesen sind drey Personen, oder der einige Gott ist in Personen dreyfaltig) welche im Streit mit dem Ketzern bishero sind geführet worden, gebrauchen, oder einfaltig dabey bleiben, dass er spreche:* Der einige wahre Gott ist der Vater, Sohn und Heil. Geist. *Cujus sententiæ suæ S. 88. causam dat Hunnius. Dieweil diese Art zu reden (von der heiligen Dreyfaltigkeit, oder den dreyen Personen in Gott) in der heiligen Schrift nicht zu finden seye.* Eandem sententiam calcat *Abraham Calovius Tom. I. op. Antisocin. fol. 280. in parasceve refutationis Crellianæ, ubi ait,*

Filium, & Spiritum Sanctum, tanquam Ens summum esse colendum. Quaeritur igitur hoc unum, utrum ea, quae de hoc argumento dicuntur, sint ἀσύστατα, adeoque Christiani his articulis subscribentes pro meris sint habendi *fanaticis*. Hoc autem fieri posse negamus. Ad demonstrandum, hanc vel illam propositionem contradictoriam esse, necesse omnino est, ut terminos ipsos intelligamus, i. e. ut sciamus quid subjecti, quid praedicati nomine veniat: sine hoc enim ostendi non potest, utrum aliquis sit inter subjectum & praedicatum nexus, nec ne. Ita si dicatur dari circulum quadratum, continuo hoc fieri non posse animadvertimus, quia claram quadrati & circuli habemus notionem. Ita si Pontificii asserunt, unum idemque corpus eodem tempore in pluribus simul posse esse locis, facile deprehendo, hoc ἀσύστατον esse, quia quid unum, quid plura, quid corpus sit &c. facile intelligo. Quando vero Christiani dicunt, tres esse Personas divinas, & unum tamen esse Numen, non eadem ratione argumentari possunt dissentientes, quia illi ipsi, qui *Personae* vocabulo utuntur, fatentur, se vocem hanc non eo sensu usurpare, quo id communiter fieri solet. Sed dicunt adversarii; Pater ex mente Christianorum est substantia, Filius est substantia, Spiritus Sanctus est substantia: aut ergo fatendum est tres dari divinas substantias; aut tria posse esse unum & unum tria, quod ἀσύστατον: prius cum concedere nolint Christiani, necesse esse ajunt, eos posteriori explicationi subscribere. At negant Christiani voce

cit, se aperte profiteri, nos nullam moturos controversiam super terminis istis ecclesiasticis, essentia, persona, modo Sociniani nobiscum unam eandemque amplecterentur fidem de Deo Patre, Filio & Spiritu Sancto, quae verba in Consid. Arminianismi pag. 103. *defensum it.* Denique & *Spenerus de aeterna divinitate Jesu Christi, cap.* I. *sect.* 29. 30. *pag.* 28. 29. *Hannii mentem sibi induit. Nostram vero nuper in dissertatione de articulis fidei fundamentalibus jam declaravimus, quae huc vergit, voces istas ἀγράφους haud necessarias ad articuli hujus explicationem esse, etsi orthodoxo sensu adhiberi possint.* Hactenus excellent. *Pfaffius.* Conferatur inter nostros oratio cel. *Zanchii*, qui de hoc argumento post compositum inter ipsum & Marbachium dissidium, prudentissima suppeditat consilia.

voce *persona* idem denotari ac voce substantiæ. Substantiam vocant Ens per se existens, id est nulli alii subjecto inhærens, uno verbo individuum aliquod; at negant Patrem sine Filio & Filium sine Spiritu Sancto subsistere posse: Ergo saltem, inquient, nesciunt Christiani quid dicant, cum perhibent tres dari personas divinas. Respondemus, nos cognoscere de hoc argumento, quantum satis est. Novimus esse Numen perfectissimum; novimus Numen illud esse colendum; novimus Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum Deum appellari, atque adeo in natura divina aliquam locum habere distinctionem sed illius rationem non satis constare; putamus igitur in obscuriore hac cognitione esse adquiescendum, cum quia in infinita natura Dei possint plura esse, quæ nobis ignota sunt; tum quia Revelatio omnibus characteribus originis suæ divinæ instructa, non per multas & obscuras consequentiarum ambages, sed clarissimis verbis, mysteria hæc tradit; neque a nobis postulat, ut rem ipsam clarius, quam quidem id per Revelationem factum est, cognoscamus: ut jam non dicam, argumento huic constare posse suum pondus, etsi vox persona omittatur. Idem dictum velim de natura τῆς ἐνσαρκώσεως, & satisfactionis, ab eodem Sotere præstitæ; quicquid hic difficultatis est, ex obscuro vocis *persona* significatu oritur. Sufficit Christianis scivisse, Christum Deum esse, manifestatum in carne eum in finem, ut pro nobis mortem obiret, hacque, non alia ratione, nos Deo conciliaret: unde simul patet, quid ad objectionem Deistarum, supra allatam, respondendum sit. Nimirum contendunt, *fanaticum* & ineptum esse, in numerum articulorum creditu necessariorum referre tales propositiones, quæ ne ab eruditis quidem, nedum a plebe intelligi possint; atque hanc potissimam causam esse, quod Religioni christianæ nomen dare non possint. Non inquiram jam, utrum eo potissimum nomine adducantur increduli, ut Religionem christianam repudient. Hoc unum moneo, recte & convenienter rationis præceptis agere & ratiocinari Christianos, quando contendunt, in obscuriore cognitione mysteriorum esse adquiescendum. Cum enim certis firmissimisque argumentis de Religionis christianæ veritate sint persuasi, necesse est, ut ea admittant, quæ perspicuis verbis in illa Revelatione contenta sunt. Cumque videant, inter principalia capita christianæ disciplinæ referri doctrinam de redemptione Jesu Christi, eam vero

rite intelligi non posse, nisi ea, quæ de Christi persona, natura & officiis in ea traduntur, simul admittantur, aut omnem Revelationi huic deberent fidem detrahere, idque, quod summam facit & medullam Religionis, tollere, aut concedere, in Revelatione tradi mysteria, iisque tanquam articulis a Deo nobis concessis & præscriptis esse subscribendum. Nihil hic deprehendimus a ratione alienum vel fanaticum; imo potius eorum, quia talia nobis objiciunt, ratiocinandi methodus inepta videtur. Nimirum præcepta quædam Religionis christianæ omni attentione digna esse judicant; recteque facere Christianos contendunt, quod ea magnifaciant; simul tamen postulant, ut ea, quibus totum fundamentum Revelationis innititur, & sine quo Revelationis illius naturam intelligere non possumus, abjiciant. Hoc vero idem est, ac si quis homini, amore Philosophiæ Stoicæ vel Platonicæ incenso, persuadere vellet, ad cognoscendas rite disciplinas illas sufficere, si quis ea firmiter teneat, quæ omnibus Philosophis sint communia; ea vero decreta, quibus superstructæ sunt horum Philosophorum sententiæ, imo quæ efficiunt, ut quis propter ea admissa *Stoicus* vel *Platonicus* appelletur, prorsus abjiciat.

XII.

Examinantur ulterius objectiones Deistarum.

Ex thesi, *quarto*, antecedente jam patet, quid ad reliquas objectiones Deistarum sit reponendum. Nimirum clamant, ex rebus plane ignotis, imo inintelligibilibus, nulla ad pietatem incentiva depromi posse; hoc tamen fieri cum ab ipsis Apostolis, tum ab omnibus Christianis in universum. At 1) sumunt hi homines, quod demum probandum esset, nimirum mysteria in S. Literis tradita esse contradictoria. 2) Mirum est, incredulos ad ea duntaxat motiva provocare, quæ ex mysteriis desumta sunt, non vero ad ea etiam, quæ ex perfectionibus Dei ejusque beneficiis, in eadem Revelatione, quæ ab omnibus sanæ mentis hominibus intelligi probe possunt, animos convertere. Videantur de hoc argumento, ne prolixior sim in locis illis adducendis, *celeb. Werenfelsii binæ meditationes*, de *Zelo nimirum in S. Scriptura ubique conspicuo pro una Dei gloria*; & de *Incitamentis ad virtutem in S. Scriptura propositis.* 3) Negamus incentiva ad pietatem, in Revelatione adducta, peti ex ipsa mysteriorum, quatenus illa nobis cognita non sunt, natura. Constabit hoc, si unum alterumve exemplum adducamus. Ita notum

notum eſt, Apoſtolos, Religionis chriſtianæ veritatem comprobaturos, animos Chriſtianorum ad omnis generis virtutes deamandas inducturos, & adverſus quævis pericula ingruentia obfirmaturos, ad reſurrectionem Jeſu Chriſti provocare. vide Act. III. 15. 1. Petr. I, 3. 1. Cor. XV, 19. 20. 2. ad Timoth. II, 8. Rom. VI, 4. atqui quid ſit vita, quid ſit mors, quid revocatio ex morte in vitam, ſcimus, licet modum, quomodo mortuus in vitam revocetur, ignoremus. Sic quando ad amorem Dei Servator noſter nos excitare vult, Johannis Cap. III, 18. non ad *filiationis*, vel generationis æternæ *naturam* provocat, ſed ad miſſionem ipſius in carnem, beneficiorumque exinde emanantium præſtantiam. Quando Paulus 1. Cor. VI, 20. vult, ut Chriſtiani & mente & corpore Deum glorificent, ad redemptionem Chriſti provocat, non vero ad id, quod Deum impulit, ut hac non alia ratione hominibus viam ad veram felicitatem perveniendi parare voluerit. Taceo alia loca. 4) Confundunt increduli ſemper id quod *obſcure imperfecteque* cognoſcimus, cum re prorſus *inintelligibili*, aut cum eo quod plane ἀσύστατον eſt. Nemo Chriſtianorum dixerit, credenda eſſe ἀσύστατα, niſi excipias Pontificios, (quanquam & illi transſubſtantiationem pro myſterio venditare velint) de quorum tamen ſententia proprie hic non agitur. Sed hoc duntaxat aſſerunt, tradi verbis planiſſimis, & quidem hinc inde per univerſam Scripturam quædam dogmata, quæ imperfecte valde, & obſcurius cognoſci atque intelligi poſſint; ea tamen admittenda eſſe, non quod naturam eorum habeamus cognitam, ſed quod Deus ἀψευδὴς nobis in Verbo ſuo eadem revelaverit. Cumque Chriſtiani ab una parte de Religionis chriſtianæ divina origine ſint perſuaſi; ab altera vero probe norint, quam pauca nos homunciones perfecte cognoſcamus, & quam multa in ipſa Natura reperiantur myſteria, ad quæ ingenii humani vis pertingere non poteſt, recte ſe facere exiſtimant, ſi in Revelatione cœlitus nobis data adquieſcant. 5) Sed pergimus ulterius, atque dicimus, ſi imperfecta cognitio dogmatum Religionis impedit, quo minus incentiva ex iis petita aliquid valere poſſint, ad cultum Numini præſtandum, nonſolum actum erit cum Religione chriſtiana, ſed & inutilis plane erit ipſa Theologia naturalis, quod tamen contrarium eſſet principiis eorum quibuscum jam quidem nobis res eſt. Diſputamus enim hic adverſus id incredulorum genus, qui Theologiæ

logiæ naturalis principia theoretica & practica admittunt, simul tamen contendunt cultum Christianorum *fanaticum* esse, quia innitatur persuasione certorum quorundam mysteriorum, quæ nulla ratione possint intelligi. Contendimus autem eos, qui ita ratiocinantur, bellum Religioni omni apertum indicere. Age ostendamus hoc paucis. Cultus omnis Numinis nititur cognitione attributorum divinorum; primum autem quod præstandum est ei, qui Deum colere vult, hoc est; ut nimirum persuasus sit Deum existere. Hæc ergo prima propositio probanda; dari causam aliquam rerum omnium necessariam, a mundo plane distinctam. Ex hac thesi; datur Ens necessarium & æternum, nihil hactenus elicere potest homo, quod ad cultum Numinis faciat: opera igitur danda, ut ei natura divina clarius patescat. Eum in finem igitur ex ordine Universi, finibus rerum creatarum &c. ostendendum, causam illam necessariam, simul esse sapientissimam, potentissimam, optimam &c. Eandem spiritum esse non corpus, ut de reliquis attributis divinis jam nil dicam. Ante omnia vero notandum, nos neque corporum neque spirituum finitorum perfectam habere notitiam, & tamen ex iis, quæ de spiritibus, eorumque proprietatibus cognoscimus, judicandum est, de Spiritu perfectissimo, i. e. Deo. Mentes hominum intelligunt, ratiocinantur, volunt, appetunt, sentiunt, imaginantur, res olim cognitas denuo præsentes sibi sistunt, facultatem denique habent, corpuscula, quibus vestitæ ut ita dicam sunt, variis modis movendi, &c. De his ipsis proprietatibus perfectam non habent homines notitiam, sed debilem valde. Quod si ad Deum eas transferre volunt, & de Spiritu perfectissimo judicare, deprehendunt, nonnullas illarum prorsus non Deo competere, omnes vero ita esse comparatas, ut excellentiori quadam ratione Deo quam hominibus eas necesse sit inesse. Dicunt itaque hæc attributa Deo competere in perfectissimo gradu; at excellentissimi illius gradus terminos definire non possunt; firmum tamen manet, Deum ut Spiritum perfectissimum esse colendum. Rursus ab omnibus Theologis & Philosophis admittitur, finitum non esse capax infiniti. Jam vero omnia Dei attributa sunt infinita; unde necesse est, nostram cognitionem de attributis divinis imperfectam valde esse. Hinc recte & pulchre *Lactantius Lib. V. sect. VII.* ait: *Cum ad Deum mentis humanæ intentio & acumen & memoria pervenerit, quasi*

quasi abductis & consumtis omnibus viis subsistit, hæret, deficit, nec est aliquid ulterius, quo progredi possit. Quod si cultus ille omnis *inanis* est & *fanaticus*, qui nonnisi cognitione imperfecta innititur, sequitur, ne ipsas quidem veritates Theologiæ naturalis certas esse posse. Docet insuper ipsa Religio naturalis, Deum nonsolum a mundo adspectabili plane diversum esse, sed & Eundem non per intrinsecam quandam & brutam necessitatem, sed per sapientissimam, liberrimam & rationibus superstructam voluntatem huic Universo originem dedisse, Eumque adeo tanquam Universi Conditorem esse adorandum & colendum; at si ad cultum illum præstandum requiritur accurata creationis illius notitia, fieri nunquam poterit, ut Deum ob tantum opus laudare possint homines. Fundamentum hujus cultus hoc est: spiritus potest corpora producere. At quis mortalium hactenus accurate ostendit, quis sit inter spiritus, perfectissimi licet, voluntatem, & corporum existentiam motumque nexus? Quis nescit motas inter Theologos & Philosophos de hoc argumento controversias? Perge ad reliqua Dei attributa, ad infinitatem, omnipræsentiam, sapientiam, æternitatem &c. & patebit, nullum esse, quod perfecte possit intelligi; & tamen ex his omnibus petuntur incentiva ad cultum rationalem Deo præstandum. Quis nescit absorberi quasi mentem, dum nonsolum ad infinitam Dei naturam contemplandam sese applicat, sed & quando ad sapientiæ, justitiæ, & bonitatis variam in hoc Universo dispensationem, ex qua de præstantia harum virtutum judicandum est, attendit? Quam multa videntur mortalibus regulis æquitatis & sapientiæ divinæ contraria, quod ex eo sine dubio inter alia etiam provenit, quod virtutum illarum tenuem habeamus cognitionem? Probant Theologi & Philosophi, Deum nonsolum hoc Universum creasse, sed & illud conservare singulis momentis; Eum omnibus rebus prospicere, easque ad sapientissimos fines dirigere. At quis nescit doctrinam de Providentia innumeris obseptam esse difficultatibus? Quis scit, quomodo Deus singulas partes & partium partes conservet? Quis declarabit, qua ratione Deus in corpora spiritusve suam exerat vim & potentiam? Quam torquent sese ingenia Philosophorum, quando concursum Dei, malique moralis & physici naturam, causasque exponere volunt? fatigent sese licet, novaque semper condant systemata de his argumentis, impossibile tamen erit, ut unquam in

 terris

terris ad plenam & perfectam harum rerum cognitionem perveniant. Interim tamen omnes; qui Deum adorandum & colendum esse perhibent, & qui precum necessitatem agnoscunt & urgent, non obstantibus illis omnibus difficultatibus, Deum singula moderari sapientissime credunt, & hoc incentivo permoti, cultum illi exhibendum clamant; unde denuo sequitur, imperfectam rerum divinarum cognitionem non obstare, quo minus reverentia Numinis & cultus ejus locum habere possit. Mentem denique esse immortalem, pœnæ præmiique capacem, post discessum etiam suum à corpore actionum suarum consciam, nobiscum fatentur. Deistæ, de quibus hic agimus. Persuasionem de hac veritate plurimum conferre ajunt, ad pietatis studium. Quod si vero ad hanc persuasionem requiritur accurata & omnibus numeris absoluta mentis humanæ cognitio, fieri non posset, ut unquam homo ea uti posset ad omnis generis virtutes exercendas. Nullus autem hactenus vel Theologorum vel Philosophorum, quantum scio, contendit, nos perfecta cognitione mentis nostræ esse instructos: Hoc ex eo patet, quia disputant inter se de natura & de origine idearum, sensationis, imaginationis, memoriæ, habituum, conjunctione mentis & corporis &c. Hoc tamen non obstante, illi, quibuscum jam nobis res est, firmiter credunt, mentem esse rem a corpore prorsus secretam & immortalem. Ex quo tandem, omnibus rite perpensis, sequitur, aut nullum plane cultum & religionem inter mortales locum habere posse; aut imperfectam cognitionem rerum divinarum non prohibere, quo minus Deum pro cognitionis humanæ modulo colamus; prius cum infitientur Deistæ, de quibus loquimur, necesse est ergo ut posterius admittant, atque fateantur, imperfectam illam cognitionem mysteriorum sufficere, ad cultum Deo præstandum, neque adeo recte *fanaticismi* accusari eos, qui in obscuriore rerum divinarum cognitione adquiescunt. 6). Confugiunt denique increduli Christianos fanaticismi postulaturi, nonsolum ad mysteria christianæ Religionis, sed & ad varias phrases N. Testamenti, in quibus talia sibi deprehendere videntur, quæ aut sensum fundant plane nullum, aut quæ *fanaticismum* sapiant: v. gr. huc trahunt ea, quæ de Christianis dicuntur; quod *unctionem* habeant & omnia sciant; quod *naturæ divinæ participes* fiant; quod *in Christo sint* & *Christus in iis*; quod cum *eo mortui*, *sepulti* & in *vitam sint vocati*; quod corpus

Christianorum

Christianorum sit *templum* Spiritus sancti; quod *flumina* aquarum viventium e *corpore* fidelium *emanatura sint*; quod Christus in credentibus *formam* accipiat; quod iidem dicantur *induere Christum*, &c. &c. Huc trahunt denique omnia dicta de operationibus Spiritus S. in cordibus piorum. At nec hic deprehendimus quicquam, quod incredulorum sententiæ patrocinetur. *Primo* concedimus, dari quasdam locutiones & phrases in Revelatione & citatis in locis, quæ prima specie paradoxæ videantur; at cessat hæc admiratio, quamprimum non tam ad sonum phrasium, quam vero ad rem sub verbis latentem attendimus. 2) Æquissimum est, ut quando de incitamentis ad pietatem, certis verbis expressis, judicare volumus, ut principia theoretica, quibus illa superstructa sunt, rite agnoscamus; tum enim demum verum poterimus ferre de phrasibus illis judicium, dictaque obscurioribus verbis expressa, perspicue explicare. Ita quando quis y. gr. recentiorum uti appellantur *Platonicorum* phrases sublimiores intelligere vult, necesse est, ut principia hujus Philosophiæ rite habeat perspecta. Hoc facto patebit, multa, quæ sublimia & admiranda prima fronte videbantur, vel meros sonos esse sensu vacuos, vel incertissimis, imo falsissimis sententiis & opinionibus innixa. Contendunt autem Christiani dogmata, quibus superstructa est Religio christiana, certissima esse, & planissima. 3) Æquissimum est, ut obscuriores phrases ex clarioribus, quibus sacri Scriptores in eodem argumento occupati utuntur, explicentur. Hoc faciendum esse in explicatione & interpretatione quorumvis Scriptorum consentiunt docti omnes. Hisce in antecessum notatis, quædam postulata adducimus, quæ ab illis ipsis, qui duntaxat Theologiæ naturalis theoretica & practica capita admittunt, concedi debent. Sunt autem sequentia potissimum: *Deum vim suam potentiamque in corpora pariter & mentes exercere posse, licet, qua ratione id fiat, ignoremus: hominem ad ita vel aliter sentiendum & agendum commoveri posse: ad virtutis studium requiri certam quandam mentis διάθεσιν: ex conscientia recte factorum nasci in mente tranquillitatem quandam, quæ verbis metaphoricis expressa licet, vera tamen esse potest & rationibus certis innixa: homines sanæ mentis lusum imaginationis a facultate, quæ certo ipsis inest, distinguere posse: ex relatione actionum humanarum ad legem divinam, oriri denominationes quasdam, quæ ex natura rerum, non phrasium, sunt*

ſunt eruendæ: obſcuritatem verborum, quibus hæc vel illa mentis affectio exprimi ſolet, non prohibere, quo minus homo de perceptionis veritate poſſit eſſe perſuaſus: quo magis quis in ſtylo auctoris alicujus verſatus ſit, principiaque, quibus innititur, rite intelligat, eo magis etiam eum varia conſectaria, quæ ex iisdem repetuntur, percipere, & ſenſum, ſub verbis metaphoricis latentem, eruere poſſe. Hæc ita mihi comparata eſſe videntur, ut ea a Deiſta, qualem repræſentavimus, nulla ratione in dubium revocari poſſint. Quod ſi hiſce addas quædam monita ex ipſa Revelatione petita, exiſtumamus omnes illas phraſes Virorum ſanctorum facile poſſe verbis perſpicuis explicari; obſervandum ergo primo Revelationem certis innixam principiis, non eſſe ſcientiam mere ſpeculativam, nedum inanem, ſed eam totam quanta quanta eſt, ad ingenerandum pietatis ſinceræ ſtudium unice eſſe datam; unde colligimus, ex ea nonſolum conſectaria multa theoretica, ſed & practica potiſſimum erui poſſe: 2) poteſt, & debet pia mens, ad principia illa probe attendere, & actiones ſuas ad ea conformare: 3) Redemtionis Chriſti beneficium plurima includit bona, quæ variis vocibus, v. gr. illuminationis, regenerationis, adoptionis, juſtificationis, conjunctionis cum Chriſto, &c. exprimi ſolent: 4) Deus poteſt per Spiritum S. animos ad hoc vel illud agendum & efficiendum arcana quadam vi impellere, ita tamen, ut pii ex effectibus de auxilio cœlitus dato poſſint eſſe perſuaſi: 5) ex conſcientia recte factorum oriuntur in mente variæ perceptiones, & tranquillitas quædam atque adquieſcentia, quæ variis phraſibus exprimuntur, quarum explicatio ex natura Evangelii & ſtatu hominis pii eſt petenda. Cum omnes, qui literis rite vacant, ſingularem ex cognitione rerum divinarum & humanarum percipiant voluptatem, de qua rudis literarum homo judicium rectum formare non poteſt; & Geometra ob ſolutionem alicujus problematis difficilioris ſingulari lætitia commotus in ſuum Ευρηκα erumpere poſſit; quid impedit, quo minus pia mens actionum ſuarum conſcia, ſingulari quadam ſuperfundatur voluptate, eamque variis phraſibus cum ex natura Evangelii, tum ex certa firmaque perſuaſione petitis, manifeſtam faciat? 6) Quo quis magis Religionis chriſtianæ genuinam indolem cognoſcit, animumque ad normam Evangelii componere ſtudet, eo magis etiam vim phraſium, quæ ex virtutis chriſtianæ natura dijudicandæ ſunt, intelliget: quo ipſo tamen non

non diffitemur, primis Christi Legatis plura fuisse bona concessa, de quibus magnifice loqui poterant, quam aliis disciplinæ christianæ alumnis, quæ tamen ita comparata erant, ut dubitare non potuerint, quin iis sint ornati, licet obscurioribus etiam aliquando ea deprædicaverint verbis. Quod si ad hæc, quæ dicta sunt, adversarii nostri probe attendant, dubium non est, quin instituto examine facile sensum phrasium illarum rite percepturi sint: Ita patebit, quid sit nova creatura, quid regeneratio, unctio, conjunctio cum Christo &c. Instant tamen & dicunt, multos dari inter Christianos, qui magnificis verbis extollant nescio quos motus internos sibi concessos; interrogatos vero, ut perceptionum illarum indolem explicent, aut responsi nil dare posse, aut tam obscuris uti verbis phrasibusque, ut manifestum sit, eos confusos quosvis cerebri motus pro nescio quibus operationibus divinis habere. Ponamus vero tales dari inter Christianorum familias, inde tamen minime sequitur, omnes tam turpiter esse delusos, aut veram mentis persuasionem, piasque commotiones, a confusis turbatæ imaginationis lusibus distingui non posse: nedum omnium minime sequitur, ea, quæ de statu interno Christianorum vere talium in S. Literis traduntur, meros esse sonos mente cassos. Fatemur dari genus quoddam hominum *fanaticum*, quos tamen initio dissertationis a cœtibus Protestantium, sententiisque, quas fovent (de quo notissimum argumento jam quidem agitur) probe discernendos esse diximus. Hi rejecta Revelatione, ad nescio quam lucem, motusque plane singulares provocant, simulque ea, quæ planis verbis in S. Literis de plurimorum hominum statu dicuntur, tanquam nimis trivialia nauseant, mysticis vero vocibus & phrasibus tanquam de cœlo delapsis delectantur. De his inquam hic loquendi causa non est. Fatemur insuper, inter eos ipsos, qui confessionibus Protestantium addicti sunt, multos tamen, inprimis inter plebem dari, qui non tam ex Librorum S. lectione, quam vero ex libris quibusdam mysticis innumeras phrases, vel plane nihil significantes, vel saltem obscuriores corraserunt, atque iis utuntur, quando internas animorum suorum adfectiones exprimere volunt; ex quo tamen minime sequitur, eos pietatis sensu vero prorsus destitui; sed hoc tantum, eos consuetudine quadam quibusdam phrasibus obscurioribus utendi, claris verbis statum affectionum internarum exprimere non posse. Nimirum

facile concipi poteſt, qua ratione homines etiam pietatis amantes in vitium hoc incidere poſſint. Nil dicam quod infantes plurima de Religione addiſcere teneantur, quæ non intelligunt, in quibus tamen tanquam probe intellectis adquieſcunt; nihil de libris obſcuriore ſtylo exaratis, in quos mature ſæpe incidunt; nihil de auctoribus quibusdam librorum aſceticorum, qui obſcure ſtatum mentium piarum, adfectionesque earum repræſentare ſolent; ſed de publicis Oratoribus in cœtibus divina tractantibus aliquid duntaxat hic monebo. Dantur nimirum paſſim Oratores, qui elegantiam orationis ſacræ in eo poſitam eſſe exiſtimant, ſi innumeris ea ſit veſtita floſculis & metaphoricis verbis, cum ex S. Literis, tum aliunde petitis: certiſſimum eſt autem, longe maximam auditorum ſuorum partem ea non intelligere; opinioni vero ſuæ colorem conciliare volunt hoc prætextu, quod nimirum oratori ſacro verbis Scripturæ S. ſit utendum, quando auditores ſuos perſuadere vult. Quod ſi hoc velint, nullum dogma Religionis chriſtianæ tradendum, aut auditoribus tanquam divinum & creditu neceſſarium proponendum, quod vel diſertis locis Scripturæ, vel per evidentiſſimas conſequentiarum leges probari non poſſit, rectiſſime faciunt. Sane ſi hoc in Eccleſia chriſtiana ſemper fuiſſet obſervatum, innumeræ lites & contentiones abſfuturæ fuiſſent, neque tot minutæ opiniones defenſitatæ, de quibus tamen Doctorum omnium infallibilis Magiſter Jeſus Chriſtus in verbo ſuo nil perſpicue deſignavit. Si vero hoc putent, nimirum ſe animos auditorum ſuorum vehementius ad pietatis ſtudium commoturos, ſi metaphoricis illis & obſcurioribus phraſibus utantur, mea opinione vehementer errant. Ad hoc probandum non opus eſt multis rationibus. Hoc certum, fieri non poſſe, ut homo ad aliquid agendum impellatur, ſine rationibus quibusdam animo obverſantibus: neceſſe eſt igitur, ut auditores vim phraſium obſcuriorum intelligant, & latentem ſub iis ſenſum deprehendant. Non poſſunt autem oratores ulla cum ſpecie veri ſibi perſuadere, non dicam omnes ſed plerosque tamen auditores, argumenta vel loca obſcurioribus & metaphoricis verbis expreſſa rite intelligere. Ex quo ſequitur, perperam eos facere, & ſcopum, quem intendunt, non obtinere. Quomodo vero pro genuinis Oraculorum divinorum interpretibus haberi poſſunt, ſi ad perſuadendum nonniſi acervo phraſium, quas populus rite non intelligit, utantur? Certe

prima

prima lex oratoris ſacri eſt, ut id, quod proponit vel commendatum eſſe vult, auditores intelligant. Eum in finem opus eſt perſpicuis definitionibus: hæ niſi frequentiſſime inculcentur, facile ex animis effluunt. Oratio igitur perſpicuis verbis expreſſa longe efficacior & aptior erit, ad auditores inſtruendos & commovendos, quam ſermo ſacer, innumeris tropis & figuris exornatus, quem pauci intelligere poſſunt. Unde etiam, (quod in tranſitu hic monemus) facile colligi poteſt, quid judicandum ſit de laudibus, quas multi quibusdam auctoribus vel oratoribus tribuunt. Nimirum dantur homines, qui cum in libros aſceticos, vel orationes ſacras, innumeris floſculis & metaphoris refertas, incidunt, judicant, homines hoc dicendi genere utentes magis de divinis eſſe perſuaſos, & neſcio quo excellentiore guſtu ſpirituali eſſe tactos, quam alios, qui ſimplex aliquod perſpicuumque dicendi genus amant, & uſurpant. Hinc dicere ſolent: hoc ſcriptum, hæc oratio *ſapit unctionem.* Hæc verba, quantum intelligo, hoc ſignificant, hominem nimirum tanto apparatu floſculorum, ſæpe ex intima, ut ita dicam, medulla practici Chriſtianiſmi petitorum, verè pium eſſe, & amore rerum divinarum vehementer tactum. Hoc judicium aliquando verum eſſe poteſt; imo lectores omnes, vel auditores, niſi contrarium aliis ex cauſis certiſſimè ſint perſuaſi, ex lege charitatis ita judicare debent. At negamus ſimul, ex florido hoc dicendi genere de ſtatu animi oratoris vel auctoris libri certum judicium ferri poſſe. Plures enim hujus rei poſſunt dari cauſæ. Poteſt orator ex frequenti librorum aſceticorum lectione ſibi copiam ejusmodi phraſium comparaſſe: animadvertunt inſuper ſæpe auditores, ad orationem tot floſculis refertam ſe ſubito commoveri, hinc in laudes oratoris excurrunt: poſſunt ipſi auctores decipi, atque exiſtumare tantam copiam phraſium, per fœcundam imaginationem animo exhibitarum, nonniſi effectum eſſe animi alti & mentis divinioris, ut alia taceam. Iidem vero, de quibus jam nobis ſermo eſt, ubi incidunt in librum officia practica chriſtiani hominis tractantem, aut orationem ſacram, in quibus auctores ſimplici dicendi genere utuntur, a floſculis & metaphoris ſibi temperant, perſpicuas rerum divinarum definitiones adhibent, argumentisque utuntur claris & perſpicuis verbis expreſſis, omniumque ingeniis attemperatis, dicere ſolent orationes ejusmodi eſſe *macras* & *ſiccas*, auctoremque jactata illa *un-*

 ctione

ctione destitui. In quo certe, dum ita judicant, graviter contra amorem proximi peccant, si his verbis significare volunt, hominem adeo simplici oratione utentem amore veræ pietatis destitui. Præterquam enim quod pro diversa temperamentorum, climatum, indole, lectione, judicii & imaginationis diversitate, & opinione de veræ eloquentiæ natura, stylus hominum quammaxime diversus sit; potius ego existimem, nos pietatem ejusmodi auctoris vel oratoris laudandi causas habere, quandoquidem talis per leges conscientiæ sese teneri existumat, ut res gravissimas auditorum vel lectorum animis insinuaturus, perspicuo dicendi genere utatur, & argumenta afferat clarissima & omnium auditorum vel lectorum ingeniis attemperata; verbo, ut ita loquatur, ut non possint non auditores vim rerum gravissimarum percipere. Quod si aliis ex causis hoc facit, ἀπεχει τον μισθον σου; hoc tamen nonobstante magis implet oratoris sacri partes, quam is, cui hiulca, innumerisque referta metaphoris placet oratio. Interim verum manet, ex dicendi genere, quo auctores delectantur, de pietate eorum certum judicium ferri non posse. Sed hæc in transitu, redeamus ad argumentum nostrum. Dicimus ergo secundo loco, contra ea, quæ a Deistis objiciuntur, simpliciores & rudiores inter Christianos sæpe statum internum mentis suæ, lætitiæque ex pio affectu virtutis ortæ, verbis perspicuis designare & exprimere non posse; at inde minime sequi, mera phantasia deceptos esse illos homines. Præterquam enim quod difficile sit perceptiones animi, variasque illius adfectiones, perspicuis verbis explicare, quodve inter pios, disciplinis etiam excultos, reperiantur, qui facultate clare animi sensa exprimendi destituuntur; notandum, tales homines potius id agere ut virtutis studio cum cura incumbant, profectum in pietate sensu & experientia potius deprehendant, quam vero, ut multis verbis perspicuaque oratione aliis persuadere possint, se sincero Religionis amore esse tactos. Exemplo adæquato veritatem rei, de qua sermo est, illustrat ὁ Μακαρίτης *celeb. Werenfelsius, Dissert. VIII. de triplici teste pag.* 181. Edit. pr. *Inter præcipua argumenta* (inquit) *Religionis divinitatem probantia quædam sunt hujusmodi, ut ab eo, qui illis persuadetur, quantum ad hoc satis est percipi quidem & sentiri, at verbis explicari nequeant; qualia in aliis rebus multa sunt.* Ut unum tantum exemplum, quod incidit, afferam, *Scaliger in Poëtica, si probe memini. quosdam adducit*

ducit Virgilii *versus*, *quorum elegantia in describendo perculsus*, *temperare sibi non potuit*, *quin velut extra se raptus exclamaret:* Divinus Poëta est Virgilius. *Si quis ex Scaligero quæsivisset*, *quibus argumentis adductus hos versus ex* Virgilio *descriptos usque adeo* divinos *esse arbitretur? nullum forte responsum ab homine Philosopho tulisset*, *eumque ad interrogationem istam non minus mutum invenisset*, *quam hominem de plebe subito interrogatum*, *cur ipsi Religio christiana*, *in S. Scriptura contenta*, *præ cæteris divina videatur? inde tamen ut minime sequeretur*, *Scaligerum*, *quos adducit* Virgilii *versus sine ratione tantopere esse admiratum; ita nec ex hoc concludi potest*, *plebejum hominem*, *Religionem suam divinam esse*, *sine ratione credere.* Possem alia adjicere, eaque nonsolum ex S. Literis petita, sed sapientissimorum, doctissimorum & pientissimorum simul virorum exemplis confirmata; sed quoniam nobis res est cum illis hominibus; qui omnia, quæ de gustu spirituali & tranquillitate mentis per amorem Christi excitata dicuntur, rident; sufficit probasse, nil hic a Christianis dici, quod ἀσυςάτον, naturæque mentium contrarium aut *fanaticum* sit. Instant rursus, atque dicunt, videri sibi omnia, quæ de regimine Spiritus Sancti in animis hominum dicuntur, superstitione, non vero certa persuasione niti, cum nemo credere possit sine rationibus animo obversantibus; impulsum autem illum & operationem Spiritus S. rationibus non esse communitum. At & hic falluntur illi homines quammaxime. Concedere debent, si Deum & Providentiam admittunt, Deum nonsolum in corpora, sed & in mentes omnes vim suam & imperium exercere posse, licet operationis illius modum naturamque non satis habeamus perspectam atque cognitam. Quid ergo impedit, quominus Spiritus S. pariter certo quodam modo animis piorum illabatur, certasque animi adfectiones excitet? Nemo insuper Christianorum, si modo rem ipsam intelligat, asseret, homines Spiritus S. gratia adjutos, sine ratione agere: rationes, quæ ad agendum pios commovent, petitæ sunt ex Evangelio Jesu Christi, cujus dogmatibus, præceptis & promissis; ut vero homines ad hanc lucem nonsolum attendant, sed & pravis affectibus, animos ab amore pietatis retrahentibus, resistant, novasque accipiant vires, auxilium illud Spiritus internum efficit. De quo tamen infra occasione eorum, quæ a Pontificiis Doctoribus Protestantibus objici solent, plura dicemus.

(VIII.) Denique dicunt Deiſtæ, omnem Religionem in amorem Dei & proximi reſolvi; hinc neceſſario ſequi, cognitione tot obſcurorum myſteriorum, & aliorum articulorum difficulter intelligendorum opus non eſſe; fruſtra per innumeras ambages quæri, quod in ipſis Theologiæ naturalis principiis quæratur. Articulos illos omnes, quibus ſubſcribunt Chriſtiani, cum in finem duntaxat datos, ut ad pietatis ſtudium & amorem Dei homines inflammentur; pietatem vero omnem in amorem Dei reſolvi; ſapientiæ igitur leges poſtulare, ut in compendioſa illa cognitione adquieſcant homines, miſſis tot anfractibus, qui ex aſſenſu tot articulis obſcuris tribuendo oriri ſoleant. Ita paſſim *Auctor epiſtolarum de Religione eſſentiali* diſſerere ſolet. Ad hanc objectionem ſequentia reſpondemus: 1) Quæ de myſteriorum obſcuritate, & motivis ex iis petitis hic objiciuntur, ſupra jam ſatis ſunt examinata. Pro certo hi homines ponunt, de quo tamen ipſo quæritur. 2) Veriſſimum eſt totam Religionem chriſtianam potiſſimum eo tendere, ut Deum ſupra omnia amemus. Nonſolum Deus in V. Teſtamento præceptum hoc, Ipſum amandi, ſupra omnia injunxerat, ſed & Chriſtus Jeſus ſolemniter idem intimavit. Tantum vero abeſt, ut Religio chriſtiana impediat, quo minus Deum ſincere colamus, & proximum ut nos ipſos amemus, ut potius confidenter aſſeramus, eam plus conferre, ad officium hoc præſtandum, quam ſolam illam Religionem naturalem. Concedent nobis illi, adverſus quos jam diſputamus, incentiva ad agendum peti ex conſideratione rerum, & quo magis rerum ipſarum indolem perſpectam habeamus, eo fortiora futura eſſe illa motiva. Hoc poſito, dicimus, Revelationem nonſolum ſuppeditare argumenta Deum amandi, petita ex attributorum divinorum, quatenus ea intelligere poſſumus, contemplatione, ſed ex articulis quibusdam potiſſimum, quibus mirum in modum in apricum proferuntur virtutes divinæ. Multi ex incredulis Ethicæ chriſtianæ deprædicant excellentiam, quo ipſo, ſi modo ſibi conſtent, fatentur, eam excellentiora ad pietatem adducere argumenta quam vero Theologiam naturalem ſolam, alias cauſa non eſſet, cur in laudes illius excurrerent. Et profecto non Philoſophorum decretis, ſed Religionis chriſtianæ luci tribuendum, quod tam ſublimes habeamus de Deo, rebusque divinis ideas, tot excellentia ad pietatem incentiva, tot exempla plena omnis generis virtutum. Quam incertæ contra fuerint

rint & obſcuræ veterum Philoſophorum de rebus divinis ſententiæ, illis notum eſt, qui in hiſtoria philoſophica hoſpites non ſunt. 3) Ad rite præſtanda officia pietatis nonſolum requiritur ſufficiens Dei rerumque divinarum cognitio, ſed & afferenda ſunt media ad Deum rite amandum & pietatem colendam. Neque enim pietati duntaxat officiunt præpoſteræ opiniones de rebus divinis, ſed pravi etiam affectus; utrique malo egregia præſidia ſuppeditat Religio chriſtiana, quæ in Theologia naturali fruſtra quæras. 4.) Inter ea, quæ homines ad amorem Dei potiſſimum commovere ſolent, maxime eminent beneficia divina; atqui in ſola Revelatione tot ampliſſima erga genus humanum beneficia repræſentantur, & tot vivis coloribus ea deſcribuntur, ut non poſſint non hominem non plane ſtupidum in amorem Dei rapere. 5) Notum eſt, quam ſit ratio hominis Revelatione deſtituti manca valde & nubiloſa, ubi judicium certum ferendum eſſet de ſtatu mentium humanarum poſt hanc vitam: notæ ſunt *Socratis*, *Ciceronis*, *Senecæ*, aliorumque veterum & recentiorum Philoſophorum de hoc argumento fluctuationes: ex quo facile colligi poteſt, infirmiora futura eſſe ad pietatem incentiva, ex immortalitate mentis, quatenus ea ex meris philoſophicis rationibus petuntur, petita. Revelatio vero nonſolum extra dubitationis aleam ponit, mentes poſt fata ſuperfuturas, & corpora noſtra in vitam iri revocatum, ſed & exemplo Jeſu Chriſti eam perſuaſionem firmiſſime comprobat. Accedunt tot exempla egregia Chriſtianorum priorum ſeculorum & ultimorum, qui diriſſimis licet ſuppliciis affecti, (perſuaſi quippe de felici piarum mentium poſt mortem ſtatu) ab amore Dei & veritatis profeſſione abduci tamen ſeſe paſſi non ſunt. Quam heroica ſunt verba Pauli ad Romanos cap. VIII. v. 35. ad finem? Quanta fiducia inerat *Polycarpo*, (ut de innumeris aliis nil dicam) ſeni, cujus martyrium legitur apud *Euſebium Hiſt. Eccleſ. Lib. II. Cap. XV.* Cum enim Proconſul inter alia dixiſſet, *dic convitia adverſum Chriſtum*; reſpondit: *ſex & octoginta continuos annos ei miniſtravi, nec ulla me unquam affecit injuria, & quomodo poſſem impie loqui adverſus Regem meum auctoremque ſalutis meæ?* & paucis interjectis, cum Proconſul dixiſſet: *præſto ſunt beſtiæ, quibus te objecturus ſum, ni ſententiam mutaveris: Polycarpus dixit accerſe eas; neque enim nobis a melioribus ad deteriora mutabilis mens eſt; pulchrum quidem atque honeſtum ducimus a vitiis ad virtutem tranſcurrere.*

rere. Ad hæc Proconsul: quando, inquit, bestias spernis, faxo ut incendio domeris, nisi sententiam mutes. Ignem minaris, ait Polycarpus, qui ad horæ spatium ardet, statimque extinguitur: Ignoras scilicet illum futuri judicii damnationis ignem, qui impiorum supplicio reservatur. Sed quid cessas? profer quodcunque volueris. Hæc & alia plura cum diceret, fiducia simul & gaudio replebatur, & in vultu ejus gratia quædam emicabat. Ita Eusebius. Sive jam altissimæ persuasioni de certa remuneratione piorum, Christique Soteris nostri promissis, sive auxilio divino solito majori tribuas, quod homines tanto gaudio perfusi sint, tantamque inter tot exquisitos dolores demonstraverint mentis constantiam, perinde nobis est: hoc certum, hos homines Religionis christianæ viva contemplatione, incentivorum ad pietatem repræsentatione, & sincero Dei amore, ad ita agendum commotos fuisse. *6)* Quæ de ambagibus & multitudine obscurorum articulorum in Religione christiana obviorum in medium proferuntur, nonnisi verbosæ sunt strophæ. Non enim huc trahendæ sunt minutæ quædam controversiæ, veterumque & recentiorum Scholasticorum tricæ; sed agitur de articulis gravibus in Revelatione contentis, & a Christo & Apostolis non ab aliis magistris inculcatis. Hi cognitu sunt faciles, atque omnium ingeniis attemperati.

XIII.

Expenduntur rationes Pontificiorum, quibus probare volunt, Protestantium doctrinam fanaticismo esse infectam.

Restat tandem ut disquiramus, quo jure pontificii Doctores cœtibus Protestantium crimen *Fanaticismi* objiciant. Adduximus dissert. V, sect. 2. de præposteris quorundam adversus incredulos disputandi methodis, cum auctores pontificios, talia Protestantibus exprobrantes, tum summam argumentorum, quibus thesin suam comprobare volunt. Antequam paucis ea argumenta repetamus, fatendum est ante omnia, Doctores pontificios non asserere, universam Protestantium doctrinam *fanaticismo* esse infectam, quandoquidem in multis nobiscum consentiunt. Ita admittunt præter Theologiæ naturalis capita, veritatem Religionis christianæ, mysterium Trinitatis, Incarnationis, Satisfactionis Jesu Christi, quanquam ad ultimum quod spectat articulum, cum variis accessoriis opinionibus non parum labefactent; admittunt insuper miracula a Sotere nostro & Apostolis patrata, resurrectionem, ascensionem Servatoris, & ultimum judicium

judicium. Et quamvis inter se de auxiliis gratiæ vehementer dissentiant, plerique tamen necessitatem gratiæ divinæ ad pie vivendum urgent. In his consentiunt in summa rerum cum Protestantibus, iisdemque armis, quibus utuntur Protestantes, Deistas impugnant; nisi quod contendant, articulos omnes stare & pro veris haberi non posse, nisi auctoritas infallibilis judicis, id est Papæ, accedat. Repetunt autem accusationem *fanaticismi*, quem Protestantibus objiciunt, cum ex obligatione promiscua examinis Religionis; tum ex certitudine persuasionis de veritatibus Religionis, quam inesse argumentis, quibus illæ probari solent, existimant Protestantes. Quod ad *prius* spectat, dicunt Ecclesiæ Romanæ Doctores, Protestantium opinione quosvis sine discrimine ad Religionis examen obstringi; certum autem esse, longe maximam hominum partem ad hoc examen instituendum ineptam esse, cum propter ingenii imbecillitatem, tum ob rerum credendarum difficultatem. Hoc tamen non obstante necesse esse, ut hi homines, dum S. Literas legunt, his vel illis articulis Religionis tanquam divinis subscribant, quos tamen tales esse, nulla ratione possint probare. Ita autem sentire & agere *fanaticum* esse; redire enim omnia ad nescio quem gustum, & obscurissimam perceptionem. Ita passim loquitur cl. *Nicole*, v. gr. cap. XII. libri de *Calvinistis schismatis convictis* p. m. 131. ait. *Ce que fait Msr. Claude pour rendre les simples & ignorans capables de se rendre juges de la foi, n'aboutit qu'à des* goûts, des sentimens & des repos chimeriques; *c'est à dire au* Rayon *des Quakers & des Trembleurs. conf. cap. XVIII. XI. & passim.* Item ejusdem *préjugés légitimes contre les Calvinistes, cap. XIV. XV. XVI.* Quid vero metaphoricis illis expressionibus significare voluerint Theologi protestantes, satis patet, si non tam ad verba, quam vero ad rem per verba significatam attendatur. Vide *celeb. la Placette de fide divina Lib. I. pag.* 183. *sq.* Posterior objectio hoc nititur fundamento; dicunt nempe Doctores Ecclesiæ Rom. nonsolum plebem inter Protestantes, sed promiscue omnes his partibus addictos, loco argumentorum, quibus Religionis suæ articulos probare tenerentur, ad Spiritum S. provocare; hoc autem *fanaticum* esse, cum quia omnes cujuscunque sectæ homines ad ejusmodi internam operationem Spiritus Sancti possint provocare, tum quia hi homines probare non possint, persuasionem jactatam opus esse Spiritus Sancti. Ad priorem objectionem præter ea, quæ

in antecedentibus dissertationibus sparsim monuimus, sequentia reponimus. Et 1) quidem mirum est, eos omnes, qui, dum S. Literas legunt, forte propositioni falsæ subscribunt, statim pro *fanaticis* haberi. Existimavi hactenus ego errorem a fanaticismo distingui: omnis fanatica opinio est erronea, sed non omnis error fanaticismum includit. Quod si vero omnes qui in examine Religionis qualitercunque errant, & circa hoc vel aliud Religionis argumentum versantes, quædam loca Scripturæ minus recte intelligunt, fanatici sunt, nonsolum plebs, sed Protestantes & Pontificii omnes, cuicunque familiæ inter dissidentes Christianos addicti, pro fanaticis habendi sunt, quia nullus, etiam doctissimus interpres fatebitur, se nunquam errare potuisse, & tam certo veritates omnes cujuscunque naturæ in S. Literis deprehendisse, quam certo Mathematicus sua principia firma esse persuasus est. Quid fiet autem Patribus Ecclesiæ, si fanaticus est omnis, qui hæc vel illa loca S. Literarum male interpretatur? Quis nescit, eos omnium interpretum infelicissimos & miserrimos fuisse? Ubi manebit traditio scripta, quæ Patrum sententiis est superstructa? Sed ut directe respondeamus, dicimus: 2) Homines omnes, ubicunque terrarum degant, ad examen Religionis obstringi, atque adeo disquirere debere, qua ratione sit Numen colendum; hoc autem iis potissimum incumbit, qui norunt Deum mortalibus Revelationem concessisse. Hoc adeo verum est, ut ipse *Nicolius* cap. II. de *legitimis adversus Calvinistas præjudiciis*, examen illud, quamvis alio fine adprobet. Ex hoc autem necessario sequitur, Revelationem ita debere esse comparatam, ut homo quilibet, adhibita ea diligentia, quæ ad examen illud postulatur, eam possit intelligere: sine hoc enim inutilis plane esset illa Revelatio, & Deus, absit blasphemia, dicendus esset generi humano illudere, si ab una parte voluisset, ut fidem haberet Revelationi, ab altera vero eandem tantis involvisset tenebris, ut nulla arte verus Revelationis sensus erui posset. Hoc autem tam impium est dicere, ut ne quidem homo sanæ mentis asserturus sit, Principem subditis leges præscribentem data opera earum sensum occultare voluisse. 3) Contendunt Protestantes ad examen hoc instituendum opus esse aliquo ingenii conatu, attentione & veri amore; sine hoc enim nemo qualemcunque scientiam & notitiam sibi comparare poterit. 4) Pontificii omnes, exceptis sacri ordinis Viris, in numerum Laicorum referunt

runt

runt, atque prohibent promiſcuam S. Literarum lectionem & Religionis examen. Conſtat autem inter hos Laicos viros eſſe eruditos, variis diſciplinis v. gr. mathematicis, philoſophicis &c. inſtructiſſimos; & artis ratiocinandi peritiſſimos. Edoceri autem vellemus ab Eccleſiæ Romanæ Doctoribus, qui tandem fieri poſſit, ut hi homines in diſciplinis difficilioribus tam acutum cernere poſſint, ſtatim vero ubi ad examen Religionis accedunt, talpis ſint cæciores? Ex ingenio horum hominum nil poterunt præſidii petere ad hanc quæſtionem ſolvendam: Si vero ad obſcuritatem Religionis chriſtianæ confugiunt, videant ne injurii ſint in ipſum Deum Revelationis auctorem, & ne profanorum riſui exponant omnem plane Religionem. Si vero Religio tam eſt obſcura, quæro inſuper, qua fiducia Eccleſiæ Romanæ Doctores contendant, ſolos articulos Religionis, quos probat Eccleſia, certos eſſe? num forte illi, qui ſunt ordinis ſacri, habent *mentem diviniorem*, & aliis longe facultatibus ornatam, quam cæteri mortales? 5) Regerent forte Pontificii, potiſſimam eſſe quæſtionem de plebe, quo nomine ruſticos, artifices, labore manuum vitam tolerantes &c. intelligunt. Dicimus igitur hos variæ eſſe indolis. Non eſt nobis ſermo de hominibus ſana mente deſtitutis corruptique cerebri, ſed de iis, qui adhibito quodam ingenii conatu & attentione, verum a falſo, in aliis multis rebus, diſcernere poſſunt. Hi vero ſunt duplicis generis: quidam per vitam examen nullum Religionis, ſive in genere, ſive certorum articulorum in ſpecie, inſtituunt, ſed certas quasdam Religionis ſententias, in juventute traditas, memoriæ mandant, iisque adhærent, licet rationem reddere non poſſint, cur has potiſſimum, non alias credant. Hos vero Doctores Proteſtantes pro veris membris Eccleſiæ haberi nolunt. Quod ſi hoc genus hominum *fanaticum* appellare velint Pontificii, per nos licet; ſi vero propterea in hanc claſſem ſunt referendi, ſocios certe innumeros habebunt nonſolum inter Proteſtantes, ſed & inter Pontificios, atque aliarum ſectarum fautores. Pauci enim oppido dantur, nonſolum inter plebem, ſed & inter Doctores publicos, qui ea, quæ juvenes didicerunt, maturiore ætate ad rationis & Revelationis normam examinent. Pontificii Doctores omnes, ne ipſis quidem Patriarchis, Epiſcopis & Theologis exceptis, *fanaticiſmi* ſunt poſtulandi, quia judicia eorum omnia tandem reſolvuntur in voluntatem hominis, qui ſe infallibilem eſſe

 perhibet,

perhibet, licet nullus Doctorum illorum vel ex rectæ rationis legibus, vel ex certis & perspicuis locis Scripturæ probare possit, Deum mortalibus ejusmodi judicem concessisse. Quicquid interim de eo sit, nihil causam Pontificiorum hæc turba hominum pigrorum juvat, quandoquidem hi non ob ingenii defectum, sed legitimi exercitii neglectum peccant. Alii vero ex plebe rerum divinarum amore tanguntur, eumque in finem S. Literas legunt, atque expendunt, Deumque rogant, ut ipsis det indies magis illuminatos oculos, ut mirabilia legis suæ rite intelligant. Hos vero posse ea cognoscere, quæ scitu credituve sunt necessaria, vel ex iis, quæ Ecclesia Romana membris suis injungit, probare possumus. Habent enim, quod 6) observandum, Pontificii suos catechismos, æque ac Protestantes: utraque igitur pars pro certo habet, possibile esse, ut omnes promiscue articulos in iis contentos intelligere possint. Hoc ni ponerent, idem esset ac si simiis catechismos in manus traderent Doctores publici. Plebs pontificiæ Religioni addicta articulos in catechismis contentos pro veris & divinis habere tenetur, quia infallibilis Pontifex eos pro talibus habendos esse dicit; plebs vero Sacris Protestantium initiata, credit articulos illos certos esse, & a Deo præscriptos, quia in S. Literis eos traditos esse clare videt. Non quæritur jam utra pars rectius ratiocinetur & agat; hoc unum, de quo quæstio est, manifestum est, Pontificios extra dubitationis aleam ponere, plebem etiam generalia capita Religionis in catechismis tradita intelligere posse. Hoc autem si concedatur, quæ causa tandem esset, ut ii, qui ad S. Literas recurrere possunt, idem præstare non possent? Imo contendit *Nicolius*, posse ipsam plebem argumenta de Ecclesiæ auctoritate ex scripturis allata, probe intelligere; hinc reprehendit *Claudium*, qui contrarium statui a Pontificiis asseruit, de *Calvinistis schismatis convictis*, pag. m. 188. *Il est faux* (inquit) *que cet Autheur ait crû, que le point de l'Eglise ne se pouvoit prouver par l'Ecriture, & que ces preuves ne fussent pas de la portée des simples.* Ponamus jam quidem verum esse, quod contendit *Nicolius*, quanquam putemus moraliter impossibile esse, ut Doctissimi Ecclesiæ R. Viri, nedum plebeii, ex S. Literis probare possint, Ecclesiæ nomine intelligi infallibilem in terris judicem, & Christi in terris vicarium, nimirum Pontificem Romanum; sed ponamus: Quid hoc posito impedit, quo minus Laici nostri v. gr. ex Evang. Matth. c.

IV.

IV. v. 10. colligant, Deum, eumque solum esse adorandum, cum locus hic sit clarissimus, nullisque Scholasticorum strophis possit obnubilari? 7) Contendimus, plebem veritatem historicam, fide divina non nixam, cognoscere posse. Sic multi ex plebe credere possunt, dari terræ habitabilis partem, quæ *Africa* appellatur, licet eam non viderint: poterunt credere *Alexandrum M. Cæsarem, Leonem X.* Papam, in terris olim versatos: poterunt igitur hæc transferre ad gravissimi momenti historiam, Resurrectionem nimirum Christi a mortuis: possunt ex versionibus, quocunque tamen idiomate scriptis, facile convinci, hanc veritatem ab omnibus Evangelistis tradi, & quidem ea confidentia, ut causam non videant, cur iis fidem derogent. Hoc autem dum ponimus, non ita intellectum volumus, ac si veritatem illam omni eo eruditionis apparatu, quo id ab eruditis, v. gr. a *Dittono* aliquo, factum esse novimus, probare atque adversus omnes objectiones Deistarum vindicare possent. Sed hoc saltem contendimus, plebem ex testium quantitate & qualitate colligere posse, cum rem vere esse gestam; tum exinde colligere, doctrinam a Christo traditam divinæ esse originis. Ut enim articulum aliquem Religionis credam, necesse est, ut summam rei teneam; ut vero singulas minutas objectiones ei oppositas vel sciam, vel refellere possim, necesse non est. Sic plebs potest persuaderi de existentia Dei, & in hac persuasione adquiescere, licet non omnes *Spinozæ* & sequacium objectiones solvere possit. Sumat igitur aliquis e plebe in manus v. gr. primam orationum sacrarum, scriptarum ab *excellentissimo Werenfelsio*, in qua veritatem resurrectionis J. Christi perspicue & solide probat; pone hunc hominem tantum attentionis & diligentiæ adhibere in hac oratione legenda & examinanda, quantum adferre solet curæ & solicitudinis ad negotium civile vel œconomicum tractandum, & patebit, eum capitalem hanc veritatem capere posse, vimque allatorum argumentorum percipere. Quod si negent Doctores pontificii, præterquam quod experientiâ possint refelli, vel ex natura rei probandæ, vel ex ingenio plebis contrarium tueri tenentur; quod fieri posse negamus. Non possunt *prius*, quia resurrectionis certitudo clarissimis verbis ab Evangelistis & Apostolis est tradita. Hæc persuasio non nititur nescio quo *gustu* aut *phantasia*, sed collatione idearum, quæ requiruntur ad historiam probandam. Non opus est operosa demonstratione veritatibus me-

 taphysicis

taphyficis innixa, fed tali argumentatione, quam promifcue animadvertere poffunt omnes, qui *fcepticifmo* nomen non dederunt. Et ni fallor ipfi Doctores pontificii concedunt Proteftantibus, plebem propofitiones ejusmodi capere poffe, quæ fimplices funt, & captu faciles; faltem ita hoc colligo ex verbis *Nicolii*, acerrimi Proteftantium adverfarii, quæ extant pag. m. 184. libri, cui titulus · *Les prétendus Réformés convaincus de Schifme.* Sonant autem ita: *Car enfin que Mr. Claude ne s'y trompe point; on ne condamne nullement la voye de juger d'un point particulier par fentiment, lorfque les principes de ce fentiment font connus à celui qui l'a, & que fes principes font folides. Mais ce que l'on condamne dans ceux de fa fecte, c'eft de vouloir, qu'on juge d'une multitude de queftions, par des fentimens fondés fur des principes inconnus, ou qui n'ont abfolument aucun fondement.* Non poteft *pofterius* oftendi, nifi ponant hominem plane ftipitem & omni ratiocinandi de qualibet re facultate deftitutum: at tales omnes effe artifices & rufticos, falfiffimum eft, cum experientia rurfus conftet, eos de rebus difficilioribus ferre poffe judicium rectum, fi modo ingenii vim velint intendere, quod faciendum effe in examine Religionis perhibent Proteftantes. Quod fi vero capitalem hanc veritatem probe intelligere poteft plebs, & ex ea colligere, veram & divinam effe doctrinam Jefu Chrifti miraculis confirmatam, facile etiam cætera capita cognitu neceffaria in fcriptis Evangeliftarum & Apoftolorum reperiet, modo in timore Domini, pofitis omnibus adfectibus, adhibitaque attentione, ea evolvat. Si quædam non intelligit, alios poteft confulere; quod fi nondum hoc facto lux major menti illabitur, poteft judicium fufpendere, & adquiefcere in cognitione eorum articulorum, qui frequentiffime & perfpicuis verbis in S. Literis inculcantur. Plebs enim fibi judicat, neque aliis neceffitatem imponere vult, ita vel aliter fentiendi. Ipfi Doctores pontificii fingulis annis, fefto v. gr. Refurrectionis Jefu Chrifti, capitalem hanc veritatem populo chriftiano inculcant: credere igitur debent, nonfolum inter certitudinem refurrectionis J. Chrifti, & inter veritatem doctrinæ Soteris, neceffarium effe nexum, fed & plebem ipfam hoc intelligere poffe. Dicent forfan, plebem quidem hanc veritatem probe poffe intelligere & probare, fed hoc fieri, quia credat infallibilem judicem afferere, hunc articulum in Revelatione vere reperiri. Sit ita. Hoc tamen pro certo

to

to ponere debet plebs, hanc veritatem in Sacris traditam eſſe, aliàs teſtimonium ipſum Pontificis fallax eſſet. Quod ſi vero hoc ita ſe habeat, cauſam dicant, cur plebs ſacris Proteſtantium addicta, legens N. Teſtamentum, perſuaderi non poſſit, articulum hunc in Sacris clariſſimis verbis traditum eſſe? Sane ſive adſit, ſive non adſit infallibilis judex, ponendum eſt vere hanc veritatem in Evangeliis & Apoſtolicis ſcriptis inſinuari. Ita ſi in S. Literis hæc propoſitio extaret: bis duo ſunt quatuor: ſive eſſet aliquis infallibilis judex ſive deeſſet, perinde eſſet, dum hanc propoſitionem & ibi contineri, & veram eſſe perſpicere poſſet plebs. Ipſe Pontifex, qui ſibi infallibilitatis jus tribuit, non alia ratione de veritate reſurrectionis Chriſti convinci poteſt, quam plebs. Si clariſſime deprehendit ex lectione N. Teſtamenti, Jeſum in vitam fuiſſe revocatum, propoſitioni huic aſſentiri debet, verumque eſt in Revelatione eam tradi: teſtimonium ipſius nil addit ponderis manifeſtæ veritati, quia quilibet, qui legere poteſt N. Teſtamentum, eandem veritatem deprehendit.

XIV.

Occurritur quibusdam exceptionibus, quæ a Doctoribus pontificiis, contra ea, quæ dicta ſunt, in medium proferuntur.

Contra ea, quæ hactenus a nobis allata ſunt, multa ſolent Eccleſiæ R. Doctores excipere, quæ ſingillatim expendere animus non eſt; dum hic non tam de *perſpicuitate Scripturæ & neceſſitate lectionis S. Literarum* &c. quæ communiter in ſyſtematibus traduntur, agatur, ſed de eo unice quæſtio ſit, utrum plebs, inſtituto Revelationis examine, *fanaticiſmi* crimine ſeſe obſtringat. Ad pauca igitur capita referenda, quæ aliquam diſcuſſionem merentur. Nimirum dicunt Pontificii, plebem de nullis articulis Religionis poſſe eſſe perſuaſam, niſi convicta ſit de αὐθεντία librorum, in quibus Revelatio contineri dicitur. 2) Eam ſcire debere, utrum libri, qui vocantur Apocryphi, reliquo Canoni ſint adjiciendi, necne. 3) Perſuaſam eſſe debere de convenientia verſionis cum textu originali. Hæc omnia cum ſuperent capacitatem plebis, neceſſe eſſe, 4) ut in interpretatione & lectione S. Literarum frequenter decipiatur, atque in propoſitionibus quibusdam falſis, tanquam divinis adquieſcat, quod *fanaticum* ſit. Paucis reſpondebimus. Incipiamus ab ultimo, concedendo, fieri ſæpe poſſe, ut plebs hîc illic in lectione S. Litterarum fallatur. Evitare tamen hoc poteſt, ſi nonniſi in claris adquieſcat,

cat, de obſcuris ſuſpendat judicium; ſi alios magis verſatos in S. Literis conſulat: Si hoc non obſtante fallitur, bono animo errat, & ſibi quidem ſoli, neque propterea *fanaticiſmi* poſtulanda. Doctiſſimi interpretes gravius ſæpe peccant, quam plebs, quia opinione ſingularis eruditionis inflati, nonſolum ſæpe determinant, quæ ſatis clara non ſunt, & præjudiciis ſectæ, cui addicti ſunt, abripiuntur, ſed & aliis volunt imponere neceſſitatem proprias cerebri opiniones tanquam veritates divinas amplectendi, quos nemo tamen propterea *fanaticiſmi* poſtulat. Dicimus inſuper ea, quæ ſcitu credituve de Deo rebusque divinis ſunt neceſſaria, tam clare in S. Literis tradi, toties totiesque repeti & inculcari, ut concipi haud facile poſſit, qua ratione homo, ſincero veri cernendi incenſus amore, & Dei reverentia tactus, in articulo gravi, momentoſo, & ad ſalutem cognitu neceſſario, falli & decipi poſſit. Quod ſi aliquando fallatur, permittendus eſt Deo, qui omnes cordis angulos perſpectos habet; neque enim id quod judicio hominum momentoſum eſt, ſemper in oculis Domini tale eſt, quia is nonſolum ad errores ipſos, ſed potiſſimum ad animi διάθεσιν, quam mortales ut plurimum ignorant, reſpicit. Si vero plebejus aliquis, neſcio qua ſtultitia captus, vel phantaſia inepta deluſus, nonſolum multas ridiculas ſententias, rationi & revelationi manifeſte contrarias pro divinis venditaret, aliisque ſimul vellet obtrudere, merito pro homine *fanatico* haberetur; neque tamen propterea facultas judicandi, aut examen ipſum Religionis per ſe ſpectatum, nedum S. Literæ, hujus erroris cauſa eſſent. Hoc vero poſito, videant ipſi Eccleſiæ Romanæ Doctores, qui ad pleroſque articulos Religionis ſuæ comprobandos loca adducunt, quæ neque ſpeciem, neque umbram legitimæ interpretationis habent, in quam claſſem errantium ſint referendi. At, inquiunt 2) Doctores pontificii, plebejum aſſeverare non poſſe, hanc vel illam propoſitionem eſſe divinam, niſi de αὐθεντία librorum, quibus continentur articuli Religionis, ſit perſuaſus; hoc autem fieri non poſſe a plebejo, hiſtoriæ eccleſiaſticæ & criticæ artis ignaro. Reſpondemus, laicum poſſe ope argumentorum hiſtoricorum cognoſcere, Jeſum in terris vixiſſe, miracula patraſſe, doctrinam egregiam plane docuiſſe, mortuum denique & in vitam revocatum, teſtibus fide digniſſimis hæc omnia conſtanter confitentibus, in ſacrificio ipſius unicam ſalutis ſpem repoſitam; ſalutari fide, pœnitentia, & obſervatione

vatione

tione mandatorum Christi opus esse omnibus illis, qui beneficiorum in Evangelio oblatorum participes esse velint &c. quod ad summam rerum sufficit. Accedit, quod haud ignoret, Christianos in eo convenire omnes, doctos pariter & indoctos; ut vero sciat, de quibus libris olim sit dubitatum, quinam Canonis sint auctores & quo tempore sit confectus, necesse non est. Doctrina J. Christi in Scriptis illis tradita, præcepta illius, incentiva, promissiones &c. satis ponderis in animum suum habere possunt, ad præstantiam Religionis christianæ ponderandam: cumque audiat passim ab eruditis omnibus, v. gr. libros, qui *Cæsaris* vel *Livii* nomine circumferuntur, auctoribus, quorum nomina præ se ferunt, vendicari; vel si mavis recentiorum mentionem facere, opera, quæ a *Zvvinglio* vel *Luthero* scripta dicuntur, his hominibus, nemine repugnante, attribui, magis in sua sententia confirmatur. Pergunt & dicunt, laicos certo scire non posse, utrum libri dicti apocryphi ad canonem pertineant nec ne. Concedamus per tempus hoc verum esse, quid inde? pone nullos unquam extitisse libros apocryphos, aut eosdem temporum injuria periisse; quæro, an hoc posito Christianus non possit, ut de veritate Religionis christianæ in genere, ita etiam de articulis creditu necessariis in specie, esse persuasus? Si affirment hoc Doctores pontificii, tum sequitur, solam illam cognitionem articulorum, qui ex canone a Protestantibus admisso petitur, sufficere, ad omne illud præstandum, ad quod Revelatio data est. Si vero negent, nonsolum plebs Protestantium cœtibus addicta, sed doctissimi hujus partis viri, Christiani fere omnes, exceptis Pontificiis, sed & Patrum antiquissimi, *fanaticismi* arguendi, ut non jam dicam ineptum esse, eum qui in examine quæstionis alicujus criticæ errat, *fanaticum* vocare. Plebs insuper seria lectione N. Testamenti probe edocta est, in cognitione mysterii redemtionis J. Christi medullam Religionis positam esse. Hoc illi igitur nosse sufficit, certissimeque est persuasa, Deum non posse aliis in libris dogmata adversa secum fronte pugnantia credenda imponere. Denique, si & ipsa hæc apocrypha velit legere, facile deprehendet, in iis talia non reperiri, quæ majorem Evangelio lucem adferant. *Quarto* tandem confugiunt Doctores pontificii ad versiones, atque clamant, plebejos de veritate horum vel illorum articulorum persuasos esse non posse, cum ad originalem textum provocare non possint; fieri adeoque aliter non posse, quam ut

ut in verſionibus, quæ ſæpe textum perperam reddunt, adquieſcant, atque adeo articulis quibusdam falſis, tanquam divinis ſubſcribant, quod *fanaticum* ſit. Reſpondemus; 1) ſi omnes illi fanatici ſunt, qui non poſſunt verſiones vernaculas cum textibus originalibus conferre, heu quanta erit in orbe chriſtiano *fanaticorum* turba! Ita fanatici erunt plerique *Pontifices Romani*, qui linguas originales nunquam excoluerunt. Quot *Eccleſiæ Patres* hujus criminis rei erunt, quorum tamen explicationibus innixa eſt traditio ſcripta! 2) Quot *Epiſcopi*, *Archiepiſcopi* in numerum *fanaticorum* erunt referendi! Pontificii ipſi, ſecundum Concilii Tridentini decreta ſtatuunt, ſolam vulgatam ſufficere, ad omnes Religionis controverſias decidendas. Quod ſi hoc eſt, cur non poſſet plebejus Proteſtantium partibus addictus, ex vernacula quavis verſione Chriſti & Apoſtolorum doctrinam percipere? Antiquiſſimi Chriſtiani lectione vel τῶν LXX. vel verſione antiqua *Itala*, aut *Hieronymi*, erant contenti, & ex ea hauriebant, quæ ad diſciplinam chriſtianam pertinebant. Cauſa ergo reddenda, cur noſtris temporibus plebeji ex variis verſionibus ſummam rerum deprehendere non poſſent. Hodienum plerique ſcriptores græci & latini in vernacula idiomata ſunt translati; nemo autem affirmat, ex verſionibus ejusmodi ſummam rerum narratarum cognoſci non poſſe: cur ergo lectio verſionis N. Teſtamenti ſola tot tenebris eſſet obſepta, ut Chriſtiani omnes, adhibita omni attentione, ex ea ſapere non poſſent? Injurium plane eſt talia, aſſerere in ipſum Deum, qui cum variis gentibus hanc Revelationem concedere voluit, probe perſpectum habuit, fieri non poſſe, ut plane omnes idiomata hebraici & græci ſermonis poſſint intelligere.

XV.

Alterum argumentationis genus, quo D. pontificii Proteſtantes fanaticiſmi ſuſpectos reddere poſſunt, examinatur.

Devenimus tandem ultimo loco, ad alterum illud argumentationis genus, quo utuntur Doctores pontificii, probaturi, Proteſtantium doctrinam *fanaticiſmo* eſſe infectam. Agemus autem de hoc argumento breviter, quia hoc thema diligentiſſime a Theologis proteſtantibus eſt excuſſum. Objiciunt nempe D. Pontificii Theologis noſtris, nonſolum plebem, ſed & doctiores inter Proteſtantes, ubi ad probandam veritatem Religionis chriſtianæ deventum ſit, loco argumentorum, quibus illa perſuaſio niti deberet, ad neſcio quod internum

internum lumen Spiritus Sancti provocare, quod *fanaticum* sit. Dudum autem monuere cordati Theologi, noluisse Doctores pontificios Protestantium sententiam intelligere, cum alias mentem eorum facile potuissent percipere. Sententia Doctorum Protestantium huc redit: *Primo* statuunt, dari aliquos veræ Revelationis characteres & notas. 2) Eosdem in Sacris Literis deprehendi. 3) Mentem instructam esse facultate, cujus ope divinam originem ex notis illis eruat & probet. 4) Caussam ergo proprie dictam persuasionis illius de origine divina, esse convenientiam notarum illarum, sive characterum cum dogmatibus, quas Religio christiana complectitur. 5) Ad rite autem percipiendam vim argumentorum, & præstantiam Revelationis, opus esse singulari quadam mentis constitutione, cum ad præjudicatas varias opiniones removendas, & affectus refrænandos, tum ad voluntatem movendam. 6) Hanc διάθεσιν ordinare & efficere Spiritum S. Ex quibus manifestum est, plebejum, vel quemvis alium ex cœtu Protestantium, interrogatum, cur Revelationi tanquam divinæ subscribat, ad argumenta, ex notis illis & characteribus petita, non vero ad Spiritus S. arcanam operationem, missis omnibus argumentis, provocare. Hanc esse communem & receptam Theologorum Protestantium sententiam, omnibus notum est. Hinc necesse non est, ut multa eum in finem horum Theologorum adducam testimonia. Duo duntaxat adduxisse sufficiet, nimirum præstantissimi *Ludovici le Blanc*, & celeb. la Placette. Ille in *thesibus suis theologicis* p. 24. thes. VII. ita mentem suam de hoc argumento aperit, dicens: *Primo igitur certum & indubitatum nobis est, Spiritum Sanctum, hominis, quem ad fidem adducit, sic disponere & afficere mentem, quæ alioqui in his caligat & cæcutit, ut verbi Dei & Scripturæ lucem percipiat & agnoscat; hoc est, serio advertat ad ea argumenta, notas & κρίτηρια, quibus verbum Dei verum & divinum probatur, & de iis recte judicet, indeque, sicuti par est, de illius divina veritate persuadeatur, quod dum Spiritus intus agit, indere dicitur nobis novos oculos.* Ita *doctus* ille *Theologus.* De fide divina inter Theologos Protestantes eruditissime & prolixissime agit ὁ Μακαρίτης celeb. *la Placette.* Is autem de hac quæstione pag. 296. Edit. Rotterodam. An. 1716. editæ, ita ex mente Reformatorum loquitur: *Il y a une double analyse de notre foi; l'une consiste à rechercher qu'elle en est la cause physique*

& efficiente, comme on parle dans les écoles: l'autre consiste à rechercher la cause morale & objective. On demande dans la premiere, ce que c'est que produit la foi dans nos cœurs? On demande dans la seconde, quel est le motif qui nous porte à croire? Lorsqu'on nous fait la premiere de ces deux questions, il faut repondre, que c'est le Saint Esprit, qui nous donne la force de croire. Mais lorsqu'on nous fait la seconde, il ne faut rien dire du Saint Esprit; il faut dire, que ce qui nous porte à croire, c'est l'autorité ou le temoignage de Dieu, qui nous a relévé ce que nous croyons. Si on continue à nous presser, d'où c'est que nous savons, que Dieu a révelé ce que nous croyons, nous devons alléguer les motifs de credibilité qui le prouvent. Si après que Jesus Christ eut rendu la vüe à l'aveugle né, quelqu'un lui eût demandé, d'où il savoit qu'il étoit jour? il auroit repondu sans doute, que ses yeux ne lui permettoient pas d'en douter. Mais si on lui eût demandé, d'où lui venoit la liberté qu'il avoit de se servir de ses yeux, & de recevoir l'impression de la clarté du soleil, il auroit repondu sans doute, que c'étoit un effet de la bonté & de la puissance de Jesus Christ, qui l'avoit guéri. Lorsqu'on nous demande de même, ce que c'est qui nous persuade que Dieu a révelé les verités du salut, nous repondons en produisant les motifs de credibilité, qui ne sont autre chose que les caractéres de divinité, qui paroissent visiblement dans la révélation, que Dieu nous a addressée. Mais si on nous demande, qui c'est qui nous a rendu assés clair-voyans, pour appercevoir ces caractéres de divinité que tant d'incrédules n'apperçoivent pas, nous repondons que c'est un effet de la grace. Solent insuper Theologi, ut rite mens eorum capiatur, similitudinibus cuivis notis uti. Ita dicunt v. gr. oculos posse cernere corpora cœlestia; quod si accedant tubi optici, rectius ea cerni, quia ita acies eorum intendatur, neminent tamen propterea dicturum, tubum videre, non vero oculos. Similiter posse mentem, & quidem solam, vim argumentorum intueri; ut vero rite id fiat, mensque præstantiam rei revelatæ percipiat, commoveaturque, opus esse Spiritus S. gratia, mentem corroborante & dirigente. Non diffitemur tamen, quosdam ex Theologis Protestantibus aliquando obscurioribus verbis, quando sententiam suam de hoc argumento tradere voluerunt, usos fuisse. Candide hoc fatetur ὁ μακαρίτης *cel. Werenfelsius, Dissert. VIII. de triplici teste*, p. 180. Edit. pr. *Tamen nihil hic dissimulemus*, (inquit,) *inter Theologos qui persua-*

sionem

sionem de Scripturæ Sacræ divinitate Spiritus S. testimonio niti dicunt, quidam reperiuntur, quibus non omnino placere videtur, quod hæc verba tam perspicue hodie explicantur: mallent, ut iis subjicerentur notiones paulo obscuriores, magisque mysterium redolentes: imo quidam eorum credere videntur, Spiritum S. in hominibus producere persuasionem nescio quam, prorsus distinctam ab ea, quam in nobis excitant notæ & criteria divinæ originis *tum externa tum interna*, aut alia argumenta, *qualiacunque demum ad hanc probandam adduci possunt: volunt Deum* immediate & omnipotenti sua virtute, producere persuasionem alterius generis, *nullis quidem argumentis nitentem, ea tamen quæ argumentis superstruitur, longe firmiorem: sed nescio*, (ita pergit eximius vir) *num Theologi, ita statuentes, satis attenderint ad naturam persuasionis, quæ ubi nulla prorsus argumenta persuadentia sunt, vera persuasio esse nequit. Nescio, quo pacto hanc persuasionem discernere velint a tot vanis opinionibus, quibus homines pertinaces sine ullis rationibus manent addicti. Nescio, qua ratione persuasionem hanc, modo tam extraordinario a Deo in mente productam, distinguere possint ab* Enthusiasmo. *Nec video, ex quibus criteriis cognoscant, hujus Deum potius, quam* spiritum quendam deceptorem, *causam esse. Non denique invenio, quid Doctoribus Ecclesiæ Romanæ responsuri essent, si isti faterentur quidem, se Ecclesiæ suæ ἀναμαξήτως sine ulla ratione credere, id tamen minime impedire, quo minus hæc persuasio divina sit, & ab ipso Dei Spiritu in omnibus genuinis Ecclesiæ Catholicæ membris immediate producta.* Hactenus præstantissimus ille Theologus. Quanquam autem verum sit, quosdam Theologos obscurius de hoc argumento locutos fuisse; certum tamen simul est, eosdem professos fuisse, ad fidem illam salutarem de veritate Religionis christianæ ingenerandam, opus esse, cum argumentis, tum Spiritus S. auxilio, quod ad summam rerum sufficit ad eos a vitio *fanaticismi* liberandos. Ex dictis ni fallor satis patet, injuriam fieri Theologis protestantibus, quando in hoc argumento *fanaticismi* postulantur. Certe Doctoribus pontificiis incumbit probare, aut Spiritum S. vim aliquam & efficaciam in animis hominum exercere non posse; aut Eum non velle; *Prius* dicere non possunt, quia ipsi de Deitate Spiritus S. illiusque potentia pariter ac Protestantes sentiunt. Neque propterea, quod arcanæ operationis Spiritus S. modum ignoramus, rem ipsam in dubium vocare possunt, quia posito hoc principio, ipsa

 Dei

Dei providentia eſſet neganda. Poſterius eſt contrarium iis, quæ ipſimet Doctores pontificii de hoc argumento confitentur. Nonſolum enim diſertis verbis aſſerunt, Spiritus S. auxilio ad illam perſuaſionem comparandam opus eſſe, ſed & injuriam ſibi fieri clamant, quando Theologi quidam Proteſtantes contrarium aſſerunt. Utrumque probat doctiſſimus *le Blanc* loc. cit. p. 34. Unicum adduco locum *Melchioris Cani*: Hic *Loc. Theolog. L. II. cap.* 8. ſequentem in modum loquitur: *Id ſtatuendum eſt, auctoritatem humanam, & incitamenta illa omnia prædicta, ſive alia quæcunque adhibita ab eo, qui proponit fidem, non eſſe ſufficientes cauſas ad credendum, ut credere tenemur, ſed præterea opus eſſe interiore cauſa efficiente, id eſt, ſpeciali auxilio moventis* ad credendum. Et paucis interjectis: *Externæ igitur omnes & humanæ perſuaſiones non ſunt ſatis ad credendum, quantumcunque ab hominibus competenter ea, quæ ſunt fidei proponantur; ſed neceſſaria eſt inſuper cauſa interior, hoc eſt, divinum quoddam lumen incitans ad credendum, & oculi quidam interni, Dei beneficio ad videndum dati.* Ita *Canus.* Sed hæc mea opinione ſufficiunt, ad probandum, Proteſtantibus *temere* & *falſo fanaticiſmum* objici.

****

DISSERTATIO IN QUA PROBATUR EXAMEN RELIGIONIS, QUOD SECUNDUM PROTESTANTIUM PRINCIPIA, OMNIBUS EST INSTITUENDUM INDIFFEERENTISMO non patrocinari, NEQUE TRANQUILLITATI SOCIETATIS CIVILIS OFFICERE.

Dissertat. de Recent. quorundam adversus INCREDULOS Disputandi methodis, continuatio posterior & ultima.

THES. I.

Haretici ergo sunt, sed non scientes. Denique apud nos sunt Haretici, apud se non sunt. Nam in tantum se Catholicos esse judicant, ut nos ipsos titulo haretica appellationis infament. Quod ergo illi nobis sunt, hoc nos illis. Nos eos injuriam divina generationi facere certi sumus, quod minorem Patre Filium dicant. Illi nos injuriosos Patri existimant, quia aquales esse credamus. Veritas apud nos est; sed illi apud se esse prasumunt. Honor Dei apud nos est; sed illi hoc arbitrantur honorem Divinitatis esse, quod credunt. Inofficiosi sunt, sed illis hoc est summum Religionis officium. Impii sunt, sed hoc putant veram esse pietatem. Errant ergo, sed bono animo errant, non odio sed affectu Dei, honorare se

Dominum

Dominum atque amare credentes. Quamvis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam Dei existimant caritatem. Qualiter pro hoc ipso falsæ opinionis errore in die judicii puniendi sint, nullus potest scire nisi judex. Interim idcirco eis, ut reor, patientiam Deus commodat, quia videt eos, etsi non recte credere, affectu tamen piæ opinionis errare. Ita Salvianus de Gubernatione Dei, Lib. V. p. 87. Edit. Rittershusii, disputans adversus Gothos & Vandalos, Arianismo addictos.

Scopus & occasio hujus Dissertationis repræsentatur.

IN Dissertatione proxime antecedente, satis, ni fallor, contra *Ramseum*, biographum illustris *Fenelonii*, aliosque, vel Deismo, vel Romanensium opinionibus addictos, probavimus, tantum abesse, ut principia Religionis Protestantium, *Fanaticismo* faveant, ut potius certissima adferant præsidia, quibus veri amantes ad certam & salutarem cognitionem Religionis pervenire possint. Jam vero tempus est, ut promissis stemus, atque expendamus, utrum verum sit, quod iidem adversarii contendunt, examen nimirum Religionis, quod promiscue omnibus, secundum sententiam Protestantium, instituendum est, nonsolum *Indifferentismo* patrocinari, sed etiam paci & tranquillitati societatis civilis vehementer officere. Nimirum sic ratiocinatus est *Ramseus*, in vita Archiepiscopi Cameracensis. Eandem cantilenam nuper repetiit *eminentissimus Cardinalis Tencinus* & quidam alii Ecclesiæ Gallicæ Episcopi, uti ex apologia a *Courayerio* edita patet. Imo hoc est classicum argumentum Pontificiorum, quod identidem ingeminare solent. Licet vero hæc objectio satis superque a Theologis & Jurisconsultis Protestantibus sit confutata, instituti tamen mei ratio postulat, ut eandem examini subjiciam; cum propter Doctores pontificios, tum vero etiam propter Protestantes ipsos, quibus sua principia, quæ tuentur, non satis possunt repræsentari, quia, licet pleno ore ea contra Pontificios defendant, nihilominus tamen frequenter variis ex rationibus ea ex oculis emittunt; itaque sæpe agunt, ut putares, eos promiscuum illud Religionis examen non probare.

II.

II.

Summma objectionis Pontificiorum examen Religionis impugnantium sistitur.

Ut vero breviter argumentationem Pontificiorum, lectorum oculis subjiciam, huc omnia redeunt: Dicunt nimirum, judicio Protestantium, omnes homines promiscue teneri, ad examen Religionis instituendum; ex hoc vero necessario sequi, oportere homines, instituto pro viribus examine, in iis adquiescere, quæ vera, id est, Sacris Literis consentanea esse putent. Cum vero præter ingenii imbecillitatem, qua laborent longe plurimi eorum, quibus præceptum hoc inquirendi Religionem injunctum sit, interpretes etiam doctissimi, in explicatione S. Literarum inter se dissentiant, & maximus sit controversiarum & discrepantium inter se opinionum numerus, fieri aliter non posse, quam ut illi, qui non omnibus præsidiis ad verum cernendum sunt instructi, multitudine tot difficultatum animis occurrentium obruantur, atque sic tandem, cum aliter sibi consulere non possint, colligant, aut perinde esse quamcunque Religionem profiteantur, cum nulla secta sit, quæ non aliquid erroris admixtum habeat, aut de omnibus promiscue Religionis articulis esse addubitandum. Accedere ad hoc, quod multi ambitione & inclarescendi studio inducti, non possint non novas & paradoxas sententias fovere, receptasque, non sine subtili specie veri, convellere; hoc ubi advertant alii, magis magisque in suis eos opinionibus & dubitationibus confirmari, atque ita existimare, perpetuam quandam inter articulos Religionis esse pugnam, neque ullibi tuto pedem figere posse eum, qui ope examinis ad certam Religionis cognitionem pervenire velit. Præter argumenta vero ab ingenii humani imbecillitate & varietate opinionum controversiarumque desumta, ad experientiam etiam provocant, atque ostendere conantur, quot & quam multiplices controversiæ inter ipsos Protestantes, inde a temporibus Reformationis, fuerint ortæ & agitatæ; quantus fuerit & sæpe adhuc sit dissensus docentium in una eademque Academia: quot novæ explicationes S. Literarum in lucem fuerint protractæ & adhuc excogitentur, & quam sæpe factum sit, & adhuc eveniat, ut, quod ante paucos annos Doctoribus hisce heterodoxum visum, pro veritate certissima postmodum habitum fuerit. Per hoc denique examen, omnibus promiscue instituendum, fieri, ut nonsolum plures *Indifferentistæ* cœtibus Protestantium sint admi-

fti, fed & ftante hac libertate Religionem examinandi, quibusvis pro captu ingenii de Religionis negotio fentiendi dandam effe licentiam, poteftatemque fua animi cogitata cum aliis communicandi, verbo ut abfolvam, *tolerantiam omnium erga omnes ftabiliendam.* Hoc autem rurfus conceffo, fieri aliter non poffe, quam ut in Imperiis & Rebuspublicis perpetuæ contentiones & turbæ exoriantur, nullum ita finem habituræ. Augeri hoc malum, quod fecundum Proteftantium fententias, neque Principibus, neque V. D. Miniftris & Doctoribus publicis, ullum in confcientias hominum jus tribuatur. Hæc fumma eft objectionis, toties totiesque repræfentatæ.

III.

Examen Religionis quammaxime eft neceffarium.

Plura jam in antecedentibus partibus harum Differtationum, contra hanc objectionem in medium attuli, ita tamen, ut argumenta hæc contra ipfos Pontificios retuderim potius, quam ut directe illas objectiones expenderim. Juvat igitur objectionis illius vim paulo propius examinaffe. Ut autem hoc recte fiat, ante omnia ea argumenta fummatim in medium funt afferenda, quibus utuntur Theologi Proteftantes ad probandum, Religionis examen a quolibet homine neceffario effe inftituendum. Et *primo* quidem exiftimant hi Doctores, Religionem non alio fine generi humano datam, quam ut homines eam rite cognofcant, viamque veræ felicitatis confequendæ ex eadem addifcant. Ipfi Pontificii finem alium, conceffæ nobis Revelationis, monftrare non poffunt. Quod fi vero Deus in Revelatione voluntatem fuam, de ratione confequendæ falutis declarare voluit, neceffe eft, ut homines examen Religionis datæ inftituant, quia fine hoc cognofcere non poffunt, utrum ea Revelatio fide digna fit, & quid ea potiffimum injungat. Si dicant Doctores pontificii, imo vero S. Literas eo fine datas, ut homines ex iis voluntatem Numinis cognofcant; fed opus effe, ut ea, quæ credenda funt, hauriantur ex ore judicis infallibilis i. e. Papæ, multa poffem refpondere, quæ fufe in antecedentibus funt allata. Hoc unum jam dico iis faltem, qui ita fentiunt, cognofcendum *primo* effe, certo & infallibiliter, dari aliquam Revelationem certis notis Divinitatis inftructam; *fecundo* fciendum, in ea clariffimis & evidentiffimis verbis declarari, Deum generi humano vifibilem aliquem judicem dediffe,

ex

ex cujus & ſolius quidem ore, hauriendus ſit verus ſenſus Revelationis: & *tertio* denique, certo & infallibiliter ſcire debent Doctores pontificii & ipſa plebs Religioni huic addicta, non alios eſſe illos judices, quam Pontifices Romanos. Impoſſibile autem plane eſſe, ut tres illas propoſitiones probare poſſint, ſatis in antecedentibus probavimus, quæ hic repetere nolumus. Breviter, ut rem abſolvam, hoc unum tantum dico; ipſorum nimirum Doctorum pontificiorum judicio, Chriſtus & Apoſtoli erant judices in Religione infallibiles, & hi erant audiendi. Hoc tamen non obſtante, omnes diſciplinæ chriſtianæ alumni debebant doctrinam Chriſti & Apoſtolorum examinare; quid ergo prohibet, quo minus Chriſtiani noſtræ ætatis idem faciant? *Secundo*: Extant in S. Literis clariſſima evidentiſſimaque loca, in quibus diſertis verbis injungitur, ut omnes, qui ſua nomina dare volunt Religioni a Chriſto traditæ, eam expendant, & S. Literas legant. Quia loca illa ſunt notiſſima, & in antecedentibus fuſe allata, ea denuo hic adponere nolo. Cum vero Pontificii Religionem chriſtianam divinam eſſe fateantur, neceſſe eſt, eos præcepta etiam illa Chriſti & Apoſtolorum pro divinis habere, quod idem eſt, ac ſi dicas, neceſſe eſſe ut homines Religionem examinent. *Tertio*: Natura Religionis, cui quis addictus eſſe debet, hoc officium depoſcit: credere enim eſt actus hominis, Religioni album calculum adjicientis. Ad hoc præſtandum cum argumenta generalia, quibus veritas Religionis innititur, ſunt expendenda, tum vero ſingulares articuli creditu neceſſarii ſunt cognoſcendi. Atqui id ſine examine fieri non poteſt. Quemadmodum enim nemo pro alio edere poteſt, ita nemo pro alio etiam poteſt credere. *Quarto*: Chriſtum miracula patraſſe, ad ſuam doctrinam confirmandam, notiſſimum eſt; neceſſe igitur erat, ut, qui huic Doctori voluit obtemperare, examinaret ante omnia, utrum fieri poſſint miracula; utrum vere ea facta, & utrum Deum habeant auctorem. Hoc peracto in ipſam doctrinam Chriſti erat inquirendum & diſpiciendum, utrum ea cum rectæ rationis principiis, & cum Moſis atque Prophetarum ſcriptis conveniret nec ne. Jam vero quis tam hebes eſt, ut non ſentiat, hæc ſine examine fieri non potuiſſe? Magis autem hoc examen jam erit neceſſarium, poſtquam miracula ceſſarunt, & in literas relata ſunt ea, quæ a Chriſto & Apoſtolis tradita fuerunt. *Quinto* Deus in ſuo Verbo dicit, ſe ultimo die judicaturos homines ſecundum

eundum Evangelium ſuum. Quod ſi vero examen Religionis proſcriptum eſt, quomodo illi, ad quos ſalutaris lux Evangelii pervenit, poſſunt puniri ob id, quod tamen ſecundum ipſius Numinis voluntatem, ſi Pontificios audias, permiſſum non eſt. *Sexto*: Omnes regulæ prudentiæ hoc examen ſuadent. Nihil magis periculoſum eſt, quam in cauſa ſalutis æternæ aliorum hominum, quantacunque vel auctoritate vel eruditione ornati ſint, voluntate inniti. Recte dixerat *Lactantius*, *Inſtitut. Lib. II. cap. 7. Oportet, in ea re maxime, in qua vitæ ratio verſatur, ſibi quemque confidere, ſuoque judicio ac propriis ſenſibus niti, ad inveſtigandam perpendendamque veritatem, quam credentem alienis erroribus decipi, tanquam ipſum rationis expertem. Dedit omnibus Deus pro virili portione ſapientiam, ut & inaudita inveſtigare poſſent, & audita perpendere.* Nemo in negotiis civilibus & œconomicis, ſine extrema dementia, aliis omnia committit. Multos dari inter Chriſtianos, impoſtores, fanaticos, & ſuperſtitione prava dementatos Doctores, ne ipſi quidem inficiantur Pontificii: ne ab hiſce decipiamur, hoc unum reſtat, ut, quæ ab iis traduntur, inſtituto examine, ad Revelationis normam expendamus. *Septimo* denique, ut alia ſilentio tranſeamus, Chriſtus ipſe S. Soter, & infallibilis Doctor, Judæos, quod ea, quæ in V. Teſtamento de Meſſia præclare dicta eſſent, minus expenderint, aut prorſus neglexerint, vehementer & graviter increpuit. Quod ſi vero omne examen proprium Religionis proſcriptum eſſet, vana & injuſta eſſet hæc reprehenſio; quod dicere tamen impium plane eſt. Idem dici poſſet de accuſationibus Apoſtolorum, Gentilibus intentatis, v. gr. Pauli, quod ad τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, id eſt, ad principalia Theologiæ Nat. ſola meditatione per rectæ ratiocinationis leges eruenda, non attenderint. Quid enim hoc aliud eſt, quam dicere, eos pecudum ritu, antecedentium turbam ſecutos, miſſoque omni examine Religionis, in ſtultis & impiis opinionibus turpiter adquieviſſe? Quo jure vero talia illis poſſent objici, ſi examen Religionis per ſe illicitum eſſet, tantumque malorum συρμα poſt ſe traheret? Ex quibus ut plura alia, in re clariſſima, non addam, patet, ſententiam Theologorum Proteſtantium, qua probant examen Religionis omnibus eſſe concedendum, *certiſſimis evidentiſſimisque argumentis* eſſe ſuperſtructam. Ea vero prius falſi convincere debent Doctores pontificii, antequam de conſectariis variis, quæ ex hac ſententia promanare pleno ore clamitant, ſint ſolliciti. IV.

IV.

Antequam in rem præfentem defcendimus, atque difquirimus, utrum examen Religionis homines in graves errores, in *Indifferentifmum* v. gr. vel *Scepticifmum* conjiciat, ante omnia eheu! fatendum eft, dari inter omnes cœtus Chriftianorum, & Proteftantium in fpecie, etiam tales, qui eruditione & ingenio non deftituti funt, quique nihil fine examine in Religionis negotio fefe admittere afferunt, fimul tamen graviffimos foveant errores, paradoxas opiniones Religioni inimicas tueantur, certaque & indubia fufpecta reddere velint, atque, fub prætextu liberi hujus examinis, opinionibus fuis colorem aliquem conciliare velint. Hæc omnia fatemur & dolemus. At negamus, atque pernegamus, examen Religionis, *per fe fpectatum*, homines in errores illos præcipitaffe. Quod fi vero hoc demonftrare volunt Doctores pontificii, probandum illis eft, (1) in ipfo examine aliquid latere, quod neceffario animum ad affentiendum errori rapiat; vel (2) eam effe Revelationis naturam, ut adhibito etiam qualicunque examine, nihilominus in errores homines incidant: aut (3) naturâ cum ingenio humano & ratione ita effe comparatum, ut Revelationem fine periculo erroris examinare non poffint; quarto denique loco dicendum, examen quidem ipfum Religionis vitio nullo laborare; cum vero conftet experientia, plurimos examine hoc non rite uti, præftare, fi examen Religionis in genere profcribatur. Quamcumque autem ex his quatuor propofitionibus fibi probandam fument diffentientes, manifeftum erit, eos peffime ratiocinari. Videamus hoc per partes: fi examen Religionis, *per fe*, homines in errores præcipitat, tum hoc aut ideo fieri dicendum eft, quia examen omne, propofitionis cujuscunque, hoc malum fecum fert. At nifi ipfi *craffiffimum Scepticifmum* data opera tueri volunt, admittere hoc affertum non poffunt. Collatio certe duarum idearum cum tertia, qua nititur omnis humanæ ratiocinationis vis, nil habet mali. Attentio mentis, ad nexum duarum aut plurium idearum, itidem nil habet perverfi. Ergo neque in collatione idearum, neque in converfione mentis ad illas ideas, quod examen complectitur, quidquam culpandum eft. Hoc fi etiam afferant, tum inpofterum mortalibus neque cogitandum, neque loquendum eft, nullius artis vel difciplinæ, imo nullius negotii habenda eft ratio, & ftulti pariter & fapientes

Probatur examen Religionis per fe neminem in errores præcipitare poffe.

ſapientes eodem ſunt habendi loco. Cum vero Doctores hi tam abſurdas propoſitiones non admittant, & eandem cogitandi artem probent, quâ cæteri mortales uti ſolent, non opus eſt, ut in profligangańda opinione adeo abſurda tempus teramus: ad aliud itaque confugiendum, atque dicendum, non quidem examen per ſe periculoſum eſſe, ſed examen *Religionis* duntaxat hæc mala poſt ſe trahere. Hoc vero ſi ſimpliciter verum eſſet, nonſolum Proteſtantes, qui examen hoc urgent, ſed omnes mortales, qui unquam Religioni ſive veræ ſive falſæ ſubſcripſerunt, errare dicendi eſſent, quoniam nullus eorum unquam, niſi ſub ſpecie Religionis, has vel illas propoſitiones ut divinas probavit. Dicendum eſſet, eos mortalium omnium optimos & ſapientiſſimos eſſe, qui omne examen Religionis penitus proſcripſerunt, omnemque vim ingenii ſui, in cognoſcendis iis duntaxat vitam contriverunt, quæ ad hanc vitam animalem ſuſtentandam facere poſſunt. Quam vero ſtultum, imo quam impium ſit, talia velle tueri, vel me tacente vident omnes. Neceſſe igitur eſt, ut ad *ſecundam* propoſitionem deveniant, atque ex ipſa Religionis, ſive naturalis, ſive revelatæ, natura atque indole probent, neceſſe eſſe, ut quamprimum homines animos ad examen Religionis adjiciunt, in errores præcipitentur. Ad hanc vero ſententiam comprobandam non ſufficit dicere, Revelationem in quibuſdam eſſe intellectu difficilem, & quædam paſſim hinc inde in ea reperiri, quæ non tantum laicos, ſed & eruditos poſſint exercere. Hoc enim non magis negamus, quam Pontificii: ſed hoc probandum, Revelationem etiam in iis, quæ ad ſalutarem cognitionem voluntatis divinæ pertinent, ita eſſe perplexam, obſcuram, & perpetuis contradictionibus ſcatentem, ut adhibito etiam diligenti examine, ea, quæ cognitu ſunt neceſſaria, non tamen intelligi poſſint. Quod ſi vero hoc aſſerant Doctores pontificii, Religioni apertum indicunt bellum, & in caſtra tranſeunt *Deiſtarum*. Si enim liber iſte, etiam in iis, ubi verus ſenſus, non ſine ſalutis diſpendio, ignoratur, adeo perplexus, tantisque tenebris obſeptus eſſet, nonſolum pro libro divino admitti non poſſet, ſed (abſit blaſphemia) pro fœtu hominis inſanientis & mente capti habendus eſſet. Is ſane, qui promitteret, ſe arcana voluntatis divinæ revelaturum, & unicam ſalutem conſequendi viam monſtraturum jactaret, ſimul tamen ita obſcure & perplexe loqueretur, & adverſa ſecum fronte pugnantia etiam in iis locis proferret,

ret, ubi res attentione digniſſimæ explanandæ eſſent, pro fanatico ſane vel impoſtore, ab omnibus ſanæ mentis hominibus haberetur. Dum vero hactenus Pontificii Revelationem pro divina habent, & ex ea argumenta etiam contra quosvis adverſarios petunt, neque hanc ſententiam tueri, neque adeo ulla cum ſpecie veri defendere poſſunt, Religionem ipſam in cauſa eſſe, quo minus examen Religionis rite ſuccedere poſſit. Et ſane vel ex ipſis ſcriptis adverſariorum patet, eos, dum extra partes verſantur, & Religionem ipſam defendere volunt, noſtros ſequi. Unicum dabo exemplum. Edidit, ut notum eſt eruditis, cl. *Muratorius*, *Ducis Mutinenſis Bibliothecarius*, ſub perſonato nomine *Lamindi Pritanii*, non contemnendum libellum de *Ingeniorum moderatione in Religionis negotio*. In eo impugnat acriter Johannis *Phereponi*, i. e. J. *Clerici* ſtricturas *Auguſtino* oppoſitas. Inter alia *Auguſtinus*, contra Donatiſtas ſcribens, contendit, licitum eſſe ſummis Magiſtratibus, Hæreticos ad Religionem catholicam, i. e. ut ille putavit, veram, vi compellere. Inter alia ſic ratiocinatus eſt ep. 93. *Auguſtinus*: *ſi quisquam inimicum ſuum, periculoſis febribus phreneticum factum, currere videret in præceps; nonne tunc potius malum pro malo redderet, ſi eum ſic currere permitteret, quam ſi corripiendum ligandumque curaret?* Quid ad hoc J. *Clericus?* audi. *Phrenetici* (inquit) *ſine omni dubio ſunt phrenetici, & ſocietatem civilem plane perturbant; itaque leges civiles coërceri patiuntur & jubent. At in controverſiis de Religione, in quibus ſæpe videas contrarias partes, virtutum chriſtianarum æque ſtudioſas, legibusque civilibus pariter obſequentes, res non eſt neque adeo manifeſta, ut alteræ partes alterarum homines phreneticorum loco habere queant; nec in tantis affectibus, quanti hic deprehenduntur, alii aliorum judices eſſe poſſunt.* Multa contra hanc reſponſionem excipit *Muratorius*; ſed ad id, quod præcipuum eſt, attendi jubet; illud autem hoc eſt, judice *Muratorio*: *Eſſe debere, & eſſe reipſa Religionem aliquam inter homines a Deo conſtitutam, eamque nonſolum veram. certam, ſed & evidenter credibilem, & a quocunque amplectendam; dum ejus rationes & dogmata audiantur atque expendantur. Et quale, quæſo, Dei optimi ac ſapientiſſimi conſilium fuiſſet, mortalium genus edocere Religionem veram, niſi vera ejus hæc Religio, inter reliquas falſas prodere ſe, & ſuam re vera præcellentiam manifeſte ſemper aperire potuiſſet ac poſſet? Quid hominibus profuiſſet,* atque

atque prodesset, divinum beneficium, si nemini unquam contingeret, sine dubitatione perspicere atque cognoscere, quænam sit unica illa cælestis Religio? Nonne apud Deum excusare se merito posset, quicunque erraret in Religionis delectu, quando abditum, obscurum, & dubium semper foret, quæ una sit amplectenda? Ergo frustra Christus nos docuisset. Ergo frustra Spiritus S. locutus fuisset per Prophetas, Apostolos, atque Evangelistas. Manifestum quidem est ex his verbis, *Muratorium*, veræ Religionis nomine, intelligere eam, quam Pontificis asseclæ amplectuntur; dum vero ab una parte ad *finem Dei*, revelationem mortalibus concedentis; ab altera vero parte, ad ipsum *Christum*, *Prophetas* & *Apostolos*, provocat, necesse est concedat, in scriptis Prophetarum, Evangelistarum & Apostolorum, veram certamque doctrinæ christianæ indolem reperiri: unde evidentissime sequitur, revelationem ipsam, ex qua Religionis veræ fontes derivantur, secundum ipsa Romanensium principia, non ita tenebricosam & obscuram esse, ut nemo eam sine certissimo erroris periculo intelligere possit: sequitur ipsum etiam examen Religionis, a Protestantibus commendatum, neminem in errores præcipitare. Quod si de gradu hoc depulsi adversarii dicant, Revelationem quidem non esse tam obscuram, ut non possint ea, quæ ad æternam salutem consequendam pertinent, ex ea cognoscere veri amantes; sed ingenii humani vires ita esse depressas, facultatesque mentium humanarum ita obtenebratas, ut, quamprimum ad examinandam Religionem animos adjiciant, non possint non in errores, eosque graves præcipitari, & incidere in scyllam, cum vitarint charybdin; idem enim est ac si dicant, vel nullam dari Revelationem, vel eam ita esse comparatam, ut ope ingenii humani, ejus origo & argumentum cognosci non possit. Pone enim Religionem certissimis evidentissimisque principiis esse superstructam & perspicuis verbis expressam; pone, res in ea contineri momentosissimas; homines vero omnes ita esse natura comparatos, ut adhibita etiam omni attentione & diligentia, verum tamen a falso discernere non possent, perinde esset ac si nulla esset Religio. Et hac sane ratione merito laudandi essent omnes homines, si Religionis curam prorsus abjicerent, quoniam non magis apti essent ad sanum judicium de Religione ferendum, quam stipites. Ita sane, non secundum principia Protestantium, sed Ecclesiæ Romanæ Doctorum, necessario *Indifferentismo* nomen

nomen dare deberent. Veteres *Sceptici* contendebant, nullum dari veri criterium; mentes ad veritatem, ut noctuas ad lucem caligare: objecta non talia esse, qualia sensibus repræsententur; nihil igitur unquam pro certo habendum, sed assensum semper esse cohibendum, & in perpetua quadam ἐποχῇ esse adquiescendum, in rebus vero ad Religionem pertinentibus, mores civitatum, in quibus quisque natus est, esse sequendos. Non possit sane ovum ovo similius esse, quam est sententia *Scepticorum* & illorum Doctorum, qui vel Revelationem tam obscuram esse dicunt, ut in iis, quæ cognosci generis humani quammaxime interesset, perpetuo homines falleret; aut perspicuam satis quidem, sed mentes ita esse obtenbratas, ut adhibito omni studio, id quod necessario cognoscendum esset, intelligere tamen arte nulla possent. Nota est sententia ill. *Huetii* circa hoc argumentum, nunquam publice ab Ecclesia Romana vel Pontifice damnata. Restat, ut tandem dicant, examen Religionis ipsum neminem in errores præcipitare; at fieri tamen varias ob rationes facile posse, ut homines perperam illud examen instituant, atque ita in errores incidant. At hoc lubentes concedimus, neque id nostræ sententiæ officit quidquam. Dixeramus in antecedentibus, ad examen Religionis rite instituendum, requiri animum docilem, veri amore tactum, neque præjudicatis opinionibus & pravis affectibus corruptum. Quod si his præsidiis homines non utantur, sed ἀβλεψίᾳ, nimia festinatione, amore sectæ, in præceps ruant, neque examini hoc per se, neque Religioni hoc est tribuendum, multo minus inde colligendum, omne examen Religionis propterea esse abjiciendum. Quis enim sanæ mentis unquam ita est ratiocinatus? Imperantes potestate sua abutuntur sæpius, ergo de thronis suis omnes sunt deturbandi, vinculaque societatis & fœderum solvenda. Judices, aut ignorantia aut pecunia corrupti, sæpe innocentes damnant, nocentes vero absolvunt, ergo officium judicum plane est abrogandum: hic vel ille Matheseos, Ethicæ, Historiæ &c. cultor, turpiter lapsus est in ratiocinando; ergo disciplinæ illæ omnes in posterum non sunt excolendæ sed abjiciendæ. Imo si hæc ratiocinandi methodus valet, neque edendum, neque bibendum est in posterum mortalibus, quoniam multi cibis atque potu abutuntur. Mitto absurda alia. Ex quibus omnibus manifestissimum est, nullum adesse argumentum, quo Doctores pontificii probare possint, examen Religionis

a Theologis protestantibus commendatum, *per se* homines in errores, nedum graves, præcipitare posse.

V.

Expenditur aliud argumentum Pontificiorum.

Cum pontificii Doctores perspicuis argumentis probare nulla ratione possint, examen Religionis *per se*, homines in errores præcipitare, ad talia confugiunt, quæ quidem vim probandi habent nullam, specie tamen sua facile imponere possunt illis, qui artis ratiocinandi non adeo sunt periti. Nimirum provocant, tum ad innumeras controversias, quæ inde a tempore Reformationis inter ipsos Protestantes fuerunt agitatæ, & ad minores cœtus, qui tanquam surculi, e trunco cœtus Protestantium orti sunt; tum vero ad tot diversas S. Literarum interpretationes, & inde enatas varias de Religione sententias; hæc mala vero omnia tribuenda esse libero illi Religionis examini. Ita enim aliter fieri non posse, quam ut plebs, sententiarum illarum diversitate confusa, vel errores pro veritatibus arripiat, vel in ipsum *Indifferentismum* prolabatur. Atque hanc etiam præcipuam causam esse, quod in cœtibus Protestantium tot reperiantur *Deistæ* & *Indifferentistæ*. Respondemus in genere, si hæc omnia vera essent, nihil tamen hoc officere Religionis examini: neque enim sequitur; hic vel ille perperam instituit examen Religionis, vel in hoc negotio occupatus erravit, ergo non licet Religionem examinare. Sed juvat singillatim quædam ad hanc objectionem monuisse. Et 1) quidem non diffitemur, multa δυσνοήτα in S, Literis reperiri, & inde etiam factum, ut Protestantes in suis interpretationibus in diversa abierint, sententiasque plures & quidem diversas his interpretationibus superstruxerint; at hæc viros veri amantes minime offendunt. Eruditi, sive Protestantium, sive aliorum cœtibus addicti, pulchre cognoscunt, per rerum naturam fieri non posse, ut omnia, quæ in S. Literis comprehenduntur, æque clare pateant: vident etiam, ad veram indolem Religionis cognoscendam, necesse non esse, ut singulæ circumstantiæ rerum in Sacris contentarum, perspectæ sint. Norunt, in omnibus disciplinis dari quædam arcana, quorum naturam introspicere mortalium non sit. Judicandum igitur putant, pro gradu convictionis, qua quisque gaudet. Quædam pro certis, alia pro probabilibus habent; quædam incerta plane

ne esse deprehendunt; de multis illud NON LIQUET ingeminant. Ita vero si agunt eruditi, timendum non est, ne forte in *Indifferentismum* incidant. Si vero quis insatiabili laudis & famæ cupiditate ardet; si volitare per ora virùm vult; si evidentiam mathematicam quærit in rebus, quæ talem non admittunt; si certa incerta reddere conatur; si demonstrationes evidentissimas convellere; si nihil in Religionis negotio & interpretatione S. Literarum sibi impervium esse stulte opinatur: si Religionem, non tanquam normam pie vivendi, sed tanquam argumentum, ingenium suum exercendi considerat; si (ut verbis celeb. *Werenfelsii* utar) *verbo Dei affingit præjudicatas suas opiniones, Magistrorum suorum traditiones, cerebri sui commenta, & fabrefacta systemata, phantasiæ suæ delicias, cordis & affectuum dictata, tot pituitæ, tot bilis, tot splenis, cujuslibet denique temperamenti fœtus, imo abortus*, mirum non est, tales in graves, ineptosque incidere errores. Tantorum vero malorum causam esse non Religionem ipsam, sed prava mentium studia, omnes, qui cæcutire nolunt, facile deprehendent. 2) Quanquam autem non infitiemur in Protestantium cœtibus etiam dari *Indifferentistas*; non tamen pro talibus habendi sunt illi, qui non omnibus sectæ suæ, quam sequuntur, addicti sunt opinionibus. Quando Viri docti, & a partium studio alieni, omnes partes eruditionis theologicæ excutiunt, & præclaro ingenio sunt præditi, fieri aliter non poterit, quam ut v. gr. in quæstionibus *chronologicis, criticis, historicis, exegeticis* & *dogmaticis* etiam *minoris momenti*, a se invicem dissentiant, licet in articulis necessariis amice conspirent. Tales appellari possunt Theologi *eclectici*, nullo vero jure invisum illud *Indifferentistarum* nomen illis tribuendum. Fieri itidem potest variis ex causis, ut unus asseveranter contendat, hanc vel illam propositionem in his vel illis S. Literarum locis perspicue contineri, ubi alius ad ἐποχὴν recurrendum esse putat. Hi vero, dum in summa rerum conveniunt, se invicem æquo animo ferre tenentur: ita neque in *Indifferentismum* prolabentur, neque *motus* vel *contentiones* orientur. Media certe via, eaque tutissima, inter eos, qui omnibus apicibus magistrorum suorum sunt addictissimi, & inter eos, qui novaturiendi studio commoti, certissima, vel maxime probabilia, convellere nituntur, incedunt. Talium etiam in ipsa Ecclesia Romana non exiguum numerum esse, quilibet colligere potest, cum ex ingeniorum huma-

Ss 2 norum

manorum indole, & eruditionis theologicæ natura; tum etiam ex monumentis, quæ passim a Viris doctis hujus Ecclesiæ in lucem eduntur, 3) Neque numerus controversiarum, quæ inter Protestantes excitatæ sunt, virum veri amantem commovebit, ut propterea in castra *Indifferentistarum* transeat; novit enim per rerum naturam fieri non posse, ut homines de omnibus minutis sententiis idem sentiant. Varietas ergo sententiarum illum ne tantillum quidem ab eo, quod verum certumque esse novit, commovebit. Novit nonsolum de Religionis negotiis, sed de omnium disciplinarum partibus, non omnes eadem ferre judicia; perspectum habet, non omnes sententias, de quibus eruditi litigare solent, ejusdem esse ponderis, sed sæpe disputari de lana caprina, sæpe eos λογομαχεῖν; sæpe sententias nullius ponderis mirum in modum exaggerari &c. haud ignorat denique, quid in Religione christiana præ cæteris sit eximium & θεῖον. Illud probe a quæstionibus vel inutilibus plane, vel saltem minoris momenti, novit discernere atque ita verum, inter tot sententias diversas, retinet, & scopulos omnes prudens evitat. 4) Quod denique ad plebem spectat, non magis eum movent controversiæ theologicæ, quam lites, quæ inter Medicos & Artifices omnis generis agitari solent. Hoc unum illi curæ cordique esse debet, ut simplicissimas veritates theoreticas & practicas, perspicue satis in S. Literis contentas, intelligat; in pietatis studio proficiat; auxilium divinum imploret, fidemque suam non prolixitate articulorum aut cognitione controversiarum, quæ inter eruditos agitantur, sed perspicua cognitione eorum, quæ creditu sunt necessaria, nimirum amore Jesu Christi, & præceptorum divinorum observantia, metiatur. Hoc si præstat, secure controversias Theologorum ignorare vel missas facere potest.

VI.

Consensus qui inter Christianos respectu plerorumque dogmatum,

Sed pergamus, atque alio argumento etiam probemus, examen Religionis homines in graves errores non conjicere. Atque hoc petitum est a consensu plerorumque Christianorum, in iis, quæ ad summam Religionis pertinent. Omnes Christiani, qui examen Religionis probant, ea, quæ ad summam articulorum Religionis christianæ (excipiendi tamen hic ex parte *Sociniani*, quanquam & hi de

de veritate Religionis christianæ in genere non dubitent) pertinent, admittere solent. Credunt veram & divinam esse Religionem christianam, & admittunt articulos in Symbolo apostolico contentos. Hic sane consensus probat, Religionem christianam, quoad præcipua sua capita, ejus esse naturæ atque indolis, ut examen severissimum sustinere possit. Qui hunc consensum non examini & evidentiæ rerum revelatarum, sed cæco assensui hominum, Religionis examen abjicientium, tribuunt, parum honorifice de Religione sentiunt, imo quantum in se est, eam ludibrio *Atheorum* & *Deistarum* exponunt. Præclare, ut solet, hoc argumentum urget ὁ Μακαρίτης cl. *Werenfelsius*, *in Dissertat. apolog. pro plebis judicio* &c. p. m. 28. *Qui metuunt*, (inquit) *ne ex libertate de Religione judicandi, omnibus concessa, tot Religiones oriantur, quot sunt capita, parum sane honorifice de catholica fide sentiunt. Quod si enim ex concessa hac libertate tantus metuendus est dissensus, consensus qui nunc est, unice provenit ex libertate hac Christianis ademta; ac propterea, quod in catholica Religione tot homines concordant, non aliunde venit, quam quod nemini hanc licet examinare & de ea judicare. De hac vero Religione qui ita sentiunt, eodem modo illam commendant, quo quis faciem commendaret, aut aurum, aut mercem: qui de facie diceret; omnibus eam pulchram videri, sed ideo, quia nemini propius accedere, ac nihilne in ea fuci sit, explorare liceat: De auro; hoc quamplurimis genuinum videri; sed ideo quia nemini permissum sit, illud ad lapidem lydium exigere: Ac denique de merce; magnam multitudinem ad eam emendam confluere, sed ideo, quia in tenebris vendatur, nemoque in luce eam aspicere & examinare possit. Putavi hactenus pro mea simplicitate, vim veritatis causam esse, quod tot homines in Religione christiana amplectenda conveniunt; atque in hoc eam distinxi a mahumedana, quæ ideo tantum tot sectatores habet, quia nemo illam audet examinare: Nunc vero audio, propter eandem causam, tot esse homines consentientes in amplectenda doctrina Jesu Christi, propter quam tot sunt consentientes, im amplectendo Alcorano & doctrina Muhamedis. Sed bene est, quod ad vindicandum christiani nominis honorem, tot etiam nunc supersunt myriades, quibus non tantum permittitur, Religionem suam examinare; sed qui hoc facere jubentur. Hi, non obstante ista libertate, sunt & manent Christiani. Et, si partem longe maximam spectes, nullus inter illos dissensus est*

locum habet, adversariorum sententiæ repugnat.

de dogmatibus, ad summam Religionis christianæ pertinentibus. Id quod omnes inter eos agnoscunt, qui sine affectu judicare, & momenta controversiarum ponderare sciunt. Hactenus eximius ille Theologus. Ad confirmandum autem hoc argumentum, notandum est, ubi de consensu Christianorum loquimur, non ad omnes opiniones minutas, de quibus inter se dissident Theologi, attendendum, quandoquidem illæ ad summam Religionis nil faciunt. Ita novimus, Protestantes in articulis fundamentalibus inter se consentire, licet in aliis minoris momenti quæstionibus non conveniant. Cognitum insuper est, posse fratres, uni eidemque confessioni addictos, nihilominus in quæstionibus particularibus, criticis, exegeticis, historicis & dogmaticis, a se invicem dissentire, qui tamen, non obstante hoc dissensu, *fratres* sunt, & se pro talibus, si sapiunt, & infallibilem suum Doctorem Jesum Christum imitari volunt, habere tenentur. Quando igitur viri, ingeniis & eruditione inter se quammaxime distincti, neque eadem sacra sequentes, post examen tamen rigidum Religionis institutum, nihilominus tamen in summa rerum conveniunt, manifestissimum est denuo, examen Religionis homines veri amantes in errores non præcipitare, sed eosdem potius ad consensum inducere. Quod si tamen, hoc non obstante, *Indifferentistæ* in cœtibus Protestantium reperiuntur, id minime examini Religionis, sed vel pigritiæ, cæcoque assensui, vel sinistris affectibus & præjudiciis tribuendum est. Et profecto, si viris eruditis Ecclesiæ Romanæ liceret, libere animi sui sensa de Religione in genere sine metu expromere, dubium non est, quin respectu examinis Religionis cum Protestantibus essent sensuri, & notionem veri *Catholicismi* (liceat ita loqui), quam exhibuit doctissimus COURAYERIUS in *Præfat. Concil. Trid.* p. 23. ambabus manibus amplexuri. Ea autem ita sonat: *La veritable Catholicité ne consiste pas tant dans une uniformité entière des sentimens, que dans un amour ardent de la verité, une disposition sincère à suivre toutes celles qui sont connuës, & une attention serieuse, à ne susciter ni révolte contre l'autorité, ni schisme contre la charité, par un attachement opiniâtre à ses idées, ou une opposition trop violente à celles des autres.*

VII.

VII.

Argumentis hactenus in medium prolatis & hoc adjicimus, quod nimirum argumentum, contra examen Religionis prolatum, plus probet, quam probandum esset, atque adeo, secundum rectæ ratiocinationis leges, probet nihil. Si enim argumentatio illa, petita ab erroribus, in quos quidam, qui Religionem examinant, incidunt, aliquid valet, necessario colligendum, Deum veri amantissimum, aut oportere facultatem judicandi & libertatem mortalibus omnibus eripere, aut Religionem ipsam plane tollere, aut denique per miraculum aliquod impedire, quo minus ideæ de Religione in animis hominum excitentur. Hæc vero ita sunt comparata, ut nonnisi ab homine *Sceptico* vel *Atheo* possint defendi. Age paucis probemus hæc consectaria necessario ex argumentatione Doctorum Ecclesiæ Rom. sequi. Notum est, omnes homines, ut de aliis rebus, sic etiam de Religionis negotio, varias animo versare cogitationes. Fieri vix potest, quin de rerum omnium origine, de generis humani ortu, de ordine & pulchritudine rerum creatarum, de mentium nostrarum natura, de justo & injusto, de statu hominum post hanc vitam &c. variæ oriantur in animis hominum cogitationes & ratiocinationes: amplius dico, homines omnes obligati sunt, ad cognoscendam Religionem, & ad officia Deo, Societati, sibimetipsis denique debita, rite ponderanda. Hæc officia suis quisque locis & personis sunt aptanda. Neque insuper perinde est, quid homines de Deo rebusque divinis cogitent: necesse est igitur, ut idearum de Religione instituant collationem. Hæc collatio sine examine fieri non potest. Quod si vero examen ipsum Religionis homines in errores præcipitat, obligatio omnis tollitur, quoniam nemo ad id teneri potest, quod necessario eum in errorem conjicit: necesse igitur est, ut vel ipsa tandem judicandi facultas hominibus eripiatur. Atque ita post veteres *Scepticos* judicavit P. *Baylius*, permissionem mali impugnaturus, asserendo, libertatem homini concedere idem esse, ac furibundo in manus tradere gladium ancipitem. Si vero hæc facultas, salva manente hominis natura, abesse non potest, ut malum hoc evitetur, tollenda prorsus est Religio: atque ita nonsolum cum Religione, quam profitentur Protestantes, sed cum omni facultate ratiocinandi actum esset, quod admittere tamen non possunt Doctores Pontificii.

Argumentum Pontificiorum plus probat, quam probandum erat, atque adeo nihil probat.

Pontificii. Atque hoc eo est evidentius, quod ipsi Pontificii prohibere non possint; quo minus docti pariter & indocti, varia de Religione cogitent, eamque expendant. Habent & illi suos Catechismos, libellos precum & vitas Sanctorum; audiunt etiam *Laici* orationes Sacerdotum, qualescunque tandem illæ sint; in congressibus cum aliis, in itineribus, in bello, multa varia de Religione percipiunt. In ipsam *Italiam* & *Galliam*, ut de aliis provinciis Ecclesiæ Romanæ addictis nil dicam, quantacunque sit hæreticæ pravitatis Inquisitorum diritas, deferuntur libri, ab Hæreticis scripti: velint igitur nolint homines, de Religione & variis illius articulis illis est judicandum. Dicendum igitur, vel adquiescendum esse omnibus hominibus, in iis de Religione opinionibus, quas semel sine examine in juventute imbiberunt: atque ita *Gentilis*, *Turca*, *Judæus*, *Socinianus*, *Pontificius* &c. suis inhærere debent sententiis & opinionibus, falsis licet, & inter se mirum in modum discrepantibus, quod concedere non possunt Pontificii: aut examen aliquod diversorum illorum Religionis articulorum est instituendum: cum vero examen promiscuum Religionis homines in errores, secundum Doctores Pontificios, *necessario* conjiciat, nihil restat, quam ut homines pedibus conculcent Religionem, aut saltem ita judicent ac agant, ac si nulla mortalibus esset a Numine data Religio, quod iterum nonnisi ab *Atheo* dici potest. Si dicant, instituendum esse Religionis examen, sed rectum; illud vero duntaxat rectum, & legitimum esse, quod ita feratur, ut cum decretis matris Ecclesiæ conveniat; respondemus, etiam Protestantes postulare, ut legitime instituatur examen, de quo nulla est quæstio: sed hoc duntaxat quæritur, utrum examen Religionis *per se* homines in errores præcipitet; deinde, si id examen demum rectum & legitimum est, quo opiniones nostræ, quas ante examen habuimus, confirmantur, omnes mortales, quibuscunque tandem sententiis de Religione addicti, in erroribus suis, jure præsidium quærunt & reperiunt, imo quærere & reperire tenentur, atque ita contradictoria poterunt esse simul vera, quod ἄτοπον est tueri velle.

VIII.

VIII.

Sed pergimus, atque dicimus, tantum abesse, ut examen serium Religionis homines vel in *Indifferentismum* vel in *Scepticismum*, quod contendunt Doctores pontificii, conjiciat, ut potius asseramus, neglectum hujus examinis tantorum malorum causam esse. Hoc vero constabit, si (1) ad ipsa principia Ecclesiæ Romanæ attendamus: (2) si ea, quæ in omnibus fere cœtibus Christianorum contingere solent, perpendimus: & (3) denique, si qualis status sit eorum, qui negligenter, aut prorsus non in veritates maximi momenti inquirunt, observetur. Si ad principia Doctorum Ecclesiæ Romanæ respicimus, inter alia constabit, lectionem promiscuam S. Literarum esse prohibitam, & examen Religionis proprium esse proscriptum, ita quidem, ut quodlibet membrum hujus Ecclesiæ a Sacerdote suo, in rebus ad Religionem spectantibus, dependeat; hic vero a suo Episcopo, omnia tandem a Pontifice. His accedit, quod illi, qui examen aliquando Religionis instituunt, aliorumque Christianorum sententias cum receptis Ecclesiæ Romanæ decretis conferunt, gravissimis subjiciantur pœnis, si quando paulo longius ab iis, quæ recepta sunt, recedant. Ex quo fieri aliter non potest, quam ut plerique in iis adquiescant, quæ publice sunt recepta. In genere notum est, plerosque mortales examen veritatis omnis, Religionis cumprimis, defugere, quia ad hoc animus attentus, veri amans, & a pravis affectibus vacuus, requiritur. Talium autem numerus exiguus est, nonsolum inter plebem, sed & nobiles inter, & principes viros. Cum vero huic inertiæ & negligentiæ accedit examinis Religionis publica præscriptio, fieri aliter non potest, quam ut homines curam Religionis abjiciant, & cæterorum turbam sequantur, mutaturi in singulas horas suas de Religione opiniones, omni examine abjecto, si iidem illi Sacrorum Antistites alia plane, & ab his longe recedentia, credenda injungerent: atque hi, qui ita sentiunt, *Indifferentismo* plane favent. Neque enim putandum est, eos, qui *Indifferentistæ* vocantur, nullis sententiis Religionis subscribere; imo vero quibusdam adhærent; quoniam vero nunquam eas examinare dignati sunt, vel quo minus id faciant, prohibentur, neque tamen Religionis plane expertes videri volunt, quod commodum ipsis est, probare videntur, parati ad subscribendum aliis,

Neglectus examinis Religionis, Indifferentismi & graviorum errorum causa est.

ſi e re ſua magis id videretur eſſe. Ex quo patet, ipſum neglectum examinis efficere, ut perinde ſit multis, quamcunque tueantur Religionem. Quod ingenioſus de la *Bruyere*, *Charact. de ce Siècle*, de viris principibus dixit, pariter multis inferioris ſortis hominibus jure etiam applicari poteſt: *Les Grands* (inquit) *qui en* (de Atheiſmo & Deiſmo loquitur) *ſont les plus ſoupçonnés, ſont trop pareſſeux pour décider en leur eſprit, que Dieu ou la Providence n'eſt pas: Leur indolence va juſqu'à les rendre froids & indifférens ſur cet article ſi capital, comme ſur la nature de leur ame, & ſur les conſéquences d'une vraie Religion: ils ne nient ces choſes, ni ne les accordent, ils n'y penſent point.* Quod ſi vero non obſtante illa examinis proſcriptione, erectiora ingenia, & diſciplinis gravioribus exculta, nihilominus tamen ad Religionem privatim examinandam animos adjungunt, frequenter fieri ſolet, ut non tam in *Indifferentiſmum*, quam vero in ipſum *Atheiſmum* vel *Deiſmum* incidant, atque id duabus ex cauſis fieri poteſt: Primo enim hoc ipſum, quod nimirum Religionis, rei omnium hominum judicio præcellentiſſimæ, examen proſcriptum eſt, eos in incredulitatem facile conjicere poteſt. Nemo rem, quam expendere & cognoſcere non licet, ſi ſanæ ſit mentis, magni poterit facere, ſed merito illi ſuſpecta eſt res ipſa, & is, qui eam commendare ſolet. Impoſtorum eſt, jactare rerum, quas data opera abſcondunt, pretia. Quid cogitabunt ergo philoſophicis diſciplinis exculti, & acri judicio præditi, ſi audiant, ſacerdotes ſuos paſſim jactitare, quam certa, evidens, & ſalutaris ſit Religio Romana, ſimul vero ingeminare, neminem oportere rem tam gravem, tam neceſſariam & ſalutarem examini ſubmittere, neque in S. Literarum ſenſum, unde petita dicitur illa adeo ſancta Religio, inquirere? Accedit aliud, quod incredulitatem eorum non poteſt non augere: audiunt ineptiſſimas fabellas paſſim pro veritatibus graviſſimis & maxime momentoſis venditari; miracula ridicula, imo aperte falſa, pro veris declarari; ritus ſuperſtitioſos & ſanæ rationi contrarios, tanquam media Deum colendi, laudibus extolli. &c. &c. Quæ facile, ſi aliunde majorem Religionis & Revelationis lucem non habent, ipſos in incredulitatis barathrum præcipitare poſſunt: de quo tamen, data operâ, fuſius in antecedentibus Diſſertationibus, de *cauſis Incredulitatis*, egimus, & ſententiam noſtram, doctiſſimorum Eccleſiæ Romanæ virorum teſtimoniis,

ſtimoniis, confirmavimus. Quod ſi quæratur, quæ tandem cauſa ſit, quod in mediis cœtibus Proteſtantium, ubi examen Religionis nonſolum permiſſum, ſed injunctum eſt; ubi librorum, ad cognoſcendam Religionem ingens eſt copia, & libertas etiam diſſentientium libros evolvendi conceſſa eſt, nihilominus plures dentur *Indifferentiſtæ?* Reſpondemus, præcipuam hujus mali cauſam eſſe, non rigidum & attentum Religionis examen; ſed deſidiam & defectum attentionis in iis rebus, quæ ad Numinis cultum pertinent. Inter mille vix unus eſt, qui ſerio, non dicam articulos fidei ſuæ cum aliorum, inter ſe diſſidentium Chriſtianorum ſententiis comparet, ſed qui duntaxat articulos fidei & Religionis ſuæ cum S. Literis conferat. Quid mirum eſt, homines tales in iis adquieſcere, quæ primo ſeſe obtulerant, & mutaturos facile ſententias, ſi alia in loca deferentur. Neque hoc tamen de plebe dici poteſt, ſed & de multis, qui publici Doctores, & V. D. Miniſtri cluent. Inter doctos, qui Mathematicis, humanioribus literis, aliisque diſciplinis incumbunt, reperias ſæpe multos, qui ad examinandam Religionem nunquam animos adjecerunt, ſed Theologis duntaxat hæc excutienda relinquunt. Inter ipſos V. D. Miniſtros, Proteſtantium cœtibus addictos, non raro reperias tales, qui præter ſyſtemata ſua, quæ publice tradita ſunt, evolverunt nihil; imo periculoſum ſæpe eſſe clamitant, diſſentientium legiſſe & expendiſſe ſententias; repetunt igitur ſonos magiſtrorum ſuorum, & credunt id, quod commodis ſuis inſervit. Multi ex iis ad ravim clamant, Religionem eſſe examinandam, ſed nimirum ita, ut inſtituto examine ſingula, quæ vellent ipſi, admittantur: hinc quamprimum etiam in minoris momenti rebus ab eorum ſententia recedas, tragicos clamores excitant, hominesque, quod ad examen inſtituendum hortati ſunt, propterea inviſos reddere conantur; ſe quidem infallibiles non eſſe contendunt, eſſet enim hoc errorem pontificiorum probare; ſed hoc unum tamen conſtanter aſſerunt, ſe nunquam errare, & a ſua duntaxat parte ſtare veri notitiam. Iidem ingenia erectiora, quantum poſſunt, mire deprimere arte quavis moliuntur, juvenesque incredibili diſcendi meditandique ſtudio incenſos, ingenia *novaturientia* adpellant, omnique data occaſione emergendi occaſiones iis præſcindunt, quo fit, ut tales aut Religionis curam & examen abjiciant, idque credant, aut ſe credere ſimulent, quod ſibi Sacrorum Antiſtitum favorem conciliare po-

 teſt.

teſt. Denique huc accedunt digladiationes, rixæ, & contentiones Theologorum, de rebus minoris momenti, quas tamen tanquam ſententias ſacerrimas, & maximi momenti extollunt.

Hinc fieri aliter non poteſt, quam ut homines, debili judicio prædıti, neſciant quo ſeſe vertant; alii vero, qui majore quidem judicii vi ornati, ſed nullo veri quærendi deſiderio animati ſunt, iis opinionibus album adjiciunt calculum, quas major pars & turba probare ſolet, aut nulli denique firmo animi ſenſu adſtipulantur, exiſtimantes, certum ab incerto vix diſtingui poſſe, de quibus in antecedentibus hujus argumenti diſſertationibus plura diximus. Apparet autem denuo ex his omnibus, defectum accurati examinis, non vero examen ipſum tantorum malorum cauſam eſſe. Quod ſi enim omni adhibita diligentia & attentione, Religionis negotia, animo veritatis ſtudio incenſo, tractaſſent; ſi errores ſubtiliter limaſſent, ſi verum a falſo, grave a levi, voluiſſent diſtinguere, nunquam in morbum adeo gravem incidiſſent. Denique, ſi ad indolem plerorumque hominum attendamus, manifeſtum erit, præcipuam cauſam, cur tam parum ſibi conſtent in Religionis negotio, neglectum examinis eſſe. Plerique mortales acri judicio deſtituuntur, aut ſi ingenium naturale non deſit, excolere tamen pauciſſimi id ſolent: delectantur inſuper potiſſimum iis, quæ corpori grata & accepta ſunt: hinc quidquid ſerium examen depoſcit, fugiunt moræ quippe impatientes. Multi in juventute aut neglecti, aut male in Religione inſtituti fuerunt; Religio non ut res amabilis valde, ſcitu jucunda, & felicitati noſtræ promovendæ unice apta, ſed tanquam tetricum quid, & cum perpetua triſtitia conjunctum fuit depicta: multi ex iis, qui tradere ſæpe junioribus capita Religionis deberent, grave a momentoſo diſcernere neſciunt; neque perſpicuis verbis animi ſenſa exprimere valent; ſæpe ſcholæ voces, quas aut ipſimet non intelligunt, aut ſaltem obſcure, aliis tamen non ſine ſupercilio & ſanctitatis ſpecie obtrudunt. Hæ ſunt cauſæ præcipuæ, quæ efficiunt, quominus hominibus multis curæ cordique ſit Religio, quodque dubii & ancipites ſæpe ſint, quibus tandem Religionis capitibus ſubſcribant nec ne: non vero attentum, ſerium & legitimum examen; niſi forte dicant Eccleſiæ Rom. Doctores, aut veri in genere, & Religionis in ſpecie, nullum dari criterium; aut eos ad examinandam Religionem eſſe ineptiſſimos, qui

ad

ad eam rite cognoſcendam omne ſuum ſtudium, omnem ingenii vim, omnem animi contentionem adhibent.

IX.

Diſquiritur, utrum conceſſo cuivis Religionis examine, in Rebus publicis, & Eccleſiis neceſſario turbæ oriantur.

Sed aliud adhuc vitium, idque prægrande, ex Proteſtantium doctrina de examine Religionis cuivis concedendo, emanare clamitant Eccleſiæ Romanæ Doctores, quod *Tolerantiſmum* appellant. Nimirum cum Doctores Proteſtantium cœtibus addicti, ab una parte infallibilem in terris judicem præter Deum in Sacris loquentem, admittant nullum; ab altera vero parte contendant; quemlibet ad Religionis examen inſtituendum teneri, fieri aliter in tanta ingeniorum diverſitate non poſſe, ajunt pontificii Doctores, quam ut quilibet ei ſententiæ, quam veram eſſe putat, ſubſcribat; cumque inſuper ſecundum Proteſtantium decreta, Imperantes jus in conſcientias non magis habeant quam Doctores publici, innumera mala, nimirum rixas, contentiones, turbas, ex hac diverſitate ſententiarum neceſſario exorituras. Juvat ad hæc generalia quædam ante omnia adduxiſſe monita. Et 1) quidem hic lector a nobis non exſpectet prolixam diſcuſſionem argumenti, *de jure conſcientiæ*: factum id eſt abunde a viris ingenioſiſſimis & oculatiſſimis, idque tanto argumentorum & rationum apparatu, & reſponſionibus ad objectiones in medium prolatas, ut iis vix quicquam addi poſſe videatur. Illos ergo conſulant, qui de hac materia rite cupiunt edoceri. Noſtrum duntaxat eſt, diſquirere, utrum tanta mala, uti clamant Eccleſiæ Romanæ Doctores, ex doctrina Proteſtantium de examine Religionis neceſſario oriantur, & utrum non contra ea, Proteſtantium principia ad pacem in Imperiis & Eccleſiis conſervandam, per ſe multum conferant. 3) Ipſi Doctores pontificii, qui hoc argumentum abſque partium ſtudio rite examinarunt, hanc libertatem conſcientiæ hominibus concedendam eſſe aſſerunt. Inter eos eſt ipſe ill. Archiepiſcopus *Fenelonius*, quem tantis laudibus, neque ſine cauſa, extollit *Ramſæus*. De eo enim ſequentia adducit in biographia ſua pag. 181. *Vers l'an* 1709. (inquit) *un jeune Prince paſſa quelque tems chez lui. Il eut pluſieurs conferences avec ce Prince, qui l'ecoutoit avec vénération & docilité. Il lui recommanda ſur toutes choſes de ne jamais forcer ſes ſujets à changer de Religion. Nulle puiſſance hu-*

 maine

maine ne peut forcer, lui dit-il, le retranchement impénétrable de la liberté du cœur, la force ne peut jamais persuader les hommes; elle ne fait que des hypocrites. Quand les Rois se mêlent de Religion, au lieu de la protéger, ils la mettent en servitude. Accordez donc à tous la tolerance civile; non approuvant tout comme indifférent, mais en souffrant avec patience tout ce que Dieu souffre, & en tâchant de ramener les hommes par une douce persuasion. 3) Si vel maxime verum esset, Protestantium sententiam, de jure conscientiæ, incommodis quibusdam obnoxiam esse, non propterea falsa essent principia, quibus illorum sententia est superstructa. Pontificiis Doctoribus incumbit probare, argumenta, quæ ex natura conscientiæ, ejus obligatione, limitibus obsequii humani, natura & indole Religionis christianæ, tristissimis effectibus persecutionum, aliisque ex rationibus afferri solent, falsa esse. Hoc nisi præstiterint, frustra sunt illi tragici clamores, & exaggerationes. Sumus autem persuasissimi, eos, quantacunque sint eruditione & ingenio instructi, nunquam fine suo potituros. 4) Verissimum est, Protestantes, si sua principia de examine Religionis cuivis permittendo sequi velint, simul etiam concedere debere, libertatem conscientiæ omnibus tribuendam esse; hinc etiam doctissimi quique inter eos graviter hanc sententiam urgent, præsertim ubi hic illic a noxiorum premuntur insolentiis, & persecutiones patiuntur; quanquam simul eheu diffitendum non sit, eos sæpe contra sua principia agere, & ubi dominantur ipsi, innocentibus insultare, aliisque facere talia, quæ sibimetipsis ab iis fieri nolunt. Sed loquimur hic de *principiis* Protestantium, non vero de quorundam, his cœtibus addictorum, *aberrationibus*. Haud ignoramus dari inter ipsos Doctores Protestantes tales, qui nonsolum Principibus auctores sunt, ut vim contra errantes adhibeant, sed & qui Theologos pacificos & moderati animi studiosos odio habent, eos tanquam tepidos criminantur, & quantum in se est, laborant, ut penes plebem, & hac non sapientiores, in suspicionem *Indifferentismi* veniant. Sed recte ac graviter horum impudentiam inter alios retudit ὁ μακαρίτης celeb. *Turrettinus*, *Dissertat. contra indifferentiam Religionum.* Ita enim loquitur pag. 20. *Inique & præter rationem* Indifferentismi *accusantur, qui vim omnem a Religione abesse volunt: qui moderate de controversiis theologicis judicant: qui ingemiscunt, quod Christiani de rebus levissimis persæpe, de meris vocibus aliquando*

aliquando, tanquam pro aris & focis dimicent, dum primaria illa capita, de pietate, caritate, mansuetudine, modestia omittunt penitus atque posthabent: qui denique vellent Protestantes, circa momentosa omnia concordes, dissidiis suis modum tandem ponere, atque in unum corpus coalescere, quod & Angelis gaudio & inferis terrori esset. Ita sentire, si multis credatur, causam christianam prodere est, & Religionum indifferentiæ *patrocinari. Verum, obsecro, quid commune habet christiana illa moderatio, pium illud pacis studium, cum impio isto, quod confutavimus, dogmate? An quia nolo vim animis fieri, idcirco nolim rationum luminibus veritatem persuaderi? An quia vellem tot logomachias, tot argutias, tot vanas quæstiones, quibus Religio obruitur, omitti, idcirco veram Christi doctrinam, ab his toto cælo diversam, rejicio atque contemno? An quia levibus quibusdam dissidiis Ecclesias disjungi doleo, eisque componendis pro mea virili parte incumbo,* idcirco fœdum Samaritanismum, impiam lucis cum tenebris, Christi cum Belial conjunctionem, *urgeri existimandus sum? Quænam hæ illationes essent? quis aliqua cum æquitate, aliquo cum pudore, ita arguat? Contra, ut quod res est dicamus, sane nihil magis Religioni nocet, nihil plures Atheos parit, nihil Religionum indifferentiam fortius promovet atque commendat, quam* acerbus ille & præposterus, quo non pauci ducuntur, Zelus. *Etenim quid faciunt illi qui vim conscientiis ingerunt? Quid nisi Atheos & hypocritas? quid nisi veritatis adeoque Dei contemtores, qui excusso semel conscientiæ jugo, nihil habent, quo retineantur, atque in omne nefas tandem ruunt? Pariter quid efficit* malè sana illa quæstionum scholasticarum cum christiana fide copulatio, *nisi, ut, contemtis illis quæstionibus, (quas profecto nemo vir prudens magni æstimare potest) contemtus ille tandem ad Religionem ipsam extendatur? Denique infausta illa dissidia, quibus Ecclesiæ Protestantium scinduntur, quantum piis scandalum, quantum impiis ac profanis cavillandi materiam præbent?* Ita eruditus ille & prudens Theologus. Tantum autem abest, ut se peccare putent Protestantes, talia principia sequendo, ut potius tolerantiam dissentientium inter præcipuas virtutes referant, persuasi, se ita agendo voluntati Numinis obsecundare; quod omnibus, Christianis cumprimis, pacis & caritatis studium frequentissime injunxit. Quod si Imperantes & Doctores publici omnia illa præstiterunt, quæ ad alios ab erroribus revocandos, *jure, jure* inquam

quam

quam, facere & potuerunt & debuerunt, coram Deo & hominibus, licet incommodis omnibus mederi non possint, excusati sunt. Et cum hostes ipsi Christianis sint amandi, omniaque humanitatis & caritatis officia illis sint præstanda, multo magis tenentur eos, qui ipsos lædere nunquam tentarunt, fovere, & iis bene cupere. 5) Protestantes multis argumentis probant, neque examen Religionis, neque resultantem inde libertatem conscientiæ, *per se*, ullas seditiones & turbas in Rebuspublicis vel Ecclesiis, excitare, sed potius quicquid contentionum, rixarum & turbarum, unquam exortum est, & adhuc oriri solet, non tam tolerantiæ, quam vero inepto zelo, & studio vi alios in suam sententiam pertrahendi, tribuendum. Hoc cum ex rei ipsius natura, tum vero ex constanti omnium seculorum experientia probant; ex natura rei; quia non tam is, qui dissentientem æquo animo fert, & nonnisi argumentis, cum eo, quem errare existimat, certat, neque famæ vel facultatibus illius aut privilegiis damnum infert, litium & contentionum auctor dici potest; quam vero potius is, qui alii, in Religionis negotio ab se dissidenti insultat, eum convitiatur, illi vitam reddit acerbam, & facultatibus vel vitæ nocet. Res adeo clara est, ut multis, ad id probandum, argumentis opus non sit. Ad experientiam ut provocemus, necesse non est, quoniam nemo adeo hospes est in historia ecclesiastica, ut id ignoret. Quinam auctores tam violentarum persecutionum, primis christianæ disciplinæ alumnis illatarum erant; num Christiani ipsi, qui, quæ a Magistro suo didicerant, placide aliis insinuare & commendare, sine violentia ulla volebant? Num vero potius sacrificuli, præfecti provinciarum, & horum consilio, ipsi Imperantes? responsio erit in promtu, quæ etiam ad alia hujus generis exempla applicari facile potest.

X.

Protestantes confusionem, & turbas impedituri, tolerantiam in civilem &

Sed ostendendum est, Protestantes, licet omnibus examen Religionis injungant, & libertatem conscientiæ defendant, nihilominus tamen omnia illa præstare, & facere, quæ ad turbas, dissensiones, & motus in Rebuspublicis evitandas & impediendas facere possunt. Loquimur autem, *quod probe tenendum*, de eo, quod vi principiorum suorum agere & possunt & tenentur; non vero de eo, quod aliquando

aliquando hic illic fieri ſolet. Et *primo* quidem ſolent Proteſtantes tolerantiam illam diſtinguere, in tolerantiam *politicam* & *eccleſiaſticam*. Tolerantiam politicam, ſua ſequentes principia, concedunt omnibus, qui illa admittunt dogmata, quibus divina & humana jura ſuperſtructa ſunt, & ſine quibus ſocietas civilis tuta ſtare non poteſt. Ita notum eſt, in florentiſſimis Europæ regionibus, *Judæos*, aliosque a chriſtianæ Religionis decretis paulo longius recedentes, tolerari. In poteſtate interim Imperantium ſitum eſt, pro regiminis diverſitate, errantium ſtatu, agendique rationibus, privilegia conceſſa vel magis vel minus extendere. Quod ſi tales *manifeſtiſſimis*, manifeſtiſſimis inquam *indiciis* convicti, turbas excitare data opera velint, neque tolerantia contenti Religioni Principis inſultent, non propter errores, quos fovent, ſed intolerabiles mores, jure meritoque favore Principum excidunt. Sed hic non ſuſpicionibus & præſumtionibus eſt utendum; ſed facta *evidentiſſime* demonſtranda ſunt, videndumque, utrum unus aliquis aut pauci, an vero omnes ſimul turbas excitarint. 2) Concedunt Proteſtantes, ſua ſequentes principia, tolerantiam eccleſiaſticam, eamque duplicem. Primo enim eas Eccleſias, quæ in punctis Religionis fundamentalibus conveniunt, non obſtante levi aliquo diſſenſu, pro una eademque Eccleſia, eaque vera habent, atque fraternam tolerantiam urgent, imo ſi ſaperent, neque aliquando ſuorum obliviſcerentur principiorum, in unam eandemque coaleſcerent Eccleſiam. Et ſane, ſi verum eſt, quod a plerisque Theologis *Reformatis* & *Lutheranis* defenditur, diſſenſum nimirum, qui inter ipſos de Religionis articulis intercedit, non eſſe fundamentalem, & errores, qui ab alterutra parte horum cœtuum committuntur, neminem cœlo & certa ſalutis ſpe excludere, neceſſe eſſet, ut ſe invicem nonſolum pro fratribus haberent *verbis*, & cuivis de controverſis capitibus ſentiendi libertatem concederent; ſed ipſo opere, diſſenſu hoc neglecto, in unum corpus coaleſcerent, quod præſtari adeo facile poſſet, ut mirum ſit, id hactenus nondum factum eſſe. Quod de duabus illis Eccleſiis inter ſe collatis diximus, idem, juxta principia Proteſtantium, de unaquaque ſingillatim ſpectata tenendum eſt. Nimirum cuilibet horum cœtuum ſufficere debet, ſi Doctores publici, vel auditores, ſalutaria Religionis capita & principia, quibus Proteſtantium Religio innititur, tueantur; diſſenſum vero in rebus levioris momenti æquo animo ferre debent;

eccleſiaſticam diſtinguunt.

cum fieri aliter non possit, quam ut inter eos, qui variis ingeniis sunt ornati, & disciplinis exculti, aliqua sit de tot rebus ad disciplinas sanctiores pertinentibus, aut quæ saltem ad eas pertinere existimantur, sententiarum discrepantia; quæ si impediret, quo minus cœtus ille legitimus esset, aut unio vera admitti non posset, nonsolum plane nulla Ecclesia paulo numerosior consistere posset, sed & litium & contentionum nullus unquam futurus esset finis. *Nam cum tot sint tamque variæ, quædam etiam obscuræ admodum in Theologia quæstiones, fierique non possit in tanta ingeniorum diversitate, ut idem omnibus videatur, si hi, qui in re aliqua non admodum gravi dissident inter se, in una Ecclesia vivere non possunt, quid restat, nisi ut quemadmodum nimia Romanensium duritas Protestantium divortio caussam dedit, Protestantes iterum feralibus Theologorum odiis in Augustanos & Reformatos abiere, ita Reformati pariter in alias sectas, & illæ quoque sectæ tandem in novas partes discedant, atque ita passim nil nisi lacera membra, nusquam justi corporis forma ulla appareat.* Verissima sunt Magni *Grotii* verba. Qui vero prorsus a se invicem in gravibus & momentosis Religionis principiis dissentiunt, & separatos propterea habent cœtus, quos ferendos Regnorum & Rerumpublicarum Moderatores existimant, illi, qui se purioribus sacris addictos esse putant, & dominantis, uti vocatur, sunt Religionis, cæteros æquo ferre animo, neque Principes & Reges instigare debent, ut datam libertatem illis eripiant, aut injuriis variis eos afficiant. Hi vero vicissim eos, qui Principum publice receptam Religionem sequuntur, non turbare, vel illis insultare, sed libertate concessa contenti esse debent. Atque ita, quantum in hac rerum caligine & fragilitate fieri potest, secundum Protestantium principia, pax & securitas publica servatur, litesque omnes & turbæ proscribuntur.

XI.

Doctores publici inter Protestantes, sua principia sequentes omnia faciunt, quæ

Nonsolum vero Protestantes, vi suorum principiorum, quibuslibet libertatem conscientiæ, legitimis terminis definitam, concedendam esse statuunt; sed & ipsi Doctores horum cœtuum & Imperantes omnia illa facere tenentur, quæcunque ad errantes revocandos, omnesque lites & turbas impediendas facere possunt. Non enim esset laudabilis illa tolerantia, nisi iidem amore veritatis inducti, eos, quos graviter errare certo sibi persuadent, ab erroribus, quantum

in

in se est, revocarent: errores autem aliis eximi aliter non possunt, quam demonstratione veritatis ad conscientiam. Jam vero hoc potissimum incumbit facere iis, qui rerum divinarum præclara cognitione sunt instructi, & in controversiis, quæ inter dissidentes Christianos agitantur, probe versati. Doctorum igitur potissimum publicorum est, publice & privatim veritates magni momenti rite tradere, & solidis argumentis probare; easdem adversus hostes veritatis vindicare; fontes errorum detegere; candide & sincere dissentientium argumenta proponere, missis omnibus sophismatibus & consequentiis, ab invidia petitis; Deum pro graviter errantibus orare, ut illuminatos illis det oculos; leniter cum iis agere; tempus de controversis capitibus rite cogitandi concedere, quandoquidem nemo errorem, ab infantia haustum, & specie quadam veri sese commendantem, statim ac alterius rationes audivit, deponere potest. Ita vero agendo, Doctores publici omnia præstiterunt, quæcunque ad errantes revocandos facere & possunt & debent. Ultra vero progredi non possunt, cum quod erranti conscientiæ aliter consuli non potest; tum quod his limitibus omne Docentium munus circumscriptum est. Facile animadverto, quid ad hæc Doctores ecclesiæ romanæ excepturi sint. Respondebunt nempe, hanc agendi rationem cum errantibus non sufficere, quandoquidem hæc argumenta non semper vim suam in animis eorum exerant: experientia quippe constare, gravissimas sæpe rationes, argumenta & consilia, ad errantes in viam reducendos fuisse frustranea, eosque pertinaciter semel receptis opinionibus inhæsisse; igitur plura esse tentanda, & vi errantes in ovile Christi esse cogendos. At centies, centiesque Theologi Protestantes hanc objectionem retuderunt, ut adeo necesse non sit eam pluribus refellere. In genere igitur dicimus, omnium Theologorum & Christianorum judicio certum esse hunc canonem; *non esse facienda mala, ut inde eveniat bonum.* At lædere hominem ratiocinantem duntaxat, & sua argumenta in medium proferentem, mala est actio, & propterea omittenda. Errori gravi sine dubio est resistendum, sed legitimis mediis; nulla autem naturæ rei, id est errori revincendo aptiora & meliora sunt, quam argumenta solida, cum lenitate & mansuetudine prolata. Hæc si nihil valent, absonum est ad talia progredi, quæ nonsolum ad errantem reducendum natura sua sunt inepta, sed & iniqua plane. Quod tu *pertinaciam*

ad errores errantibus eximendos & dissidia in Religionis negotio componenda, facere possunt.

tiam vocas, alter *constantiam* in veritatis cognitione & defensione appellare solet: vi & persecutionibus nulla persuasio veri induci; error nullus eximi animis errantium potest. Neque V. D. Ministri divino vel humano jure probare possunt, sibi potestatem esse concessam, dissentientes vi ad assensum cogendi. Eleganti similitudine objectionem tritam Romanensium, aliorumque, qui eadem vitula arant, retudit ὁ Μακαρίτης celeb. *Werenfelsius*, in *Oratione de vero & falso Theologorum zelo. Sed dicet hic aliquis*, (inquit) *fatendum esse, ad extinguendos errores & hæreses, incipiendum semper esse a mediis, æquitati, caritati & spiritui evangelico maxime consentaneis; sed quid tandem faciendum, inquiet, cum videmus, his parum aut nihil profici, imo quando hæc prorsus inefficacia esse ipsa experientia deprehendimus? An non tum necessitas suadet, ut ad alia media progrediamur, etiam talia, quæ aliàs dura & iniqua censerentur, imo turpia & inhonesta? & quia necessitas illa suadet, imo poscit, annon & hæc in isto casu licita & legitima fiunt? Ita sane bene multi aut ratiocinantur, aut ratiocinari videntur, quos ego quidem comparo ægrotis, vehementer idque cito convalescere cupientibus: hi primo utuntur omnibus mediis licitis, ad morbum sibi gravem pellendum; sed quando denique vident, hæc remedia, quod cupiunt, non efficere, aliis diu frustra tentatis, recurrunt ad remedia magica & sortilegia, ab his valetudinis promptam restitutionem sperantes, quam ab aliis obtinere non potuerunt: hos si propterea reprehendis, eodem prorsus modo ratiocinantur, atque ii, de quibus modo diximus; satis se diu, inquiunt, usos remediis licitis, iisque omnis generis, sed cum hæc omnia inefficacia invenerint, ad magica tandem se recurrisse necessitate coactos; hanc necessitatem, quod aliis prohibitum fuisset, licitum reddidisse. Sed quemadmodum his hominibus recte respondetur, satius esse, morbum quantumlibet molestum & dolorificum diutius tolerare, quam ad eum pellendum uti remediis a Deo prohibitis; ita sane & hic respondemus, satius esse tolerare errores quantumlibet graves, quam ad illos extirpandos remediis illegitimis, Deoque minime placentibus uti, cum nunquam facienda sint mala ut inde eveniant bona. Quando Deo nondum lubet benedicere remediis licitis & a se aut præscriptis, aut permissis, ita ut malum aliquod noxium per illa tollatur, manifestum est hoc indicium, Deum nondum velle, ut malum illud tollatur, & a nobis auferatur; cui divinæ voluntati nostram animo humili submittere debemus*,

mus, *& ex impatientia ad alia remedia, quæ Deus prohibuit, nunquam progredi.* Ita præstantissimus ille Theologus.

XII.

Nonsolum vero & possunt & debent publici Doctores cœtuum Protestantium omnia illa adhibere media, legitima nimirum, & naturæ conscientiæ accommodata, ad verum tuendum, erroresque graves refellendos; sed & ipsi Reges, Principes, & Rerumpublicarum Rectores, Protestantium ecclesiis addicti, plurimum possunt conferre, ad omnis generis rixas & turbas, quæ inter dissentientes circa Religionis negotium subditos oriri possunt, evitandas & componendas. Verum quidem est, si ad originem Imperiorum & Rerumpublicarum attendamus, quod Imperantes ad curam Religionis & animarum salutem habendam non fuerint instituti, sed ad tranquillitatem publicam saltem sartam tectamque conservandam: hinc nec jure divino, neque humano, jus habent in conscientias; non possunt pro lubitu Religionis articulos condere, & aliis credendos imponere, neque adeo cum auctoritate decidere, quid credendum & non credendum sit; superi & infimi, imperantes & subditi, in iis, quæ juxta Revelationem credenda videntur, æquum jus habent, & imperiis pariter & ecclesiis non minus nocet *Papocæsaria* quam *Cæsaropapia.* Quatenus vero non considerantur tanquam Christiani, sed civitatum & imperiorum rectores, illis jus competit, omnia ea moderandi & dirigendi, quæ ad ordinem externum in Ecclesiis conservandum, & ἀταξίαν evitandam, facere possunt. Ita vero si consideremus Principes, possunt illi omnium optime obviam ire malis omnibus, quæ ex dissensu Religionis oriri possunt; idque duplici ratione, vel respiciendo ad Religionem Protestantium ipsam, cui addicti sunt, civesque suos & subditos, eandem Religionem sequentes; vel attendendo ad cives & subditos, subscribentes Religioni a Principis Religione diversæ. Priore respectu Religioni & paci consulere possunt, si quammaxime sunt solliciti, ut Gymnasiis & Academiis præficiantur viri non tantum eruditi, variis disciplinis exculti, ingenioque præstanti ornati, sed & modesti, pacifici, controversiarum, quæ inter Christianos, earum inprimis, quæ inter fratres, uni eidemque Religioni addictos, agitari solent, prope gnari: si contra, quantum possunt, cavent, ne homines rixosi, superbi,

Ipsi Principes, & Rerumpublicarum Moderatores, Religioni Protestantium addicti, plurima conferre possunt, ad turbas & seditiones, quæ occasione examinis Religionis oriri possunt, vel impediendas, vel sedandas.

quique ob leviculos errores fratrum tragicos clamores excitare ſolent, ad talia munia admittantur: ſi haud facile rixatoribus, fratres clam perſtringentibus, vacivas aures præbent: ſi prohibent, ne in publicis orationibus ſacris, aut diſputationibus, invectivis Doctores publici contra ſe invicem utantur, eosque, qui rixari & maledicere pergunt, gravibus ſubjiciunt pœnis: ſi operam navant, ut literarum ſtudioſi principia de jure in conſcientias, de fine, ſcopo & limitibus regiminis civilis, probe perſpecta habeant, & cum ex animorum diſpoſitione, tum ex hiſtoriarum monumentis probe edoceantur, quantum damni intulerint imperiis ſævitia & perſecutiones contra errantes, aut qui errare videbantur, exercitæ: ſi operam navant, ut ſaltem controverſiarum, quæ inter Proteſtantes ipſos & fratres, uni vel alteri horum cœtuum addictos, ipſi habeant non mediocrem notitiam: ſi iidem modeſtum in rebus minoris momenti diſſenſum nonſolum ferre poſſunt, ſed & ut idem faciant Doctores & cives ſui jubent: ſi illos quammaxime fovent, qui nonſolum eruditione, ſed pietate eumprimis, candore, pacis & moderati animi ſtudio, eminent: ſi omnem lapidem movent, ut cives & ſubditi omnes ea capita Religionis rite intelligant, quæ ſunt maxime gravia, momentoſa, & excellentiſſima ad pietatis ſtudium ſuppeditant incitamenta: ſi modeſtiæ, pacisque ſtudia, in rebus ad Religionem pertinentibus urgeri a Doctoribus publicis curant &c. Ita agendo non tantum turbas, quæ inter diſſidentes fratres oriri poſſunt, prævenire, aut excitatas componere, ſed & efficere poſſunt, ut non obſtante levi quodam inter fratres diſſenſu, qui in hac rerum imperfectione forte oriri poteſt, mature tamen omnis confuſio & turbæ evitentur, vel excitatæ ſine mora ſedentur. Ita ſane mecum ſentiunt Theologi inter Proteſtantes celeberrimi, & doctiſſimi. Unus omnium loco mihi denuo erit celeb. *Werenfelſius*, qui in hoc argumento illuſtrando palmam cæteris Theologis præripuiſſe videtur. Hic vero Diſſertat. de *Jure Magiſtratus in Conſcientias*, p. m. 57. ſq. ita ad objectionem Doctorum pontificiorum reſpondens, ait: *Ergo tandem* (ita ſonat objectio) *dices*, *neceſſe eſt*, *ut Magiſtratus orthodoxus nullos non errores in ſubditis toleret.* Reſpondet: *Ita ſane*, *ſi præter vim & pœnas nullum adverſus eos remedium foret. Sed nego* hoc unicum, nego aptiſſimum, imo nego, remedium eſſe. *Nulla igitur conſequentia eſt: vi & pœnis Magiſtratui falſas in Religione opi-*

niones

niones subditis adimere non licet; ergo eas toleret *necesse est. An vero Christus, quia non venit animas perdere, sed salvare; quia noluit Samaritanos igne de cælo delapso consumere, noxios errores* toleravit? *An Apostoli, quia carnalia arma a militia sua aliena profitentur, errores Gentilium & Judæorum, ad quos extirpandos sunt missi,* tolerasse *dicendi sunt? Num Christiani illi primorum seculorum, qui vim pati, non inferre didicerunt,* errores *tulerunt? -- Quod si Christiano cuivis perpetuum cum erroribus quibuslibet, pietati inimicis, bellum esse debet; quis, nisi impius, dixerit, orthodoxum Magistratum hic quiescere debere & pati, ut hi, socordia sua, in populo suæ curæ a Deo commisso invalescant; qui & exemplo suo & auctoritate longe plus ad eos ex animis evellendos conferre potest, quam quisquam privatus? Quantum enim hanc ad rem conferre potest, si curat, ut subditi in vera Religione solide instituantur; ita ut ejus præcipua capita non modo intelligant, memoria teneant, in promtu habeant, sed quod primum est, ut de eorum veritate sint convicti & persuasi? si in hunc finem non labori, non sumtibus parcit, ut qui populo suo veram Religionem cum in ecclesiis, tum in scholis instillant, sint & numero sufficientes, & apti ad munus tanti momenti, & sufficiente auctoritate instructi, & in functionibus assidui & fideles, & vita doctrinæ pondus conciliantes; ut sepositis inutilibus unum necessarium ubique urgeatur, & publice privatimque, quantum satis est, inculcetur.* Quantum ad hoc conferre potest pius Magistratus, *si prospicit, ut nemo ad errores cum voce, tum scriptis refutandos adhibeatur, nisi præ cæteris ad hoc sit idoneus? qui naturam mali, quod sanare vult, ejusque originem, atque efficacissima remedia probe perspecta habeat: qui non modo aptus sit ad falsitatem opinionis alicujus perspicue ostendendam, sed & ad præjudicia erranti eximenda, & affectus ejus compescendos, qui veritatis cognitionem impediunt: qui denique, quod ab oratore poscit Fabius, sit vir bonus* (addo ego bonus Christianus, pius, mansuetus, humilis &c.) *dicendi peritus*, i. e. *ad veritatem aliis persuadendam*, ad persuadendam dico, non imperandam, & minaciter obtrudendam idoneus. -- Quantum ad hoc conferre potest Magistratus, *si providet, ut Patres etiam familiâs in recta liberorum educatione & institutione domesticorum suum officium faciant: ut ita non modo falsæ opiniones, sed & pravæ animorum inclinationes, ex quibus hæreses, quæ opera carnis sunt, pullulant, mature ex teneris animis evellantur? ut vigeat pietas in regione sua, quam ad sanum*

num de Religione judicium ferendum plurimum facere, *Christus diserte declarat: ut vigeat cultura judicii & studium bonæ mentis.* - - Quantum ad hoc conferre potest Magistratus; *si curat*, *ut qui ad sacrum docendi munus destinantur*, *veritatis & pietatis amore*, *humilitate etiam & modestia*, *mature muniantur*, *contra* φιλονεικιαν, φιλοτιμιαν, *philantiam*, αὐθαδειαν, *curiositatem inutilem in inquirendo*, *audaciam & temeritatem in definiendo*, *pertinaciam in retinendo? ut qui ad hæc vitia ita proni sunt*, *ut non magna emendationis spes sit*, *a studiis sacris*, *quantum id fieri potest*, *avocentur; atque inprimis arrogantia*, *distorta*, *inquieta*, *violenta*, *& turbulenta ingenia aliis rebus occupentur.* Quantum inprimis pius Magistratus ad errores pestilentes tum cavendos tum sanandos conferre potest, *si scandala* tollit, *quæ in orthodoxa sunt ecclesia: quæ doctrinam ejus ita suspectam reddunt*, *ut ii*, *qui foris sunt*, *putent*, *illam cum tales fructus ferat*, *falsam esse: plurimi qui in ecclesia sunt*, *de ea dubitare incipiant*, *eamque considerent*, *tanquam fabulam*, *quæ jam a nemine fere serio credatur.* Postquam hæc & alia adduxisset excellentissimus Vir, ita tandem colligit: *His remediis & aliis hujus generis*, *ad extirpandos errores*, *si strenue utitur Magistratus orthodoxus; num tibi videtur errores & hæreses* tolerare? *Imo hoc mihi demum est*, *hæreses*, *ut oportet*, *ex ecclesia tollere; cum non tantum id agitur*, *ut homines minis ad silentium redigantur*, *atque ad subdolam errorum dissimulationem; sed cum malum illud penitus ex eorum animis eradicatur. Quanto rectius dicuntur illud* tolerare, *qui sævitia nihil aliud impediunt*, *nisi externam pravarum opinionum professionem; ipsas vero in pectoribus hominum relinquunt? Hic hic virus latet: hinc evellendum est*, *si operæ pretium facere volumus. Hoc qui facere nescit*, ridicule converſoris sibi titulum arrogat; *non tollit malum sed confirmat. Imo auget*, *atque efficit*, *ut*, *qui modo errarunt*, *jam ex simplice errore in impietatem incidant*, *& committant*, *quod scelus esse ipsorum dictat conscientia.* Nimis, inquies, prolixum est hoc testimonium in brevi Dissertatione. Ita est. Sed complectitur illud monita saluberrima; monita feraci huic disputationum seculo accommodatissima, monita denique auditoribus meis & concivibus, imo omnibus, quibus veritas & pietatis studium cordi est, quique pacem Sionis optant, & dissidia in ecclesiis sublata vellent, convenientissima. Sed & alia ratione possunt Principes multum conferre, ad pacem inter dissentientes in Religionis negotio cives & subditos

ſubditos conſervandam, turbasque omnes evitandas, ſi ipſi dominanti, ſive veræ, ſive falſæ Religioni addicti, ſubditos tamen ſuos, alia ſacra ſequentes, non minus tuentur quam *ſuos*, neque unquam patiuntur, ut, qui ſuæ ſunt ſententiæ addicti, cæteros lædant, omnique contumeliarum genere proſcindant. Certe nulla re magis amorem & obedientiam ſubditorum poteſt ſibi conciliare Princeps, quam ſi favorem ſuum pariter erga omnes, nullo habito Religionis reſpectu, partiri ſolet. Ita enim ſubditi æquo animo nonſolum quælibet onera portare ſolent, ſed & parati ſunt, ſanguinem pro ſalute patriæ profundere, cum vident Principem permittere, ut pro cognitionis ſuæ modulo & conſcientiæ dictamine Deo ſervire libere poſſint. *Debemus communem hunc aerem & ſpiritum iis concedere, qui idem Chriſti nomen nobiſcum profitentur, & nemini nocent, eoque ſunt animo, ut mori malint, quam aliud dicere aut facere, quam quod dici aut fieri debere arbitrantur. Ut interim non dicam, quod nullum hominum genus minus metuendum eſt. Qui enim vitam mavult amittere, quam dicere quod non ſentit (peccaret enim ſi faceret, & qui cogit, peccare cogit) de illo non eſt credo metuendum, ne is pecunia poſſit, aut alia re corrumpi. Atque equidem illud mihi perſuaſi, nullos eſſe Principibus & Magiſtratibus obedientiores, quam eos, qui ſimpliciter Deum metuunt, & in eo, quod ſciunt, fideles ſeſe præſtant. Cæterorum quidem obedientia ficta eſt, neque durat diutius, quam vel metu cogitur, vel utilitate adlicitur. Sed qui conſcientia ad obediendum impellitur, quique docente Deo didicit Magiſtratibus & Poteſtatibus obediendum eſſe, etiam iniquis, nedum juſtis; hujus veram & æternam eſſe obedientiam neceſſe eſt, quoniam Deus (qui ei obedientiæ cauſa eſt) verus manet & æternus.* Veriſſima verba ſunt Seb. *Caſtellionis*, in præfatione novæ verſioni Bibliorum præmiſſa, & *Eduardo IV.* Angliæ Regi inſcripta. Concedere quidem poteſt & debet Princeps, ut partes diſſidentes argumenta, quibus articulos Religionis ſuæ probare ſolent, in medium proferant, & rationibus errores vel veros vel putatitios modeſte impugnent; at permittere haud debet, ut ſubditi diſcrepantis Religionis in mutua viſcera ſæviant, ſeque mutuo anathematiſmis, calumniis, & ſarcaſmis proſcindant. Per hæc enim, non per tolerantiam, oriuntur turbæ & diſſenſiones, cum quælibet pars injuriam, idque non ſine cauſa, ſibi fieri putet. Hinc etiam Viri excellentiſſimi, Religioni licet pontificiæ addicti, nonſolum agno-

verunt, distinctionem illam inter potestatem ecclesiasticam & civilem solidam esse, & huic nullum jus in conscientias competere; sed & falsi sunt, persecutionibus & oppressionibus nihil obtineri. Adduximus supra testimonium ill. Archiepiscopi *Fenelonii*: huic addamus duo, virorum dignitate, eruditione & meritis eminentissimorum. *Prius* est celeb. *Dupinii*, *Doctoris Sorbonici*, *viri de Hist. ecclesiastica præclare meriti.* Hic vero in dissertationibus suis, de *antiqua Ecclesiæ disciplina*, inter alia sic loquitur: *Encore que les deux plus grandes, & les plus excellentes de toutes les sociétés, la civile & l'ecclésiastique semblent être confonduës & mêlees l'une dans l'autre, elles ont cependant un but très different, où elles tendent par des moyens divers, & elles ont un pouvoir très facile à distinguer. Le but de la Société ecclesiastique est la vie éternelle; le but de la Société civile est la paix & la tranquillité publique. On ne parvient à la vie éternelle, que par des actions, qui procédent de l'amour, que l'on a pour Dieu, par un mouvement très libre de la volonté. C'est pourquoi la Religion est obligée à cultiver l'esprit des hommes par la foi, & par la piété, afin qu'ils obéissent volontairement & librement: au contraire le public n'a aucun interêt, que l'on obéisse aux loix civiles volontairement, ou non, pourvû qu'elles soient observées. C'est pourquoi la Société civile les fait observer par la crainte des supplices & de la mort. En un mot le pouvoir de la Société civile s'étend sur le corps, & celui de la Société ecclesiastique uniquement sur l'esprit. Comme donc les corps peuvent être contraints, c'est à ceux qui ont la puissance civile de punir corporellement les coupables: mais comme la violence exterieure ne peut rien sur l'esprit, la Societé ecclesiastique n'a aucun pouvoir semblable, & elle ne peut retirer les pecheurs des vices, que par des préceptes & des exhortations, ni leur infliger d'autres peines* (de hoc vero jure non consentiunt inter se Protestantes) *que l'excommunication, s'ils ne veulent pas obéir. Enfin le but des loix civiles n'est que le bien, & la tranquillité publique; & le but des loix ecclesiastiques n'est que de conserver la pureté de la doctrine & la sainteté de la discipline.* Posterius vero illustris J. H. *Thuani*, viri candidissimi, & nonsolum de Historia sed & de Literis & Literatis meritissimi. Hic in celeberrima sua dedicatione operis historici, ad *Henricum IV.* Galliæ Regem directa, inter alia, occasione tot motuum Religionis causa hinc inde in Europa, & inprimis in Gallia excitatorum, sic præclare disserit: *Ad cætera,*

cætera (inquit) *quibus hoc infestum virtuti seculum scatet, mala, Religionis dissidium accessit, quod jam toto pene seculo orbem Christianorum continuis bellorum motibus vexat & deinceps vexabit, nisi tempestiva remedia, atque adeo alia, quam quæ hactenus adhibita sunt, ab iis, quorum præ cæteris interest, adhibeantur. Nam experientia satis edocti sumus, irritasse potius, quam sanasse morbum, menti inhærentem, ad quem proinde curandum, non iis, quæ in corpus tantum penetrant, sed doctrina, & sedula institutione, quæ in animum leniter instillata descendit, opus esse: alia quippe omnia pro arbitrio civilis Magistratus atque Principis sanciuntur:* SOLA RELIGIO NON IMPERATUR; *sed ex præcepta veritatis opinione, accedente summi Numinis gratia, bene præparatis mentibus infunditur, &c.*

XIII.

Solent autem pontificii Doctores, & qui eandem sequuntur viam, contra ea, quæ in antecedenti thesi dicta sunt, excipere, quod licet Imperantes omnibus illis mediis utantur, quæ a nobis præscripta sunt, nihilominus eos hoc malum non penitus eradicaturos, sed permansuros semper, qui libertate sentiendi sint abusuri, erroribus adhæsuri, atque adeo etiam turbas excitaturi. Experientiam testari, vel antiquos errores revocari, vel novas opiniones, ut ferax est ingenium humanum, cudi, & de illis controversiis, quæ hactenus inter Christianos agitatæ sunt, contendendi finem nullum esse. Vera quidem sunt, quæ hic adducuntur; at nihil tamen valet hæc ratiocinatio contra ea, quæ in antecedentibus monita sunt. Quæritur enim insuper, utrum liceat injustis & æquitati contrariis uti mediis, ad finem bonum obtinendum, quod nos negamus. Negamus, violentis mediis obtineri id quod quæritur, nempe erroris confessionem: hæc si abest, malum non tollitur, sed duplicatur, quia errantes errori adhærent postea, & hypocritæ fiunt, atque adversus Deum peccant. Imo, si hoc argumentum aliquid valet, nonsolum contra errantes violentia est utendum, sed totum genus humanum est exterminandum. Nondum inter Christianos de Religione dissidentes decisum est, a qua parte stet veritas. Pontificii omnes Protestantes, ut de minoribus Sectis nil dicam, hæreticos esse, i. e. gravissime errare dicunt. Idem de Pontificiis sentiunt ple-

Exceptioni occurritur, factæ contra ea, quæ thesi XI. in medium sunt allata.

rique Proteſtantium. Utrique Judæos, Gentiles, Turcas, Deiſtas Indifferentiſtas &c. extra ſpem ſalutis conſequendæ poſitos eſſe clamant. Cum vero violentia non magis errantes falſi convincantur, quam urbs ſyllogiſmis expugnetur, ſequitur, aut mediis, a nobis ſecundum Proteſtantium principia poſitis, eſſe utendum; aut cum hæc non ſatis fortia adverſus pertinax malum ſint, totum genus humanum mutuis cædibus funditus eſſe delendum, quo quid magis horribile excogitari poſſit, fateor me neſcire. Poſito autem (quod ſecundo loco notari volumus) remanere, adhibitis etiam iis mediis, quæ rationi convenientiſſima ſunt, in his vel illis cœtibus quosdam errantes, non tamen ideo tanta, quantam fingunt Romanenſes, & qui iisdem opinionibus ſunt addicti, oritur confuſio. Plures ſunt in Theologia & Philoſophia quæſtiones, quæ ſalva pietate & Religione vel ignorari, vel tolerari poſſunt, quia in mores hominum vel parum vel nihil valent: multæ ſunt quæſtiones in meras logomachias deſinentes: multæ, de quibus ſine Reipublicæ & Eccleſiæ damno poteſt contendi: multæ ſunt intricatæ & ſubtiles, ut de iis intelligendis vel dirimendis ſapientes non debeant eſſe ſolliciti. Verum eſt, *occaſione* harum controverſiarum ſæpe contentiones inter homines oriri; at præterquam quod illiterati, i. e. plerique civium, has quæſtiones parum curent, hoc non tam propter diſſenſum fieri ſolet ipſum, quam vero quod illi, qui novas ſententias de Religione in medium protulerunt, non ſine faſtu & contemtu de iis, qui aliter ſentiunt, ſunt locuti; vel quod alii, a principio tolerantiæ alieni, novam ſententiam per longe petitas conſequentias exaggerarunt, &, ut proverbium habet, ex muſcis elephantes facere voluerunt. Quod ſi ἄνευ πάθων de illis ſententiis judicatum fuiſſet, tot contentiones orituræ nunquam fuiſſent. Experientia profecto conſtat, eandem ſententiam, primo proſcriptam, & miris modis exagitatam, præterlapſo brevi temporis ſpatio, nonſolum pro innoxia, ſed pro veriſſima & orthodoxiſſima habitam fuiſſe. Teſtimonii loco eſſe poſſunt controverſiæ *Carteſianæ*, *Coccejanæ*, *Wolfianæ*, ut de aliis levioris momenti diſſenſionibus nil dicam. Si vero omnis diſſenſus circa opiniones, quas homines, dum in his terris ſunt, defendere ſolent, ob metum quarundam exinde oriturarum contentionum tollendus eſt, efficiendum eſt, ut nonſolum Theologi, ſed & Philoſophi, Juriſconſulti, Medici, Pictores, Coqui

qui & omnis generis artifices, idem de singulis objectorum suorum partibus sentiant; nam & hic dissensus sæpe in familiis, tribubus, & Rebuspublicis contentiones inter cives parare solet. Nemo tamen hactenus, cui vel mica salis inest, hoc tentandum esse judicavit. III. Non tantum ipsi Protestantes, sed & doctissimi Viri inter Pontificios contendunt, non necesse esse, ut omnes minutæ sententiæ decidantur, sed ferantur, quandoquidem cum salutis æternæ periculo plane nullo modo sint conjunctæ. Ita novimus, in ipsa Ecclesia Romana Doctores publicos circa varia decreta inter se dissentire, & benignam Matrem Ecclesiam dissensum hunc æquo animo ferre. Ita sane sentit clarissimus *Muratorius* loco supra citato p. m. 110. *Sunt* (inquit) *quæstiones ad dogmata spectantes, quas absque errandi periculo dirimere Ecclesia potest, sed tamen ab iis dirimendis temperare prudenter debet. Non modica istarum copia, & præcipue apud Scholasticos occurrit, & enormem adhuc in numerum excrescere posset. Dirimere autem Ecclesiæ fas esse diximus, quia controversiæ ejusmodi aliquatenus contingunt revelationem divinam, & ex ista earum decisio peti deducique potest. Non solet autem dirimere, quia sive in unum, sive in alterum sensum, tametsi contrarium, inclinet Christianorum sententia, nihil officitur scientiæ morum a Christo traditæ: nemo a virtutibus idcirco revocatur, aut ad vitia tacite illicitur, & præcipuis expressis ac receptis Scripturarum, Traditionisque documentis atque principiis nulla vis infertur, nullaque ex parte repugnatur. Utique si Ecclesia in animum induceret, quibuscunque natis ac nascituris quæstionibus finem irrevocabili suo decreto imponere, & sibi supervacaneam incredibilemque crearet molestiam, & exiguum ingeniis immoderate curiosis beneficium deferret. Ecquando enim tantum opus illa absolveret? & quorsum tantos labores devorare, & in immensum proferre decreta fidei? Ambitionis pene dixerim, aut saltem intemperantiæ hoc esset, non necessitatis. Neque sic deterreret ab excitandis novis quæstionibus gentem litibus & disputationibus unice addictam, iisque æternum pascendam. Ad hæc non pauca sunt tam levis momenti in disputationem adducta, aliaque etiam tam difficile referri possunt, aut ad apertam Scripturam mentem, aut ad Traditionis antiquitatem, ut præstet verisimilia relinquere, quam vera aut falsa decernere. Sed illud in primis attendendum est, ut dicebamus, nimirum an disputantium sententiæ aut palam & aperto bello, aut tacite ac per*

 latus

latus in perniciem vergant alicujus jam statuti dogmatis, & expressæ in utroque Testamento veritatis, quæ ad hominum salutem, fidemque saluberrimam spectet. hactenus celebris ille Doctor pontificius.

XIV

Afferuntur alia argumenta contra allatam objectionem.

Velim insuper *quarto* loco notari, quod vitia plus officiant saluti Rerumpublicarum quam vero errores; hæc enim turbarum omnium, quæ miseros mortales vexare solent, veri fontes sunt, & quisquis illis frena laxat, secundum S. Literarum effata, nisi mentem mutet, spe certa salutis excidit: errores vero homines non coacte, sed sponte admittunt, neque aliis injuriam faciunt, si ratiocinando duntaxat alios in suam sententiam pertrahere nituntur. Difficillimum insuper est dicere, qualis pœna illum mansura sit, qui graviter, sed bono animo errat, de quo argumento illi consulendi, qui de conscientia, & ejus affectibus, data opera egerunt. Jam vero cum Deus solem suum exoriri jubeat super bonos & malos, & omnibus, diversa licet ratione, benefaciat, neque alia adversus vitia remedia, præter ea, quæ recta ratio & revelatio docet, suppeditarit, hoc tamen non obstante vitiosi semper fuerint & futuri sint, colligendum necessario, Eum non minus errantes quam vitiis deditos in his terris tolerari velle. Illi, qui vitiis sunt dediti, ita quidem, ut pacem societatis turbent, merito puniuntur; at qui sententiam suam, sive veram sive falsam, in medium profert, & aliis eam examinandi vel non examinandi, rejiciendi vel amplectendi, concedit libertatem, nemini nocet. Dominantur insuper in multorum animis prava desideria, v. gr. avaritia, superbia &c. Hæc quin Deo valde displiceant, & ad infelicitatem simul generis humani augendam plurimum conferant, nemo dubitat: propter ea tamen Imperantes, his morbis laborantes, pœnis adficere non possunt, sed eos ferre debent. Æquissimum igitur est, ut idem jus concedant illis, qui sua opinione se recte sentire existimant, nihilque aliud agunt, quam ut animi sui sensa de Religione aperiant. Quod si igitur in tanta vitiosorum hominum turba, Imperia tamen & Respublicæ sine turbis & motibus consistere possint; cur eadem perturbari dicendum esset, propter merum dissensum in quibusdam Religionis articulis occurrentem? Dices: hominum plerorumque ingenia

ingenia ita esse comparata, ut non possint non turbari & incalescere, ubi audiunt ab aliis talia de Religione tradi, quæ longius recedunt ab iis, quæ in juventute receperunt, & pro verissimis habuerunt; necesse igitur esse, ut silentium imponatur iis, qui talia proferunt. Sed si ad gustum & nutum hominum, ineptis opinionibus imbutotorum, Juris Naturæ principia & decreta rationis essent flectenda & accommodanda, qualis tandem & quam perturbatus societatis civilis status esset futurus? Verum est, multos dari, qui omnes dissentientes odio habeant; sed quæritur quo jure. Si hoc injustum est, ut omnes, qui legum moralium naturam perspectam habent, fatentur, cur in hominum misere cæcutientium gratiam lædendus esset ille qui læsit neminem? cur Religio attemperanda esset captui & desiderio hominum, qui antequam sententias aliorum examinarunt sedulo, imo audito duntaxat hominis errantis titulo, quo insigniuntur, inviso, ut male audiant, infestissimo sunt erga eos animo, & injuriis afficere gestiunt eos, in quos jus nullum habent? Par certe jus est hominibus circa ea, quæ sese intellectui offerunt dijudicanda. Ille qui opinionibus a juventute acceptis inhæret, & ille, qui examine qualicunque instituto aliter sentit, se pariter verum tueri existimat. Quis ergo hactenus inter eos judex erit, decreturus, cui silentium imponendum, aut quis inter eos pœna sit afficiendus. Denique dicimus, Christum Jesum, qui solus est infallibilis judex, & corda hominum habet in potestate sua, nonsolum prædixisse, Ecclesiam suam agro similem esse & fore, in quo tritico permista sint zizania & infelix lolium; sed & eundem noluisse, ut zizania illa penitus tollantur & extirpentur, in parabola, quæ extat Math. cap. XIII. v. 24-31. Plerique Theologi & inter ipsos etiam clarissimus noster *Heideggerus*, in *dissertatione de violenta conversione errantium*, per triticum intelligunt salutarem Christi doctrinam, per zizania vero errores graves & pietati inimicos. Christum, ajunt, noluisse, ut errantes exterminarentur, vel pœnis gravibus subjicerentur, quia ita agendo, hominum vitio, ipsa vera Religio proscribi posset. Prævidit pulchre optimus Soter, post discessum suum, homines de Religione diversa laturos esse judicia, in partes ituros, & quoslibet suas duntaxat de Religione sententias pro veris vendituros. Hoc tristis eventus eheu! satis superque edocuit: unde plane sapientissimum & divinum est hoc monitum.

Supra

Supra jam diximus Ecclesias inter se scissas in partes, existimare tamen omnes, penes se solas stare privilegium veritatis. Quod si vel Imperantes vel Ordo ecclesiasticus jus habent, eos, quos errare putant, e cœtibus suis ejiciendi, necessario orietur per universum orbem christianum commune quoddam bellum, & ita recte & male sentientes eidem subjicientur fato & exitio. Jam vero cum Christus ad consummationem seculi Ecclesiam suam servari velit, doctrina vero sua male a quibusdam capiatur, noluit propter illud quod excellentius est, tolli ea, quæ incommodis quibusdam sunt obnoxia, sed exspectandum esse jubet illum diem, quo infallibilis judex, qui omnium animorum recessus cognitos & perspectos habet, quosvis pro gradibus errorum judicaturus sit. Ita sentiunt celeberrimi inter Protestantes Theologi. Sunt, haud ignoro, qui parabolam illam de mixtura malorum & bonorum, vel piorum & impiorum, intellectam volunt. At si hoc maxime verum esset, nihil detrimenti pateretur nostra sententia, sed potius non parum confirmaretur. Cum enim, ut supra monuimus, mali plus societatis civilis saluti officiant quam errantes, sequitur necessario, minus malum magis esse ferendum, quam majus. Cumque peccantes contra conscientiæ dictamina volentes peccent, errantes vero inviti decipiantur, quis credat optimum & generis humani cupidissimum Soterem mandaturum, ut homines vitiis, quæ talia esse probe norunt, dediti ferantur tamen, ii vero, qui sine culpa sua errant, imo recte se sentire existumant, gravibus pœnis subjiciantur & passim proscribantur? Possem hisce addere, quod Christus neque exemplo suo, neque præceptis suis, violentas persecutiones approbaverit, imo quod potius universa indoles Religionis christianæ ab omni violentia adversus errantes usurpanda abhorreat: sed animus non est repetere, quæ data opera a Viris eruditissimis evidentissime & prolixe sunt probata dudum.

XV.

Conferuntur incommoda, quæ ex tolerantia oriri dicuntur,

Ut eo magis pateat, quam inepti sint clamores Pontificiorum, aliorumque qui libertatem conscientiæ sublatam vellent, conferenda sunt incommoda, quæ ex tolerantia dissentientium oriri solent, cum effectibus, qui ex violentia & persecutionibus in causa Religionis necessario enascuntur. Et 1) quidem, ut ante jam monuimus, diffiteri

fiteri nolumus, libertatem conſcientiæ, omnibus conceſſam, ſæpe occaſionem eſſe litium & contentionum; *occaſionem* dico non *cauſam.* Vera enim cauſa litium non alia eſt, quam ſuperbia, aliis imperandi lubido, ignorantia, & cum lacte materno quaſi hauſta opinio, nos ſolos de Religione recte ſentire. 2) Diſſenſus ille in cauſa Religionis, & quæ ſæpe, non ſemper exinde oriri ſolent contentiones, cum natura & imbecillitate generis humani, ut jam ſe habet, ita eſt conjunctus, ut qui omnia tollere vellet, quæ diſſenſionibus locum dare poſſent, aut naturam humanam mutare, aut e terra mortales omnes proſcribere teneretur. Dum homines erunt, non tantum diſſenſiones erunt circa Religionem, ſed & circa negotia omnia, quæ ad vitam hanc tranſigendam facere poſſunt: hinc videmus iis etiam in locis, in quibus homines iisdem ſacris addicti ſunt, perpetuas tamen lites eſſe, cum plerique mortales de ſuis facultatibus potius conſervandis & adaugendis, quam vero de ſalute omnium promovenda ſint ſolliciti. Si ſuum cuique tribueretur, & eſſet amor omnium erga ſe invicem ſincerus, omnes lites & contentiones abeſſent. Sed tales in his terris quærere incolas ineptum eſt; multo magis autem abſurdum, ſocietatem civilem propterea vel fugere, vel eos, qui *occaſiones* contentionum eſſe poſſunt, proſcribere velle. 3) Experientia teſtatur, arte emendari poſſe ea, quæ diſſenſionibus occaſionem dare poſſunt; quandoquidem poſt tot egregios de libertate conſcientiæ conſcriptos libros, etiam illi, qui olim duriſſimas de hoc argumento fovebant ſententias, manſuetiores facti ſunt. Et profecto, ſi Theologi, Juris Naturæ & Ethicæ chriſtianæ Doctores, juventuti mature moderata inſtillarent principia; ſi argumenta, quæ tolerantiam ſuadere poſſunt; ſi hæretificum fraudes detegerent, miſerandasque clades, quæ ex violentia contra diſſentientes uſurpata oriri ſolent, rite repræſentarent, brevi temporis ſpatio, ſi non omnibus, quod ſperari in hac rerum caligine non poteſt, ſaltem pleriſque malis, quæ occaſionem diſſenſionum præbere poſſunt, conſultum eſſet. Hinc videmus etiam, homines in illis locis degentes, ubi plures in negotio Religionis diffidentes familiæ tolerantur, non obſtante illo diſſenſu, amice inter ſe vivere. 4) Cogitandum, in his terris plenas animorum conſenſiones, ob infinitam ingeniorum varietatem, educationis, inſtitutionis & morum diverſitatem, exſpectari non poſſe. Quod igitur Deus ferre ſolet, qui omnibus

nibus unam de Religione sententiam instillare potuisset, ferre etiam debent homines, iisque duntaxat contra errantes tenentur uti mediis, quæ divinis & humanis legibus permissa sunt. 5) Quod si jam incommoda, quæ ex violentia oriuntur, contra contempleris, ea longe majora esse manifestissimum erit. Mala certe, quæ ex usu libertatis conscientiæ oriri solent, similia sunt minutis pustulis, quæ in pulchro corpore comparere solent; ea vero, quæ violentia necessario post se trahit, ulceribus fœtidissimis, corpus deturpantibus, & sinceras etiam partes sensim sensimque devastantibus, simillima sunt. Omnes certe, sive politici sive ecclesiastici ordinis viri, qui violentia contra dissentientes utendum esse censent, hanc suam violentiam, neque divino neque humano jure comprobare possunt, sed ita agendo necessario peccant: utuntur enim mediis illicitis, rationi, æquitati, & Religioni naturali & christianæ contrariis, licet forte hac sua violentia aliquid lucrari possint. 6) Tantum vero abest, ut id obtineant, quod unum se quærere asserunt, nimirum emendationem errantium, ut potius mala adaugeant: non enim hac ratione errantibus errores eximuntur, sed retinentur, efficiuntur hypocritæ, & conscientiæ sacra jura violantur. 7) Si licet nostra opinione errantes persequi, idem jus tribuitur errori ac veritati; per quod innumera mala, ut experientia omnium seculorum satis comprobavit, Imperiis & civitati sacræ sunt illata. Nervose & docte omnia, quæ hic a nobis dicta sunt, complexus est doctissimus *Courajerius*, in *defensione traductionis Historiæ Concilii Trident.* contra eminentissimum Cardinalem *Tencinum*, aliosque Theologos Pontificios edita. Hic enim in Anglia, felicissima illa Insula jam degens, ita libere animi sui cogitata de hoc argumento expressit pag. 428. sq. *C'est en vain qu'on grossit à vrai ou à faux les dangers, qu'entraine après soi la tolérance, & la juste raison, que l'on a de craindre de voir repandre à sa faveur les erreurs, qu'une conduite différente pourroit servir à étouffer dès leur naissance. Car supposé que la chose soit raisonnable & bonne en elle-même, nous ne sommes responsables ni de l'abus qu'on en peut faire, ni des mauvais effets qu'elle peut avoir par rapport à la corruption des hommes, à qui les meilleures choses peuvent servir de prétexte pour autoriser le mal. Il nous suffit, pour n'être point coupables de l'accroissement de l'erreur, de prendre les moyens de l'arrêter; & rien ne seroit plus insensé que de prévenir le mal par des*

actions

actions plus mauvaises, que celles que l'on voudroit empêcher. Or telle est l'intolerance, qui, outre qu'elle expose la verité aux mêmes inconveniens que l'erreur, est d'ailleurs contraire à l'esprit de l'Evangile, aussi bien qu'à la raison, & n'a rien de propre à dissiper l'erreur; puisque c'est d'elle qu'on se sert également pour détruire la verité. C'est un instrument, qu'on peut appliquer indifféremment au mal comme au bien, & ce qui peut servir à faire triompher la Religion dans certains païs, servira également à la ruiner en d'autres. Peut-on s'imaginer qu'un moyen de cette nature soit préscrit comme un devoir de Religion; & que ce soit être coupable d'une indifférence criminelle, que d'avoir aucune societé avec ceux que nous croyons dans l'erreur, & de ne pas damner de notre pleine autorité tous ceux, dont les sentimens ne s'accordent pas avec les nôtres? Une pareille Morale est une héréfie bien plus pernicieuse que la Tolérance, & bien plus dangereuse à la societé. En tolérant les autres, tout le mal qui en puisse arriver est, que des erreurs peut-être fort innocentes se perpétuent ou s'étendent plus qu'elles n'auroient fait, mais sans aucune faute de notre part; puisqu'on ne pourroit empêcher ce malheur, que par un moyen plus mauvais que le mal même. Mais l'intolérance est un mal en elle-même, & indépendemment des conséquences qui souvent sont encore pires que le principe d'où elles naissent; puisqu'elle est la source d'une infinité d'injustices, de faux jugemens, d'actions contre la charité, des haines, des cruautés & des persecutions, qu'on sanctifie à titre de Religion, & qui sont d'autant plus condamnables, qu'en deguisant ainsi le vice sous le masque de la vertu, non seulement on fait le mal à soi-même, mais qu'on induit aussi les autres à le faire, & qu'on leur inspire une fausse confiance en une conduite, qui n'est digne que de punition, au-lieu de la récompense qu'on leur donne droit d'en attendre. Tel est le caractére & tels sont les fruits de l'intolérance. Je ne prétens pas cependant, que la Tolérance ou civile ou ecclesiastique n'ait aussi ses inconveniens. Mais ce sont des inconveniens, qui sont des suites nécéssaires de notre liberté & des limites de nos lumiéres, & auxquels l'intolérance ne peut jamais servir de reméde. Tant que les hommes naîtront sujets aux erreurs, le seul moyen d'y remédier efficacement, est de leur présenter la lumiére; & si elle ne suffit pas pour les raméner à la verite, aucun autre moyen ne pourra y reüssir. Ostendit dein exemplo conterraneorum suorum, i. e. Gallorum, qui, ut notum

 est,

eſt, Reformatos duriſſimis perſecutionibus preſſerunt, quam parum tamen eæ valeant, ad eos in gremium Eccleſiæ Romanæ adducendos. *Si la profeſſion publique* (inquit) *des opinions calviniſtes a été interdite, ne ſait-on pas que dans le ſecret la pluspart des Reformés, qui n'ont pû ou ſoutenir la perſecution, ou s'y ſouſtraire, ne ſe ſont conformés que pour la forme & ſont demeurés fermément attachés à leurs premières idées? Pour un, qui peut-être a changé ſincérement & par conviction, une infinité, ſoit par une conviction opp.ſée, ſoit par le préjugé de la naiſſance ou de l'education, ont conſervé interieurement tous les ſentimens, dont on les avoit prévénus, & ſous le nom de convertis, n'ont été réëllement que dès gens ou foibles ou hypocrites. A la première lueur de liberté l'on voit revivre des flammes plutôt amorties, qu'éteintes, & l'incendie ſe répand avec d'autant plus de fureur, qu'on a ſuſpendu ſon activité avec plus de violence.* 8) Si inſpiciamus hiſtoriam & martyrologia antiqua pariter & recentiora, ſine deteſtatione & lachrymis legere non poſſumus, quantum inſanus zelus contra diſſentientes malorum mundo induxerit. Non ſolum enim innocentiſſimi homines, patriam, uxores, dulciſſima amoris pignora, affines, amicos, & facultates deſerere & amittere, famem & ſitim tolerare, ſed quicquid unquam carnificum, militum & Inquiſitorum rabies & furor ſuadere poteſt, experiri debuerunt; horret animus luctuque refugit, quoties in memoriam revoco immanes perſecutiones contra *Waldenſes*, *Huſſitas*, *Bohemos*, *Gallos*, *Belgas*, *Pedemontanos* &c. ſuſceptas; nihil crudelius & immanius excogitari poteſt tot furoris & violentiæ exemplis, præſertim ſi cogitemus, homines tantis malis expoſitos firmiſſime credere, ſe de Deo rebusque divinis recte ſentire, & vero Dei cultui addictiſſimos eſſe; perſecutores vero nullum plane in ſuas conſcientias jus habere. Et hæc mala omnia fœcundiſſimo, vel potius iniquiſſimo principio debemus; licitum nimirum eſſe, in Religione a nobis diſſidentes pœnis ſubjicere civilibus: hoc enim poſito principio, nulli limites violentiæ poni poſſunt, ſed pro libidine & furore perſequentium, vel major vel minor eſſe ſolet. Denique zelus ille iniquiſſimus, diſſentientes odio habendi, & variis modis affligendi, omnes humanitatis & amicitiae leges conculcare docet; nil hic valent preces infantum & virginum; nulli ætati vel ſexui parcitur, ſed perſecutores in furias quaſi & atroces beſtias mutantur, exiſtimantes, ſe, quo magis in miſeros ſæviant, eo majus Deo beneficium præſtare. Imo proſtant

ſtant exempla eorum, qui cum ope errantium e præſentiſſimo vitæ periculo fuiſſent liberati, eos tamen poſtea crudeliſſimis ſuppliciis ſubjecerunt. Commemorabile ſed horrendum hujus immanitatis exemplum narrat cl. *Clericus Bibl. ſelect. Tom.* 27. . 92. *On dit que du tems, que le Duc d'Albe maſſacroit les Proteſtans des Provinces unies, un Mennonite, qui auroit été brulé vif, s'il eut été pris, fuyoit devant un ſergent qui le ſuivoit, & qu'ayant paſſé un foſſé gèlé ſans que la glace fut rompüe; le ſergent, qui vouloit le prendre la fit crever, en paſſant après lui. Ce ſergent ſe mit à crier au ſecours, & le bon Mennonite eut la charité de l'aider, à ſe tirer de là, & de lui ſauver ainſi la vie. Cependant le ſergent aveuglé de ce zéle furieux, qui change les hommes en bêtes feroces, ne fut pas plûtôt hors de danger, qu'il mena le Mennonite en priſon, d'où ce pauvre homme ne ſortit, que pour être brulé vif.* Imo furioſi Inquiſitores & barbari homines, nec ferre poſſunt, ſi alii, commiſeratione commoti, ſortem miſerorum hominum deplorent. Commemorabile exemplum ex vita Paparum gallice ſcripta exhibent *Diarii literarii Hagienſis auctores, Tom. V. Part. II. Sous le regne de Philippe III.* (inquiunt) *deux Cordeliers Eſpagnols condamnés au feu, pour avoir prêché publiquement la Religion proteſtante, louoient Dieu en allant au ſupplice, de ce qu'il les avoit jugés dignes de ſceller de leur ſang la verité de l'Evangile; le Roy, qui les ouït, ne pût s'empêcher de dire;.* Voilà des hommes bien malheureux, d'être punis, pour une choſe, dont ils ſont perſuadés. *Cela fut rapporté au St. Office, qui s'en trouva fort ſcandaliſé, & qui par grand ménagement voulût bien ſe contenter d'une bouléte de ſang, qu'on tireroit au Roy & qui ſeroit brûlée par la main du Bourreau.* Quis hæc & mille alia furoris deteſtandi exempla legens, non videt & ſentit, quanta mala poſt ſe trahat violentia contra errantes veros vel putatitios uſurpata? quis non animadvertit, levia eſſe illa incommoda cum tolerantia conjuncta, collata cum tot miſeriis & cladibus, quæ ex principio non tolerantiæ enaſcuntur? quis non abominatur eorum ſententias, qui tantam hominibus concedunt licentiam? ſane indigni ſunt tolerantia, qui talia ſuadent. Quam laudabiles contra illi, qui nonniſi lenitate & perſuaſione veritatis contra errantes utendum eſſe cenſent?

XVI.

Testimoniis Theologorum quorundam protestantium sententia nostra confirmatur.

Coronidis loco, non in gratiam eruditorum, quibus hoc argumentum satis cognitum est, quique dudum sciunt, omnes nervos conclusiunculis hæretificum incisos esse, sed bonorum quorundam hominum, qui nunquam per vitam jura conscientiæ rite ponderarunt, & vel auditis duntaxat vocabulis libertatis conscientiæ metu corripiuntur, Theologorum quorundam, nulla heterodoxiæ labe laborantium testimoniis probabo, protestantes Theologos & magnifice de libertate conscientiæ sentire, & violentiam contra errantes usurpatam detestari. Prodeat primo nobile par Theologorum Tigurinorum: prior est celeb. *Heideggerus*, posterior ejus collega quondam, *cl. Wolfius*, Theologus itidem doctissimus. Ille postquam in Dissertat. priore, de *violenta persecutione errantium*, argumenta Pontificiorum pro violentia in Religionis negotio pluribus examinasset & refutasset, thesi XLVII. sic tandem colligit: *Constat ergo, Apostolos etiam nulla externa vi, nullo suppliciorum metu injecto, sed sola efficacia doctrinæ & errantium correptione, prædicationis Evangelii prima per orbem terrarum fundamenta jecisse. Iisdem autem artibus quidvis facillime retinetur, quibus & initio partum est. Accedunt velut in cumulum rationes gravissimæ, aliæ quales præcipuæ sunt, quod violentia ejusmodi a Religionis christianæ* natura & indole alienissima est; quod ipsius *Dei dominium invadit*; quod id, quod solius *Dei donum est, ab hominum coactione & vi suspendit*; quod homines *nihil minus* quam *religiosos* efficit; quod *injustissima* est; quod *veram Ecclesiam* tyrannorum & persecutorum *furoribus* extremis objicit; quod *successum* in *coactis* & *invitis* nullum habet; quod denique *non Christi*, sed *Antichristi*; non *S. Apostolorum*, sed Romuli, sed Muhamedis *genium* sapit. Hæc argumenta dein erudite & prolixe ad finem usque dissertationis probat & illustrat. Thesi LVI. ostendit, quam sit orthodoxæ Ecclesiæ noxia sententia de persecutione. *Nemo* (inquit) *mortalium est, cui non placeat ceu vera & salutaris unice ea Religio, quam animo suo penitus imbibit, colit & profitetur; uti quisque se judice magnus est, & æquo, quod ajunt, Jove judicare sibi videtur. Proin qui falsam Religionem amplectitur, persuasus nihilominus est, se veram colere. Si ergo vera Ecclesia vi grassari in dissentientes potest, quis prohibebit Reges & Principes heterodoxos, pari persuasione*

ſuaſione veræ Religionis retentos, imbutos, quo minus in diſſentientes univerſos, adeoque veram etiam Eccleſiam maxime a falſa diſſentiemtem, pari furore ſæviant, ei aqua & igne interdicant, & ſummam perniciem machinentur. Conferantur ejusdem de *legitima converſione errantium* & de *concordia Proteſtantium diſſertationes*, in quibus ſaluberrima ad concordiam & tolerantiam fovendam in medium adfert adminicula. Hic vero ὁ Μακαρίτης *cl. Wolfius* in diſſertat. de *converſione legitima in fide errantium*, ſect. VII. ſic mentem ſuam maſcule, de violentia in Religionis negotio verba faciens, aperit: *Non probamus* (inquit) *ſed tota mente execramur ſuperbiſſimum regni carnalis dominium, quo præcepta hominis & dogmata carnis acrioribus remediis, aperta vi & raptu, proſcriptionibus & exiliis, carceribus, triremibus, mulctis, cruciatibus, exquiſitiſſimis denique ſuppliciis, improbe & violenter propugnantur, & a præſcriptis humanitus circa rem & fidem divinam opinionibus diſſidentes, omni artium, injuriarum & armorum contentione, inſuper habita conſcientiæ reclamatione, pactorum, fœderum, legumque divinarum & humanarum abrogatione, miſere exercentur, excarnificantur, & ad ultima propelluntur. Quod violentiæ genus immanibus ac ſanguivoris carnificibus non chriſtianis Doctoribus & Principibus dignum, nec ex divinarum tabularum ſtatutis, nec ex S. Prophetarum & Apoſtolorum exemplis, nec ex Eccleſiæ primitivæ conſuetudinibus, nec denique ex ſanæ & humanæ rationis dictaminibus ullo modo colorari aut excul͏pari poſſit.* Ita Theologi illi *Tigurini.* Duorum inter recentiores Theologos Proteſtantes de hoc argumento duntaxat adferam teſtimonia; nimirum celeb. *Pfaffii* & ejusdem *Academiæ Tubingenſis* Theologi præſtantiſſimi *Maichelii.* Excellentiſſimus *Pfaffius*, qui, ſi nullis præclaris ingenii monumentis, quæ plurima extant, orbem eruditum ſibi devinxiſſet, vel ſolis ſcriptis ſuis *Irenicis* æternam nominis famam, penes veri amantes & pacis ſtudioſos, obtinere debuerat, ita de hoc argumento diſſerit, *in ſeinen Academiſchen Reden über das Kirchenrecht* p. 218. *Ich meynte, alle Gemeinen der unter ſich zertheilten Chriſten ſolten gegen einander allen Religionshaſs und Glaubensgroll auf einmahl ablegen, und in ſolcher Liebe, die die Vernunft und das Chriſtenthum lehret, einander kennen und behandlen lernen. Iſts vvohl* vernünftig, *einander um eines Irrthums vvillen zu haſſen, ja gar zu verfolgen? Der Zuſtand eines irrenden, vvenn ihme der Irrthum empfindlichen Schaden zufüget, iſt vilmehr*

vilmehr erbarmungswürdig. Es solte derselbe also im Gegentheil unsere Liebe anfeuren, dem Irrenden zu recht zu helfen, so ja durch nichts anders, als durch die Ueberzeugung geschehen kann. O wann die christliche Welt so vernünftig *und so* christlich *gesinnet würde, was würden diss nicht* für güldene Zeiten und für eine ungemeine grosse Glükseligkeit seyn, *die auch in die politische Ruhe der Repu- bliken recht grossen Einfluss hätte, und Segen über ganze Völker; ja über das gesamte christliche gemeine Wesen brächte! Das gäbe Gelegenheit zu friedsamer Correspondenz der Gemeinen, die zu ihrem gemeinschaftlichen Nuzen und Besserung was recht grosses beytragen könnte! Da legte man die falsche Vorurtheile nach und nach ab, die die Gemüther bis daher gefesselt hatten, und der Weg zu unpartheyischer Untersuchung der Wahrheit und des vorherigen Vorgangs in der Kirche würde herrlich gebahnet. Da würden vielleicht die Vernünftige bald merken, wie es nicht auf den sich selbst anmassenden Ruhm der wahren Kirche, und das Geschrey:* Hie ist Christus, da ist Christus; hie ist des Herren Tempel; gross ist die Diana zu Ephesus, *ankomme, sonder auf die Wahrheit und das innere Mark des Christenthums, welches sich in dem lebendigen Glauben an den lieben Erlöser, in einer rechtschaffenen Herzens-Bekehrung von der Welt, und Verabscheuung ihrer Lüste zeigen muss.* In Dissertat. de *Zizaniis non evellendis*, ita porro loquitur præstantissimus vir: *Si diversitas Religionum per se turbas in civitate pareret, pareret & in Belgio, sed has non parit hic illa, quia omnium dissentientium in Religione animis alte heic infixa est sententia, quam sanior dictitat Politica, libertatem conscientiis sartam tectam conservandam, adeoque dissentientes in Religione tolerandos, nihilque absurdius, nihil sanæ rationi, nihil christianæ legi infestum magis esse,* odio *Religionis mutuo. Hoc principio, quod summa æquitatis & veritatis lux collustrat, posito, alta pax pervadit animos, & mutuus, quo in se invicem dissentientes feruntur, amor, qui utinam quæso & nos Germanos demulceret, nostraque aliquando occuparet pectora! Sic enim & strepitus gravaminum Religionis quiesceret quantocyus, & publica quoque Germaniæ nostræ salus curaretur & promtius & solidius. Quid quod, si ad exemplum Belgii totus componeretur orbis christianus, si plena conscientiis ubique constaret libertas, si principium universalis tolerantiæ totius, qua qua patet, Ecclesiæ christianæ permearet latifundia,* (quod vero stante Monar-

chia

chia ecclesiastica, quæ, teste experientia, in ipsa Ecclesia catholica tot turbas intestinas excitavit hactenus, fieri non potest) *aureum Christianis redderetur seculum, quo, semotis omnibus religiosis bellis, semoto omni pravo unius Religionis in alteram sæviendi ambitu, dissonantes etiam in fide chordæ, in bellam, in suavem, sed civilem, quæ sufficit, concurrerent harmoniam, & eurythmia politica, eaque universalis, quam turbat inconsultus Religionis zelus, hanc saltem, quod attinet, modis plane admirandis stabiliretur firmareturque. Non enim considero aliter Ecclesias inter se dissidentes ac Respublicas liberas, quarum una alteri leges absurde præscripserit, & unaquæque propriis & stat & cadit.* Hactenus excellentissimus *Pfaffius*. Huic adjicio verba clarissimi *Maichelii*, Professoris itidem Tübingensis doctissimi. Hic vero dissertationem suam de *via auctoritatis & examinis* ita claudit: *Quod restat, ad vos Protestantes paucis adhuc mea se convertit dissertatio: sunt nostra principia eximia, sunt præstantia, sunt rationi & Scripturæ plane conformia:* ast non vivi secundum principia, pridem conquestus est *Grotius*, vir, si quisquam alius, ingenii sagacitate atque omnimodæ eruditionis gloria conspicuus. *Ah! quid juvat viam examinis profiteri in thesi, & alteram authoritatis assumere in hypothesi? quid infallibilitatis tribunal respuere in Pontifice vel Ecclesia Romana, nec tamen permittere, ut unquam errasse videare? Quid Scripturam dicere unicam fidei normam & regulam, & tamen vel traditionum, quæ quorundam ex Anglis imprudentia fuit, vel confessionum quoque publicarum, in se utique eximiarum & præstantium, auctoritatem plus justo extendere. Quid intolerantiam Ecclesiæ Romanæ refutare scriptis, & aliorum tamen etiam in rebus quandoque levioris momenti ægre ferre dissensum, eundemque patrati in civilibus instar criminis, præpostero plane studio atque zelo, graviori pœna ulcisci. Ah! facessat a nobis ista inhumanitas, causæ nostræ, quam defendimus, principiorumque præstantiæ labem atque maculam inustura. Homines esse agnoscamus nullo infallibilitatis privilegio munitos; ad veniam itaque dandam, eandemque pro re nata ab aliis petendam paratos nos ostendamus. Grata mente recordemur Reformationis insigne beneficium; at caveamus ne illam dehonestemus in praxi; vel, ne nimium de statu nostro præsumentes, jam nihil amplius nobis deesse putemus. Quin potius in cognitione doctrinæ cælestis indies crescere studeamus, atque id agamus inprimis, ut interior ista mentis Reformatio, veræ Ecclesiæ*

christianæ decus & ornamentum, in nobis conspicua reddatur. Sic Spiritus Christi, qui Spiritus veritatis est, atque charitatis, nobiscum erit: sic regnum ejus in & a nobis amplificabitur; sic ruptis tandem omnium difficultatum, quas caro & mundus objicere nobis solent, vinculis, pulsisque ignorantiæ omnis atque errorum tenebris, in eum felicissimum redigemur statum, in quo Deum videbimus καθὼς ἐστι, & ubi nostra jubila nulla amplius obscurabunt nubila, nostrisque mentibus ea affulgebit divinæ cognitionis amplissima lux, quæ nec via examinis indigeat, nec ea fatigetur amplius. Hactenus ille. Huic voto ex animo subscribens dissertationi huic & argumento impono finem.

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ

Thesium aliquot theologicarum.

I. Non minus malorum imperiis & civitati sacræ intulerunt hæretifices, quam ipsi hæretici.

II. Neque Imperantes, neque Pontifices, aut Sacrorum Ministri jus habent in conscientias hominum.

III. Calculum meum non aufferunt, qui tolerabilius eum putant peccare, qui Christum se videre arbitratur ubique, etiam ubi se non ostendit, quam qui Christum non videt, ubi non clare perspicitur.

IV. Qui fratribus circa articulos Religionis minus momentosos errantibus insultant, eosque hæreseos suspectos propterea reddere nituntur, graviter peccant, & censura publica digni sunt.

V. Qui credit salvabitur, qui non credit condemnabitur; hoc scivisse de decretis Dei plebi, & forte etiam Eruditis quibusdam, satis est.

VI. Multum in Theologia profecit, qui quædam nescire didicit.

VII. Locus Matth. cap. XVIII. v. 17. nostra sententia excommunicationem, quam vocant ecclesiasticam, non probat.

VIII. Eorum Theologorum accedimus sententiæ, qui statuunt, nullibi esse quærendum sensum mysticum, nisi ubi id ab ipso Spiritu Sancto indicatum est.

IX. Lu-

IX. Lubenti animo subscribimus iis, quæ de typis & citatione locorum Vet. Testamenti in Novo, adducta sunt a *celeb. Basileensium Theologo*, *Joh. Lud. Frey*, in dissertat. de officio Doctoris Theologi pag. 50. sq. sonant autem ita: *Peccant qui omnes similitudines & analogias inter typum & antitypum, quæ ullo ingenii conatu excogitari possunt, ingenti studio venantur, quamvis plane præter dicentis scopum. Peccant gravius, qui omnes etiam levissimas allusiones N. T. ad V. T. pro totidem explicationibus typorum habent. Constat enim Scriptores N. T. utpote Judæos, lectioni V. T. assuetos, haud raro phrasibus ex V. T. desumtis mentem suam exprimere, integrasque nonnunquam ῥήσεις ad suum accommodare scopum, quas in totidem typos erigere hominis esset imperite S. Literas tractantis. Nonne nugari censeretur, qui adagium, dictumque aut phrasin antiqui auctoris, ad nostri temporis rem exprimendam adhibitum, aut illas veterum sententias, ex quibus Lipsius suam contexuit Politicam, pro totidem typis rerum hodiernarum venditaret?*

****

MEDITATIO, DE PIA ET CIRCUMSPECTA In tradendis ſanctioribus diſciplinis ſectanda SIMPLICITATE.

Pars Prima.

Sect. I.

Scopus Auctoris repræſentatur.

NOn perinde eſſe quacunque ratione ſanctiores diſciplinæ tradantur; ſapientes omnes, & rerum divinarum gnari, facile concedent. Sive enim ad articulos Religionis, qui in S. Literis tanquam cognitu neceſſarii repræſentantur, reſpicias, ſive oculos animi convertas ad eos, in quorum gratiam hi articuli explicantur & defenduntur, ſive denique ad verum legitimumque uſum Religionis attendas, manifeſtum erit, multum referre, qua ratione res tam momentoſæ, tam neceſſariæ & utiles, proponantur & explicentur. Eos enim, qui vocum & ſtyli obſcuritate res ſanctiſſimas involvunt, aut res momentoſiſſimas non ſatis gravibus argumentis probant, aut denique multas non neceſſarias quæſtiunculas & controverſias, olim & nunc inter Eruditos agitatas, vehementer commendant & urgent, easque tanquam valde pretioſas articulis graviſſimis adjungunt & extollunt, peccare & præpoſtere agere, cordati omnes & ſapientes uno ore fatebuntur. Sed triſti tamen experientia conſtat, priſci pariter ac recentioris ævi Doctores, hoc in caſu ſæpe contra prudentiæ regulas impegiſſe. Qui in hiſtoria eccleſiaſtica antiqua & recentiore vel leviter verſatus eſt, id quod dico in dubium non vocabit. Hinc extant veterum & recentiorum Ec-

cleſiæ

clesiæ Doctorum de hoc vitio & morbo vehementes querelæ & lamentationes. Passim viros eruditos, & nullius heterodoxiæ culpabilis suspectos audias non sine dolore ingeminare, Christianos mature ab antiqua christianæ *doctrinæ simplicitate* recessisse, neque inde a Reformationis temporibus, ad nostram usque ætatem, defuisse, qui minutos errores in majus extulerint, & leves, parumque profuturas sententias & hypotheses cum salutaribus veritatibus miscuerint, numerumque inutilium quæstionum amplificaverint. Animus igitur est huic morbo, quantum in me est, occurrere, & veram, piam, & circumspectam simplicitatem theologicam commendare. Quamvis enim in tanta ingeniorum diversitate, & tam feraci disputationum seculo, vix sperare possim, multos vacivas mihi aures præbituros, ipsa tamen rei gravitas & utilitas monet, ut quilibet, qui publici Doctoris munere defungitur, pro viribus suis, nativam illam doctrinæ christianæ simplicitatem commendet, amissam, si fieri potest, restituat, ejusque veram imaginem depingat. *

II.

Non erit a scopo nostro alienum, virorum quorundam doctorum de hoc argumento adduxisse testimonia. *Timannus Gesselius, M. D. in præfatione historiæ suæ sacræ & ecclesiasticæ* præmissa; in eo est, ut ostendat, si adsit charitas, normam inveniendæ veritatis & pacis

Afferuntur quædam veterum & recentiorum de

* „ Quod celeberrimus Werenfelsius initio dissertationis elegantissimæ de „ Logomachiis Eruditorum monuit, meo de simplicitate theologica revocanda & commendanda instituto applicari potest. Propositum mihi „ inquit est, morbo gravissimo, quique diu rem litterariam vehementer „ afflixit, hoc tempore medicinam facere: quem si non tollere omnino, „ quod sperandum certe in hac contendendi libidine non est, at saltem „ aliquo modo imminuere possem, næ ego neque tempus neque chartas „ hasce perdidisse mihi viderer. Dici enim vix potest, quantum sit logomachiarum inter eas, quæ doctissimos homines dividunt, disputationes; quotque proinde, quantisque litibus & rixis, si verborum pugnæ „ aliquando evanescerent, res litteraria, misere his toties dilacerata, sublevatam se visura esset. Neque tamen sum nescius, quanta sit hujus „ mali pertinacia, quantaque curationis difficultas, imo quam odiosum „ aliquando sit, hoc ulcus tangere. Sed neque relinquendus est ægrotus, „ tametsi remedia respuat, neque difficultate absterreri debet Medicus; „ sed facere quidquid in se est, eventum Deo committere.

hoc argumento effata Doctorum.

pacis eam esse, si præter Scripturam sacram, unicam credendorum normam, antiquissimorum Patrum, qui disciplinæ christianæ *simplicitatem* sectati sint, consulantur scripta. In medium eum in finem adducit testimonia *Irenæi*, *Tertulliani*, *Vinc. Lirinensis*, *Melanchtonis*, *P. Martyris*, *Gallasii*, *Erasmi*, *Sculteti*, *Casauboni*, *Grotii*, *G. Vossii*, *Salmasii*, *Riveti*, *Calixti*, *Voëtii*, *Bezæ* & aliorum, quæ apud ipsum auctorem legi possunt. Inprimis id etiam egit passim in scriptis suis, nimirum in *Commentariis suis in N. Testamentum*, in *Epistolis*, in *methodo compendio perveniendi ad veram Theologiam*, in *adhortatione* ad *christianæ philosophiæ studium*, & passim alibi, orbis eruditi æternum ornamentum D. *Erasmus*. Juvat unum alterumque ex scriptis M. Viri adduxisse locum. In adhortatione *ad christianæ philosophiæ studium*, inter alia sic disserit, pag. m. 170. edit. a *Halbauero* curatæ. „ Primum est inquit scire, quid docuerit Christus, proximum est præstare; neque enim ob id, opinor, quisquam sibi „ Christianus esse videatur, si spinosa molestaque verborum perplexitate, de instantibus, de relationibus, de quidditatibus, & formalitatibus disputet, sed si quod Christus docuit & exhibuit, id teneat „ exprimatque. Non quod horum studium damnem, qui in argutiis „ hujusmodi non sine laude exercuerunt ingenii sui vires: sed quod „ existimem, & vere, ni fallor, existimo, puram & germanam illam „ Christi philosophiam non aliunde felicius hauriri, quam ex evangelicis & apostolicis litteris, in quibus, si quis pie philosophetur, „ orans magis quam argumentans, & transformari studens potius „ quam armari, is nimirum comperiet, nihil esse, quod ad hominis „ felicitatem, nihil quod ad ullam ejus vitæ functionem pertineat, „ quod in his non sit traditum, discussum & absolutum. Sive quid „ discere cupimus, cur alius auctor magis placet quam ipse Christus? sive vivendi formam requirimus, cur aliud nobis prius est „ exemplum quam archetypus ipse Christus? sive pharmacum aliquod adversus molestas animi cupiditates desideramus, cur alibi „ putamus remedium esse præsentius? sive cupimus desidem ac languescentem animum expergefacere lectione, quæso ubi reperias „ igniculos æque vivos & efficaces? sive visum est animum ab hujus „ vitæ molestiis avocare, cur aliæ magis placent delitiæ? Cur statim „ malumus ex hominum litteris Christi sapientiam discere, quam ex „ ipso Christo? qui quod pollicitus est, sese semper nobiscum fore,

„ usque

„ usque ad conſummationem ſeculi, in his litteris præcipue præſtat,
„ in quibus nobis etiamnum vivit, ſpirat, loquitur pene dixerim
„ efficacius, quam cum inter homines verſaretur. Minus videbant,
„ minus audiebant Judæi, quam tu vides & audis in evangelicis
„ litteris, tantum ut oculos & aures adferas, quibus Ille cerni & au-
„ diri poſſit. *Et paulo poſt.* Mahumetæi ſua tenent dogmata; Ju-
„ dæi & hodie, ab ipſis cunabulis, ſuum ediſcunt Moſen: Cur nos
„ non idem præſtamus Chriſto? Qui Benedicti profitentur inſtitu-
„ tum, regulam ab homine, eoque pene idiota, & idiotis ſcriptam
„ tenent, ediſcunt, imbibunt. Qui Auguſtiniani ſunt ordinis, aucto-
„ ris ſui regulam callent. Franciſcani Franciſci traditiunculas ado-
„ rant; cur illi plus tribuunt regulæ, ab homine ſcriptæ, quam uni-
„ verſi Chriſtiani ſuæ regulæ, quam omnibus tradidit Chriſtus, quam
„ omnes ex æquo profeſſi ſunt in baptiſmo, denique qua, ut ſex-
„ centas etiam addas, nulla poſſit eſſe ſanctior. *Mox quibusdam*
„ *interjectis, de Chriſto ſic addit.* Hunc auctorem nobis non ſchola
„ Theologorum, ſed ipſe Pater cœleſtis divinæ vocis teſtimonio com-
„ probavit, idque bis, primum ad Jordanem in baptiſmo, deinde
„ in monte Tabor in transfiguratione. Hic, inquit, eſt filius meus
„ dilectus in quo mihi complacitum eſt, ipſum audite. O ſolidam
„ auctoritatem, vereque, ut iſti vocant, irrefragabilem! Quid eſt
„ Ipſum audite? Nimirum hic unicus eſt Doctor, hujus unius di-
„ ſcipuli ſitis. Attollat ſtudiis ſuum quiſque quantum volet aucto-
„ rem: hoc de uno citra exceptionem dictum eſt, Chriſto. *Qualis*
„ *autem debeat eſſe & animus & ſcopus eorum, qui ſinceram Chriſti*
„ *doctrinam rite percipere volunt, ita edocet in eodem libello pag.* 25.
„ Cœterum quod ad uſum attinet (nimirum cognitionis theologicæ)
„ omnium eſt longe primum & maximum, & ut præcipiendo minimum
„ eſt negotii, ita eſt in præſtando plurimum, nimirum ut ad hanc
„ philoſophiam, non platonicam, aut ſtoicam, aut peripateticam,
„ ſed plane cœleſtem, animum adferamus ea dignum, non tantum
„ purum ab omnibus, quoad fieri poteſt, vitiorum inquinamentis,
„ verum etiam ab omni cupiditatum tumultu tranquillum, quo ex-
„ preſſius in nobis, velut in amne placido, aut ſpeculo levi & exterſo
„ reluceat æternæ illius veritatis imago: Nam ſi Hippocrates a ſuis
„ diſcipulis exigit mores ſanctos & integros: ſi Julius Firmicus in
„ arte ſuperſtitioſa non admittit ingenium lucri gloriæve morbo

„ cor-

„ corruptum, si prisci Dæmonum cultores non recipiebant quen-
„ quam ad profana sua mysteria, nisi prius multis observationibus
„ repurgatum; quanto magis æquum est, nos ad hujus divinæ sa-
„ pientiæ scholam, seu templum veri[tatis] purgatissimis animis acce-
„ dere? *Petrus* Cunæus, *vir doctissimus, capite ultimo de* Republica
„ Hebræorum, *occasione fidei Patrum primitivæ ecclesiæ ita inquit:*
„ Profecto Doctores umbratici, qui omnia in formulas includunt,
„ sæpe in arctum desiliunt, unde pedem referre haud sinit pudor,
„ & incepti lex. Hinc discordia iræque & nulla modestia conten-
„ tionis. Apostoli & Evangeliorum scriptores, si brevi usura lucis
„ ad mortalium cœtus redirent, mirarentur ad libros suos interpre-
„ tandos tot esse analyses methodosque, & ex sophistarum nugis tot
„ insanas moles convectatas. Divina quædam res est in eorum
„ scriptis horrida illa simplicitas, quam olim tanto quisque felicius
„ secutus est hercle, quanto propius tempora illorum attigit. Nunc
„ in hoc mundi senio, postquam intra famelicæ artis spatia stetimus,
„ levibus ac inanibus præceptis factum est, ut corpus divinæ sapien-
tiæ enervaretur & caderet. „ *M.* Bullingerus *circa ultimos vitæ annos (quo enim magis ætate & sapientia proficimus, eo magis divinæ illius, quam commendo, simplicitatis necessitatem, veramque imaginem perspicimus,) edidit libellum sub hoc titulo:* Adhortatio ad omnes in Ecclesia Domini nostri Jesu Christi Verbi Dei Ministros, ut contentiones mutuas deponant, & hoc pravissimo & periculosissimo extremo seculo solam veram in Christum fidem & vitæ emendationem simpliciter & unanimi consensu mundo annuntient. *Unum tantum ex hoc egregio libello juvat decerpere locum, qui extat pag.* 12. & 13. „ Quicunque (*inquit*) igitur Ministrorum his
„ contenti, simplicitatem doctrinæ & fidei in solo Dei verbo quæ-
„ runt, neque curiositati suæ indulgent, & odiosam illam & infini-
„ tam perscrutationem fugiunt, neque immiscent quicquam alieni
„ in rebus & verbis, non ambitione, rixis, garrulitate, odio & in-
„ vidia, vincendique & se ostentandi libidine ducuntur, hi non tan-
„ tum absque ulteriore perscrutatione divinas res intelligunt, &
„ animo quieto tranquilloque sunt, sed alios quoque easdem cum
„ fructu aliquo docere possunt. Atque hac ratione tolluntur rixæ,
„ maledicta & tot controversiæ, quibus homines plurimum offen-
„ duntur: a quibus aliàs nulla ratione unquam liberari possimus.

„ *Et*

„ *Et pag.* 12. Præterea hæc quoque inter alias rixarum & contentionum causa est, unde oriuntur & augentur, si viri docti non sint contenti his quæ inventa sunt & ex verbo Dei simpliciter docentur, & quæ sufficiunt ad cognitionem veræ Religionis, atque ut recte & ex Dei voluntate vivamus, & vitam æternam adipiscamur; sed omnem suam ætatem, operam atque laborem huc impendunt, ut scrutentur & proferant aliquid novi, quod hactenus a nullo visum vel in lucem prolatum sit. Id autem ubi invenerint, pro sua opinione tum elegantibus verbis ornant, & speciosæ mercis loco spectandum proponunt. Quicunque igitur his, quæ hactenus bene usurpata & recte intellecta sunt, contentus, novas has merces coëmere noluerit [*O si, beate Vir! nostrum delatus esses in ævum, quanto majores conquerendi de hisce haberes rationes*] & novis inventis se egere negarit, hunc stolidum esse convitientur, qui mysteria non intelligat, atque totis viribus nova sua figmenta tueri, & omnibus magis magisque obtrudere conantur. Hinc autem vehementissima & offensionis plena certamina exoriuntur, inter novorum figmentorum propugnatores & reliquos, qui hæc non patiuntur sibi obtrudi. *Idem in compendio Religionis christianæ, A. M. D. LXIX. Tiguri edito, eadem inculcat. In præfatione ita loquitur:* Hortor autem omnes, qui præsens opusculum lecturi sunt, ut pietati, simplicitati, ac perspicuitati Religionis & doctrinæ, atque etiam integritati vitæ studeant: non autem novis & argutis quæstionibus dediti sint, ac interim simplicitatem & perspicuitatem fidei, & vitæ integritatem, honestatem, charitatem & pietatem negligant, perinde ac si ad fidei & doctrinæ nostræ certam cognitionem nunquam perveniri possit, ac solummodo in disputationibus ac curiosa investigatione in sophismatibus & argutiis versetur.

„ Præterea certum est, Christum Dominum, cum in vitæ nostræ fine, tum in extremo judicio, atque etiam quovis tempore non contentum fore curiosis quæstionibus, & difficilium nodorum solutione; sed multo magis requirere, ut pura fide, vere, sicut ipse docuit, de Religione loquamur & pie vivamus. Quamobrem hortor omnes fideles, eos præsertim qui novas & raras res cupide appetunt, ut a Deo postulent simplicem ac tranquillam mentem, qua suam curiositatem, qua se & alios perturbant, pos-

„ ſint abjicere, ac pie & modeſte agere, pure & ſimpliciter credere, „ atque de fide ſobrie, moderate ac pie loqui: ſic ut ſint animo tranquillo, & erga Deum pacato, fidem vero ſuam modeſtia, honeſtate, fidelitate, charitate ac cœteris virtutibus declarent, divinæ „ gloriæ & honoris cauſa, & ad hominum utilitatem & emendationem, & poſtremo ut in vigiliis & precationibus adventum Do„ mini exſpectent. Atque hic finis & ſcopus mihi in hoc opere conſcribendo propoſitus fuit. *Hactenus Bullingerus.* P. Martyr in „ comment. ad 1. Epiſt. Pauli ad Corinth. cap. X. v. 11. *in hæc verba erumpit:* Miſerum eſt, cum habeamus tot clara & aperta in „ S. Literis, de fide, ſpe, charitate, & cœterarum virtutum officiis, „ in quibus nihil eſt obſcurum, quod ea prorſus neglecta relinquamus, & tanta ſuperſtitione quæ incerta ſunt, & minus ad ſalutem „ faciunt, velle perſequi. Hoc diabolus curat, ut in quæſtionibus „ infinitis ac inutilibus vehementer laboretur; abjectis, quæ neceſſaria ſunt, ut ſerventur. H. Witſius *in allocutione irenica, ſyſtemati Theologiæ præmiſſa, ita mentem ſuam aperit, dicens:* Eccleſiæ „ nunquam melius fuit, quam quando ſua ſe involvens credendi „ amandique ſancta ſimplicitate, procul omni vitilitigandi prurigine „ ab unius Domini ore pendebat, caſtamque veritatem ex illis ſolum „ ſcriptis hauriebat, quæ & Davidem ſapientiorem fecere omnibus „ Doctoribus ſuis, & hominem Dei perfectum reddere poſſunt, ad „ omne bonum opus perfecte inſtructum. S. Werenſelſius *in diſſertatione egregia, de ſcopo Doctoris Theologi, quam & Doctores Theologiæ & ipſi ſanctiorum diſciplinarum alumni frequentiſſime expendere debent, multa adfert huc ſpectantia: juvat unum alterumve hic adducere.* Obſervandum, *inquit*, ad Paſtorem evangelicum „ rite inſtruendum neceſſarium eſſe, ut videlicet tempus huic inſtructioni deſtinatum, rebus inutilibus & ad ſcopum noſtrum nil conferentibus ne teramus. Certum enim eſt tantum ad hoc, ut „ oportet, perficiendum temporis nobis ſurripi, quantum in ſupervacanea impenditur; quod ſi enim uſquam tempus bene collocandum eſt, fieri id ſane debet in re, quæ ab una parte tanti eſt „ momenti, ab altera tam difficilis ipſa per ſe & prolixa. Tempus „ Paſtoris inſtructioni deſtinatum inutiliter terunt illi Doctores, qui, „ ut Apoſtolus loquitur, amant ſtultas & ineruditas quæſtiones, quæ „ lites potius pariunt, quam ædificationem Dei, qui toti ad vanilo-

„ quen-

„ quentiam convertuntur, qui insaniunt circa logomachias, qui de-
„ pereunt profanas vocum novitates & oppositiones falsi nominis
„ scientiæ: quo sane omnes referri possunt Doctores academici, qui
„ in docendo delectantur quæstionibus curiosis magis, quam utili-
„ bus, quæstionibus spinosis & difficilibus, ac plerorumque Chri-
„ stianorum, sæpe & ipsorum, qui eas movent, captum superan-
„ tibus.

„ Tempus Pastori instruendo destinatum male collocant *ii quo-*
„ *que Doctores*, qui magnam ejus partem impendunt ad discipulos
„ armandos adversus eos hæreticos & heterodoxos, quos postea in
„ oppidis, vicis & pagis, in quos ad Evangelium prædicandum
„ vocantur, nusquam conspiciunt; qui sane Doctores perinde fa-
„ ciunt, atque ii, qui in regionibus, ubi nulli sunt leones, pardi,
„ aut crocodili, pastores ovium magno labore docerent, qua ra-
„ tione terribilia ista animalia a gregibus & ovilibus sint abigenda.
„ Enim vero cogitandum nobis est, tempus quod in Academiis Pa-
„ storibus instruendis impenditur, breve nimis, artem vero, quam
„ hi discere a nobis debent, longissimam esse; resectis nonsolum
„ frivolis, sed iis etiam, quæ levem tantum utilitatem habent: quæ
„ supersunt, ad hoc munus obeundum omni ex parte necessaria,
„ satis ipsa per se multa esse & magna: gravem igitur ab iis ratio-
„ nem Deo reddendam esse, qui discipulos in iis detinent, quæ ali-
„ quando oblivisci, & dediscere debent, quando cura animarum rite
„ volunt defungi. Si multum superesset temporis, verbis utor Se-
„ necæ, tamen id parce dispensandum foret, ut tot rebus neces-
„ sariis sufficeret; nunc quæ dementia est, supervacanea docere in
„ tanta temporis egestate?

„ Novi ea vulgo Theologiæ systemata perfectissima haberi, quæ brevi
„ spatio quamplurima complectantur, nullamque adeo inter Theolo-
„ gos agitatam quæstiunculam intactam relinquant. Meo vero ju-
„ dicio illa optima & studiosis utilissima forent systemata, quæ nil
„ continerent, nisi quæ futuris Pastoribus sunt omni ex parte ne-
„ cessaria; sed hæc aliquanto plenius & solidius quam vulgo fieri solet,
„ pertractata. Satius enim est, recte & solide scire pauca scitu necessa-
„ ria, quam multorum, quorum pleraque parum sunt utilia, levem
„ quandam, confusam, & superficiariam cognitionem habere. Cogi-
„ tandum denique est, judicia adolescentum, quos instituimus, non-

„ dum firma & matura esse. Nesciunt plerumque in hac ætate re-„ rum momenta ponderare, & dijudicare quid distent æra lupinis.

„ Quando igitur animadvertunt, nos Magistros suos in rebus „ parum utilibus multum temporis & operæ consumere; præsertim „ si illa tractamus fronte rugosa, supercilio & vultu magistrali, „ assuescunt illa considerare tanquam res magni momenti, & tan-„ quam dogmata, in quibus cardo Christianismi vertitur; hancque „ opinionem, in scholis haustam, postea per omne reliquum vitæ „ tempus retinent. Ex quo unico fonte manant innumerabiles illæ „ de rebus levibus pugnæ, & concertationes scandalosæ, quo vix „ majus est in Ecclesia malum: nisi forte hoc illud sit, ex eodem „ fonte manans, quod, qui tot inutilia in academiis audiverunt, „ postea ad Ecclesias vocati, his minutiis, ne dicam nugis & inep-„ tiis, quacunque oblata occasione oves suas pascunt, & salutari-„ bus præteritis, hæc in concionibus auditoribus suis iterum iterum-„ que inculcant. Quid mirum? Nimirum hæc sunt, quæ prope „ sola inde retinuerunt. Nunc vero nolunt hæc omnia frustra au-„ divisse, & quæ juvenes didicere, senes perdenda fateri.

III.

Adferuntur alia in hanc rem testimonia.

In numerum horum Doctorum, qui simplicitatem illam, quam commendamus, promotam vellent, referendi merito, qui data opera scripserunt de *audiendo Christo*, tanquam solo & infallibili, eoque divinissimo in tradendis sacris Doctore. Extant binæ lectu dignissimæ de hoc argumento dissertationes, nimirum τȣ Μακαριτȣ cl. *Turrettini* & cl. *Moshemii*, florentis adhuc per Dei gratiam, & indies magis magisque de republica litteraria bene merentis. In iis viri præstantissimi probant, Soterem nostrum nonnisi gravia, utilia, doctis pariter & indoctis profutura in medium proposuisse: ab hoc Doctore infallibili omnes cæteros rerum theologicarum professores dependere: Illum solum audiendum; divina semper quadam & extraordinaria ratione admonitos suos ab Eo auditores, ut ea quæ scitu sunt dignissima, gravia, & ad veram mentium felicitatem facientia, ante omnia quærant: nil ab hoc tradi Doctore, quod scholam sapiat, nihil quod triviale, & ad lites & contentiones inter mortales serendas facere possit: &c. &c. Quo ipso revera auctores illi osten-

ostendunt, exemplo ipsius Soteris nostri, ante omnia & constanter S. Litterarum studiosis inculcanda esse gravissima, salutaria, & cum certissima salutis consequendæ spe conjuncta dogmata, cætera vero non æque fervente zelo esse tractanda. Sed juvat unum vel alterum ex his scriptis Virorum doctorum adduxisse locum: (cur vero plura Virorum doctorum de hoc argumento adducam testimonia, dicet qui me noverit:) *Turrettinus*, postquam ipsorum dogmatum a Sotere nostro propositorum præstantiam, & admirabilem præceptorum ejus vim & excellentiam proposuisset, ita thes. XX. colligit: „Et hæc „ quidem est doctrina Christi; hæc ejus Theologia; mira certe, sub„ limis, divina, si rerum ipsarum momenta spectantur; sed & simul „ modo ita plano, ita familiari, proposita, ut omnium vel maxime „ rudium captui accommodata sit. Nullæ barbaræ locutiones; nullæ „ inutilium quæstionum tricæ; nihil quod artem, nihil quod scho„ lam vel minimum sapiat. Omnia plana ac facilia, non aliunde „ quam ex vulgi usu, & recepto sermone desumta. Similitudines, „ parabolæ, ex rebus obviis, ac veluti e trivio. Argumenta, ra„ tiocinationes, non quæ doctos solos afficiant, sed quarum vim „ vel rusticus atque idiota possit agnoscere. Quæ quidem omnia „ ita sapienter suis quæque locis aptantur, ut res vel maxime su„ blimes, ipsis quasi sensibus subjiciant. Verbo, si Deus hic lo„ quatur, patet illum hominibus loqui, & lingua filiorum hominis „ verba facere. *Thesi XXV. inquit*: Quæro igitur beato illo tem„ pore, quo in terris Christus versabatur, cœlestisque regni my„ steria tanta sapientia in lucem prodebat, ecquæ tunc vera Theo„ logia, imo ecquæ sola, quæ divinis Christi sermonibus atque „ factis continebatur? Atqui nos eandem habemus, si non ab ore „ dicentis fluentem, certe in tabulis evangelicis fideliter repræsen„ tatam. Quidni igitur ei adhæremus? Quidni ea contenti sumus? „ Quidni exemplo piorum illorum discipulorum atque mulierum, „ qui optimi procul dubio Theologiæ candidati erant, ad pedes „ Christi pie adsidemus, ejus dicta prona mente excipimus, iis ani„ mum pascimus, fidem instituimus, spem erigimus, ea denique „ non sermone tantum, sed & opere ipso exprimimus? Hinc pro„ fecto plus Theologiæ, quam ex omnibus Theologorum, cum „ veterum tum recentiorum commentariis acciperemus. *Denique* „ *sect XXIX. ut alia mittam, quæ apud ipsum cl. auctorem non sine*

„ *fructu legi possunt*, *hæc profert:* Enim vero quod multi dicunt,
„ ad veram Christi doctrinam noscendam, atque a falsis secernendam, alius quidem audiendam Ecclesiam, alius audiendos Romanos Pontifices, alius audienda Concilia, alius audiendos veteres Patres, alius audiendam Traditionem, alius audienda Theologorum orthodoxorum judicia (ut plurima jam omittamus, quæ in hanc materiam disputari possent, nec semel disputata sunt) notasse sufficiat, illos, qui sic statuunt, nodum, quod ajunt, in scirpo quærere; eoque per longas ambages, operososque circuitus contendere, quod juxta ipsos situm est. Ac sane, quod ad ipsos Christi sermones, illi certe ita plani sunt, ita faciles, ita populares, (saltem ad summam rerum quod attinet) ut eos vel rusticus atque infans possit intelligere. At vero ut sententia Patrum, Conciliorum, Romanorum Pontificum &c. tota denique Traditionis series animo concipiatur, id non sine immenso labore, infinitisque disquisitionibus, imo vero ne sic quidem obtineri pro certo potest. Igitur quid illi faciunt, qui sermonum Christi intelligentiam ab his judicibus pendere volunt? Idem faciunt (liceat dixisse) quod qui Genevâ Lugdunum iturus, non totam modo Europam & Asiam, sed & ultimas novi orbis plagas peragrandas existimaret, vel ut alio simili, magis ad rem accedente, utamur, perinde faciunt ac illi, qui Socratis disciplinam intellecturi, quæ tum apud Xenophontem, tum in quibusdam Platonis dialogis, clara satis ac expedita est, dicerent legenda ac intelligenda non modo Platonis & Aristotelis opera omnia, sed & universas platonicorum ac peripateticorum Philosophorum commentationes, quæ, ut notum est, tanto numero sunt, & multæ quidem tot spinis hirsutæ, ut iis terendis ac devorandis ne longissima quidem vita sufficiat. Haud aliter hic se res habet, dum Christi doctrina, plana per se ac facilis, ex immensa scriptorum sylva, ac per mille modos insolubiles exponenda pronuntiatur. Ita ὁ Μακαρίτης cl. Turrettinus.
„ *Juvat pariter ex dissertatione celeb.* Moshemii *unum vel alterum adduxisse locum. Pag.* 588. *dissertat, ad sanct. disciplinas pertinentium ait:* Dicam libere Auditores, quod sentio. Ita dudum animo meo persuasi, nulla ex re majus detrimentum cepisse civitatem Christi, nullam rem ei graviora vulnera inflixisse, nihil in præsentius eam discrimen adduxisse, quam id, quod sanctissimis Christi

„ mori-

„ moribus & institutis neglectis, aut pravis animi commotionibus
„ & proprii ingenii inventis, aut minus castis aliorum, in quibus
„ dignitas quædam erat, præceptis, Doctores quidam obsecuti sunt.
„ Circumferte quæso oculos, & ab ipsis rerum christianarum pri-
„ mordiis, quid actum sit cognoscite. Lustrate animo ingentem
„ eorum exercitum, qui fœdis & perversis dogmatibus pacem sacram
„ turbarunt: spectate Doctorum tristissimas dissensiones, populo-
„ rum ignorantiam, corruptionem dogmatum, quæstionum inuti-
„ lium innumerabilem pene multitudinem. Nisi nihil magis rei
„ sacræ commodis nocuisse ex his omnibus sentietis, quam disci-
„ plinæ Christi contemtionem, nil causæ dicam quin operam vobis
„ perdidisse videar. pag. 593. Divini illius Doctoris nullum extat
„ dogma, nullum monitum, quin ad officia Deo hominibusque
„ præstanda dux & auctor sit. Sublimia vere sunt, & ab ingenii
„ viribus, quæ natura hominibus insunt, quam maxime remota,
„ quæ Christus tradidit dogmata: at de eis tamen tam luculenter,
„ tam perspicue, tam apte disserit, ut piscator æque facile, ac Pon-
„ tifex Maximus, mentem ejus capiat: nunquam curiosas movet
„ quæstiones & parum profuturas: nunquam, quod facile potuisset,
„ auditorum animos subtilioribus disquisitionibus fatigat, quin
„ nunquam vel ipsos adversarios, qui in primis tamen arguti sibi
„ videbantur, inanibus interrogatiunculis coercet, verum iis con-
„ troversiis ad modestiam excitare studet, quarum per se patet uti-
„ litas. *Et paucis interjectis*: Deum nobis S. Soter noster adum-
„ bravit, non tam ut in se est, infinitum, immensum, nullis tem-
„ porum aut locorum spatiis circumscriptum, simplicissimum, omnis
„ concretionis expertem, quam ut justum, misericordem, clemen-
„ tissimum, humani generis studiosissimum, peccatorum vindicem,
„ brevibus, ut talem, qualis ratione mortalium est. Rationem quæ-
„ ritis? Noverat debilitatam hominum aciem: noverat eorum in
„ secretiora quævis penetrandi missis utilioribus desiderium: nove-
„ rat denique vel minimam ejusmodi rerum particulam æternis rixis
„ & contentionibus fomitem suppeditaturam esse. Quare pruden-
„ tissimus ea tantum, quæ sine salutis dispendio ignorari nequeunt,
„ aperuit, reliqua ad ea tempora distulit, quæ perenni lumine, quic-
„ quid nebularum humanis animis circumfusum est, dissipabunt.
„ Pari ratione in ceteris dogmatibus tradendis versatus est divinus

„ Magi-

„ Magister: res ipsas dilucide exposuit, de interioribus earum rationibus nihil præcepit. Sufficit id nobis, qui in hac caligine degimus, nec unquam, quicquid etiam nitamur, intimam rerum naturam animo complectemur. Animam immortalem esse docuit: non quemadmodum exoriatur, aut qua ratione res objectas percipiat, edisseruit. Cœlum beatorum omnium purissimarum voluptatum sedem esse dixit; de loco ejus, de lætitiæ indole, de aliis rebus pauca docuit. Scilicet ubivis necessariorum & utilium rationem habuit; a reliquis, quibus omnino intelligendis humanum ingenium non sufficit, consulto abstinuit, ne Religio non omnibus, sed acutioribus tantum præscripta videretur. *Denique pag. 602. ita disserit præclarus vir:* Nondum hinc ad beatorum sedes abierant divini viri, quibus ipse Dominus cœlestem veritatem instillaverat, quum jam variis modis novarum rerum avidi sanctam illam simplicitatem inquinarent, & scientia seu cognitione perperam ita dicta multis ad summam amentiam duces sese præberent. Quibus licet, dum viverent, acriter resisterent divinitus eruditi homines, id quod eorum epistolæ passim testantur, & ad Christi exemplum cuncta revocare studerent, eis tamen in cœlum sublatis, pestilentior longe scabies divinum gregem afflixit. Alii, non ut Christi discipuli, sed ut sapientes & a Platonis & aliorum Philosophorum decretis non nimis alieni viderentur, enixe elaborabant. Quis unquam fore credidisset, ut cœlestis doctrinæ magister, & æternæ salutis præco testimonium ab errorum & nugarum præceptoribus petere cogeretur? Et id factum tamen est: ita ut jam Tertullianus stoicum, platonicum, & dialecticum Christianismum prolatum esse conquereretur. Alii curiosis quæstiunculis, de quibus prorsus Servator tacuerat, suam subtilitatem, aliorum tarditatem & stuporem orbi patefacere conabantur. Alii vocabulis, ex Philosophorum & Jureconsultorum scholis haustis, ita sanctas veritates vestiebant, ut mysteriis Gentium non dissimiles viderentur. Præclarum scilicet erat, quæ a nullius oculis Servator remota esse voluerat, de medio tollere, & quam ille ex puteo extraxerat & sordibus liberaverat veritatem, iterum demergere. Alii more a Stoicis sumto, qui Deorum res gestas ad verbum interpretandas esse negabant, ex simplicissimis narrationibus arcanum cruere sensum studebant. Alii, si quem ingenio & eloquentia præ

„ reliquis

„ reliquis excellere videbant, eum, spreta divina Christi auctoritate,
„ ducem sibi & mystagogum deligebant, atque sic cum virtutibus
„ vitia & errores ejus adoptabant. Magistrum porrige! Cyprianus,
„ vir alioquin meritissimus, dixisse fertur, quum se ad commen-
„ tandum accingeret: At quem putatis hunc magistrum fuisse? num
„ Christum? num Paulum? num Petrum? Tertullianus erat, homo
„ tristis & severus, ex Jurisconsultorum vocabulis totus composi-
„ tus, tam præterea obscurus, dicam an ingeniosus, ut vel Oedipo
„ negotium facesseret. Neque vero is solus eo animo erat, verum
„ longe plurimi; quibus idcirco id tribuendum est, ut tam cito fere
„ sancta veritas corrumperetur, quam per orbem disseminata erat.
„ *Ita celebris ille vir.*

In censum eorum qui piam & circumspectam simplicitatem theologicam commendant, etiam referendi sunt pii & pacifici Theologi, qui de resarcienda inter Protestantes unione quammaxime sunt solliciti. Hi enim dum ostendunt, Protestantes in scitu necessariis convenire, levioresque esse controversos articulos, quam ut propterea vinculum pacis sacræ rumpatur, eo ipso docent, similium controversiarum & articulorum similem esse rationem, atque necesse esse, ut cordati Theologi ea potissimum urgeant, quæ gravia, momentosa, & cum certissima spe vitæ æternæ conjuncta sint, cætera minore fervore esse tractanda & insinuanda vel prorsus mittenda. * Imo ipsi inter Gentiles sapientiores insinuabant, ea, quæ scitu essent quam maxime necessaria, ante omnia esse commendanda; tenendum esse in sapientiæ studio modum; inutiles & parum profuturas quæstiunculas & logomachias esse evitandas. Juvat quædam adduxisse de hoc argumento loca. Ita *Socrates* apud *Platonem*, *in Apologia* pag. 12. ita de se loquitur: ὐδεν ἀλλο πραττων ἐγω περιερχομαι ἡ πειθων ὑμων και νεωτερυς και πρεσβυτερυς μητε σωματων ἐπιμελεισθαι μητε χρηματων προτερων, μητε ἀλλυ τινος ὑτο σφοδρα, ὡς της ψυχης ὁπος ὡς ἀριστη ἐσαι. Λεγων ὁτι ὐκ ἐκ χρηματων ἡ ἀρετη γινεται, ἀλλ ἐξ ἀρετης χρηματα και τἀλλα ἀγαθα τοις ἀνθρωποις ἁπαντα και ἰδια και δημοσια. *Xenophon de dictis & factis Socratis* ita de eo inter alia pronuntiat, pag. m. 442.

* Data opera de docta in Theologia simplicitate egerunt duo præstantes Theologi, Oporinus & Lutkemannus, quorum dissertationes evolvere, & cum nostris conferre possunt S. Litterarum studiosi.

οὐδεις δε πωποτε Σωκρατους οὐδεν ἀσεβες, οὐδε ἀνοσιον, οὐτε πραττοντος εἰδεν, οὐδε λεγοντος ἠκουσεν? οὐ γαρ περι της των παντων φυσεως, ὑπερτον ἀλλων οἱ πλειστοι διελεγετο, σκοπων, ὁπως ὁν καλουμενος ὑπο των σοφιστων κοσμος ἐφυ, και τισιν ἀναγκαις ἑκαστα γινεται των οὐρανιων. &c. ex versione *Card. Bessarionis; Nemo unquam nec vidit Socratem facientem, nec dicentem audivit superstitiosum aut impium quicquam, non enim de rerum omnium natura, ut quam plurimi alii disputabat; nec quemadmodum a sophisticis mundus vocatur, ortus sit, & quibus necessitatibus singula fiant cœlestium, ille considerabat.* Et paucis interjectis: Ἀυτος περι των ἀνθρωπειων ἀει διελεγετο σκοπων, τι εὐσεβες, τι ἀσεβες, τι καλον, τι αισχρον, τι δικαιον, τι ἀδικον, τι σωφροσυνη, τι μανια, τι ἀνδρεια, τι δειλια, τι πολις, τι πολιτικος, τι ἀρχη ἀνθρωπων, τι ἀρχικος των ἀνθρωπων, και περι των ἀλλων, ἁ τους μεν εἰδοτας ἡγειτο καλους και ἀγαθους εἰναι, τους δε ἀγνουντας ἀνδραποδωδεις ἀν δικαιως κεκλησθαι, &c. *Ipse de humanis semper rebus disputabat, considerans, quid pium, quidve impium sit, quid honestum, quid turpe, quid justum, quid injustum, quid sobrietas, quid insania, quid fortitudo, quid formido, quid civitas, quid civilis, quid hominibus dominari, quid qui hominibus præsit, ac de cæteris hujusmodi, quæ si qui scirent, bonos & honestos eos esse viros putabat: mancipia vero juste appellari debere illos, qui ea ignorarent.* Præclarus est locus *Arriani* in quo ostendit, quid homini sapienti, & mortem frequenter meditanti, in hac potissimum vita sit præstandum. Extat is Lib. 10. pag. 416. *Edit. Cantabrig:* ut brevitati studeam verba juxta versionem latinam H. Wolfii adferam. *Cum omnino moriendum sit, inquit, necesse est, te aliquid agentem deprehendi: sive agros colas, sive fodias, sive mercatorem agas, sive consulatum geras. Qua ergo actione occupatus vis a morte deprehendi? Equidem quod ad me attinet, opere aliquo humano occupatus: cujusmodi est beneficentia, publica utilitas, magnanimitas. Si vero tantis in rebus deprehendi non possum, illud certe prohiberi nequit, illud conceditur, ut me ipsum emendem, ut expoliam facultatem utentem visis, ut perturbationum vacuitati studeam, ut affectionibus tantum indulgeam quatenus par est: si adeo felix fuero, & tertium etiam locum attingam de securitate judiciorum. Si me his occupatum mors occupaverit, satis mihi erit ad Deum posse manibus extensis dicere: Quas facultates a te accepi, ad intelligendum gubernationem tuam, eique obtemperandum, eas non neglexi; non dedecori tibi fui, quantum in me fuit. Ecce quomodo usus sum sensibus?*

bus? quomodo anticipationibus? num te unquam incusavi? num quid eorum, quæ evenerunt, ægre tuli, aut aliter fieri volui? num affectiones violavi? quia me genuisti gratiam tibi habeo: iis rebus, quas dedisti mihi, usus sum quoad voluisti, hoc mihi satis est: recipe eas, & ubicunque volueris collocato, tua enim fuerunt omnia, tu mihi ea dedisti. Non satis est sic affectum existere? quæ vita præstantior & honestior est quam sic affecta? quæ mors felicior?

M. Antoninus *Philosophus* pluribus in locis sapienter de hoc argumento disserit: unum, qui huc spectat, adducemus locum, qui extat Lib. VII. Sect. 66. Sonat autem secundum versionem *Gatakeri* ita. *Unde constat nobis, Socratem clara fuisse reliquisque præstantiore indole? neque enim hoc sufficit, quod mortem gloriosissime oppetebat, aut quod cum Sophistis acutissime disserebat; aut quod Salaminium illum sistere jussus, resistere generosissime malebat; verum illud considerare oportet, quomodo affectam animam habuerit Socrates; utrum hoc contentus agere poterat, quod in rebus humanis justus, in divinis pius existeret, nec malitiæ cujusquam frustra indignatus, nec cujusquam inscitiæ adsentatus, nec ab universo adsignatum quicquam, aut tanquam peregrinum quid excipiens, aut tanquam intolerandum sustinens, nec carunculæ* (in græco est σαρκιδίῳ) *adfectionibus mentem passus coadfici.*

Multa de hoc argumento præclara habet etiam inter Latinos M. T. *Cicero*. duo tantum adducimus loca. Lib. I. de off. cap. VI. agens de scientiarum studiis, ita loquitur: *In hoc genere & naturali, & honesto, duo vitia vitanda sunt: unum, ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temere adsentiamus. Quod vitium effugere qui volet, (omnes autem velle debent) adhibebit ad considerandas res & tempus, & diligentiam. Alterum est vitium, quod quidam nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias: quibus vitiis declinatis, quod in rebus honestis & cognitione dignis operæ curæque ponetur, id jure laudabitur.* Et de *finibus* Lib. V. cap. 18. *Omnia scire, cujuscunque modi sint, cupere curiosorum: duci vero majorum rerum contemplatione ad cupiditatem scientiæ, summorum virorum est putandum.* *Seneca* Epist. 95. ita scribit: *Antiqua sapientia nihil aliud quam facienda & vitanda præcepit, & tunc longe meliores erant viri: postquam docti prodierunt, boni desunt: simplex enim illa & aperta virtus, in obscuram & solertem*

lertem scientiam versa est, docemurque disputare, non vivere. Stoici olim disputabant inter se vehementer, an cum sapientia bonum sit, etiam sapere bonum sit: de horum hominum logomachia ipse *Seneca Stoicus* ita respondit: *Obsecro vos, cur tam necessariam curam majoribus melioribusque debitam, in re nescio an ficta, certe inutili, terimus? Quid mihi profuturum est scire, an aliud sit sapientia, aliud sapere? Quid mihi profuturum est scire, illud bonum esse, hoc non esse? temere me geram, subibo hujus voti aleam: tibi sapientia, mihi sapere contingat: pares erimus. Potius id age, ut mihi viam monstres, qua ad illud perveniam. Dic mihi quid vitare debeam, quid appetere. Hæc est sapientia, hoc est sapere, non disputatiunculis inanibus subtilitatem vanissimam agitare. Tot quæstiones tibi fortuna posuit: nondum illas solvisti, jam cavillaris. Quam stultum est, cum signum pugnæ acceperis, ventilare? Remove ista lusoria arma, decretoriis opus est.* Epist. 117. Quam vero sapientis animus oporteat esse alienus a quæstionibus inutilibus cognoscendis, vel propugnandis, vel impugnandis, passim in his ipsis ostendit epistolis, multa eruditione & prudentia refertis. Epist. 88. inter alia inquit: *Quamcunque partem rerum humanarum divinarumque comprehenderis, ingenti copia quærendorum ac discendorum fatigaberis. Hæc tam multa, tam magna, ut habere possint liberum hospitium, supervacua ex animo tollenda sunt. Non dabit se in has angustias virtus. Laxum spatium res magna desiderat, expellantur omnia: totum pectus illi vacet. At enim delectat artium notitia multarum; tantum igitur ex illis retineamus, quantum est necessarium. An tu existimas reprehendendum, qui supervacua usu sibi comparat, & pretiosarum rerum pompam in domo explicat? non putas eum, qui occupatus est in supervacua litterarum suppellectile? plus scire velle quam sit satis, intemperantiæ genus est. Quid, quod ista liberalium artium consectatio,* (hæc possis facile applicare quæstionibus theologicis de rebus nullius momenti) *molestos, verbosos, intempestivos, sibi placentes facit, & ideo non discentes necessaria, quia supervacua didicerunt. Quatuor librorum millia Didymus grammaticus scripsit: miser, si tam multa supervacua legisset. In his libris de Patria Homeri quæritur; in his an Sappho publica* fuerit; & alia, quæ erant dediscenda, si scires, &c. Mitto aliorum plurimorum de vera sapientiæ cultura egregia dicta.

IV.

IV.

Antequam ad ſimplicitatem illam theologicam definiundam & explicandam progredimur, de teſtimoniis virorum præſtantiſſimorum, (excipio teſtimonia Gentilium, jamjam adducta) quæ in medium protulimus, aliquid monendum exiſtumamus, ne malam ea in partem rapiantur. Primo loco allata virorum doctiſſimorum teſtimonia id innuere videntur, nimirum, ad obtinendam illam ſimplicitatem theologicam & ad tot controverſias evitandas opus eſſe, ut cum Scriptura S. antiquiſſimorum Patrum ſcripta conjungantur. Aliquid veri ineſt huic V. D. voto & deſiderio. At veri nominis ſimplicitatem theologicam, qualem in ſequentibus pluribus repræſentabimus, lectione antiquiſſimorum Patrum obtineri poſſe, vix ſibi perſuadebunt, qui *Irenæi, Juſtini M. Clementis Alexandrini*, *Tertulliani*, & *Origenis* ſcripta evolverunt. Tot enim in illis deprehenduntur a *ſimplicitate* Chriſti & Apoſtolorum abhorrentia dicta, tot explicationes Scripturæ contortæ, tot obſcuræ locutiones & philoſophicæ nugæ, ut multi recentiorum Theologorum, & S. Litterarum Interpretum, licet a temporibus, quibus vixerant Chriſtus & Apoſtoli, paulo longius ſint remoti, propius tamen ad ſimplicitatem illam apoſtolicam accedant. Et mature ſatis plures ex primis chriſtianæ diſciplinæ alumnis ab ea ſimplicitate receſſiſſe, vel ipſum teſtimonium V. *Moſhemii* a nobis allatum ſatis probat. Quod ſi vero viri docti hoc tantum velint, nimirum prima illa tempora eam ob cauſam fuiſſe feliciora, quod nimirum tum temporis tot quæſtiones criticæ, philoſophicæ, theologicæ, &c. nondum fuerint exortæ, quibus ingenia noſtræ ætatis hominum tam miſere divexantur, & quarum numerum vix inire poſſis, haud refragabimur. Pugnandum erat primis illis Doctoribus potiſſimum adverſus Paganos, & varii generis hæreticos, non vero adverſus omnium & minimarum & novarum opinionum duces. At vero tempori potius, quam ingenio humano, quod idem ſemper eſſe ſolet, tribuendum, quod tot novæ opiniones, quæ in otio & tempore pacis excogitari ſolent, tum temporis exortæ non fuerint; quanquam & nobis deſint illius ætatis ſcriptores, qui omnes ſingulares opiniones primorum Chriſtianorum in chartas conjecerunt. II. Quando viri docti volunt, ut Chriſtus ſolus tanquam infallibilis Doctor audiatur, hoc non ita eſt intelli-

Quid circa teſtimonia illa jamjam allata ſit obſervandum.

telligendum, ac si putent, vel Apostolorum doctrinam non pariter esse audiendam, vel recentiorum Doctorum scripta prorsus esse negligenda, aut denique controversiarum, quæ recentiori ætate ortæ sunt, nullam plane esse habendam rationem: hoc enim contrarium esset sententiæ præstantissimorum virorum, & consuetudini ab ipsismet usurpatæ. Ipsemet *Turretinus* in dissertatione de audiendo Christo huic malæ interpretationi occurrit, dicens pag. 421. seq. *Interim* (inquit) *ne quis calumnietur, eaque nobis affingat, a quibus sumus alienissimi, id monemus iterum iterumque, quod supra jam thes. III. atque alibi passim monuimus, scilicet, dum nos Christi sermones tantopere extollimus, non ideo tamen scripta apostolica, uti nec cæteros libros sacros, ullatenus postbaberi, aut excludi velle. Sed neque in iis, quæ disseruimus, animus nobis ullatenus fuit Scriptorum ecclesiasticorum, cum antiquorum tum recentium, laudi ac pretio quidquam detrahere. Multi sane* (*id lubenter agnoscimus*) *suo in genere præstantissimi sunt; neque inutilem christianæ doctrinæ tum exponendæ, tum illustrandæ, tum defendendæ operam dederunt. Verum parcant homines piissimi, doctissimi, clarissimi, si debitas iis laudes tribuendo, eos tamen Christo postponamus; Christumque, quem pro Duce ipsi agnoscunt, pro Duce etiam nostro & magistro unice sequamur. Postremo nec ea, quæ diximus, de natis circa doctrinam Christi controversiis, ita intelligenda sunt, quasi controversias omnes ignorari penitus vellemus. Utinam, utinam ignorari possent! utinam Religio, quæ doctrina est pacis, in belli tubam conversa non esset! utinam unica pugna, unica controversia, inter nos vigeret, nempe quis in Deo colendo, ejusque voluntate exequenda, promtior esset! At hoc statu, quo sunt res nostræ, velimus, nolimus, pugnandum est; neque ignorari controversiæ possunt, ab iis saltem, qui Religioni docendæ præficiuntur. Est hoc malum necessarium: est hic unus ex laboribus, una ex ærumnis, una ex crucibus, quas Deus dedit filiis hominum, ut in iis sese exerceant. Verum, ut jam diximus, ad eas tractandas, deque iis recte judicandum, abunde lucis atque præsidii apud Christum reperiemus. Etenim, si illæ ad Religionis fundamenta pertineant, dubium non est, quin principia omnia, ad eas intelligendas necessaria, tradiderit Christus; at si nihil de iis dicat, neque quidquam quod ad eas spectet, id manifesto indicio est, illas magni momenti non esse, adeoque ad Religionis fundamentum non pertinere.* Ita Μακαρίτης cl. *Turretinus*.

Ex

Ex quibus manifestum est, præclaros illos viros ita sentire, cum nimirum Christus & Apostoli omnia scitu, creditu, & factu necessaria, injunxerint, & infallibilitatis dono exornati fuerint, eos potissimum audiendos & consulendos: ubi, quid in Religione momentosum sit, quæritur, neque duces humanos esse sequendos, eorumque opiniones tanquam oracula amplectendas, nisi illæ auctoritate Christi & Apostolorum nitantur. III. Licet querelæ illæ virorum doctorum de multitudine novarum quæstionum & controversiarum vanæ non sint, sed verissimæ, illæ tamen supra modum urgendæ non sunt, quia ex variis fontibus oriuntur, quod ostendemus infra, ubi κατ' ἐξοχήν ostendemus, in quo illa simplicitas theologica posita non sit. Deinde cogitandum, inter omnium disciplinarum cultores, dari tales, qui aut veritatis inquirendæ studio, vel insolita & nova reperiundi aviditate, vel ambitione compulsi, novas excogitent hypotheses: quod si illæ levioris momenti sint, potius intactæ sunt mittendæ, quam magno fervore impugnandæ, aut prorsus silentio sunt involvendæ. At licet hæc regula æquissima sit, quis tamen impedire poterit, quo minus lites propterea excitentur? Varia sunt hominum ingenia: quod leve huic, alteri grave & momentosum videtur. Vota igitur doctorum virorum sunt moderanda, cum impossibile sit, ut per omnia certis cancellis controversiarum studia includi possint. IV. Licet Scriptura sacra unica credendorum norma, & ad Christum & Apostolos in rebus fidei recurrendum sit, hoc tamen non obstante impediri non potuit, quominus in interpretatione S. Litterarum, diversis ex causis, homines varios Religionis effinxerint articulos. Hi vero vel graviores sunt, vel minus momentosi. Minus gravium minor etiam est habenda ratio; & ubi controversiarum inter Christianos agitatarum numerus est ineundus, graves duntaxat sunt commemorandi, eorumque fontes detegendi. Ex quo deinde patebit, plerosque Christianos in gravissimis convenire, licet hinc inde errores veritati admisceant, vel quædam resecent, quæ fuissent servanda.

V.

Sed dispiciendum tandem, in quo illa *simplicitas theologica* consistat: ubi ante omnia notandum, vocem simplicitatis, ubi de virtute

Quid simplicitatis theologicæ

nomine intelligatur, exponitur. tute aliqua ſermo eſt, non idem denotare ac ſtuporem & ignorantiam, ſed notare aliquid, quod nihil alieni & nihil adulterati admixtum habet, quodque ſincerum eſt, quemadmodum vocem *ſimplex* puriſſima latinitatis ſcriptores ita ſumunt. Per ſimplicitatem igitur theologicam intelligimus, *ſincerum ſtudium* cœleſtes veritates a Chriſto & Apoſtolis prolatas & commendatas, ſine miſtura inventionum humanarum, perſpicuo ſermone aliis proponendi & commendandi; *ſtudium* levia a gravibus, momentoſa a minutis diſtinguendi; *ſtudium* inanes & nihil profuturas controverſias plane reſecandi; minoris momenti articulos ἱϛορίας duntaxat cauſa enarrandi; omnia ad pietatis & modeſtiæ regulas attemperandi, cunctiſque veritatibus, pro momento, quod habere poſſunt, juſtum adſcribendi pretium. Natura vero hujus virtutis ex iis, quæ ſequentur, melius adhuc pateſcet. Hæc ſimplicitas, duo, ut ex titulo diſſertationis conſtat, habet attributa, nimirum *prudentiam* & *pietatem*. *Prior* efficit, ut nihil eorum omittatur, quæ ad veritates maximi momenti rite explicandas, tuendas & defendendas facere poſſunt. Ex quo ſimul patet, hanc ſimplicitatem, doctrinam & eruditionem maſculam atque ſolidam non excludere, ſed potius depoſcere. Quo enim quis magis in arte cogitandi & ſtylo ſacro verſatus eſt; quo magis diſciplinas graviores perſpectas habet; quo accuratius Religionis chriſtianæ indolem cognoſcit, eo aptior eſt ad hanc ſimplicitatem rite introſpiciendam & aliis commendandam. *Hæc* prudentia nonſolum diſcernet grave a levi, ſed & docebit delectum facere argumentorum, quibus veritates theologicæ probari ſolent. *Hæc* monſtrabit viam & rationem, quando, ubi, & quomodo veritas ſine miſtura nonſolum falſi, ſed & inutilis tradenda ſit. *Pietas* vero efficit, ut Theologus ſimplicitatis illius amore correptus, nihil proferat, quod veritates in S. Litteris perſpicue traditas obſcurare vel lædere poſſit. *Hæc* rixandi de quibusvis, aliiſque inſultandi pruritum retrahit. *Hæc* docet quomodo omnia, quæ caſtæ Religionis commoda promovere non poſſunt, ſint reſecanda. *Hæc* evitare ſolerter jubet, quæ lites inter fratres reſpectu quarundam opinionum excitare poſſent. *Hæc* ſubtilioribus ratiocinationibus, ubi de myſteriis Evangelii agitur, modum ſtatuet. *Hæc* denique docebit, veritatem cœleſtem ita tradere, ita inſinuare, ita tueri, ut omnibus manifeſtum fiat, verum eſſe, quod Apoſtolus ait I. Timoth. III. 6.

III. 6. nimirum Religionem Chriſtianam univerſam ad pietatis ſtudium promovendum unice datam eſſe.

VI.

Cum vero non una ſit omnium de Religione ſententia, multique crepent, Religionem, quam ſequuntur, ſimpliciſſimam eſſe, κατ' ἀρτιν primo oſtendendum eſt, in quo ſimplicitas illa theologica non conſiſtat. Et *primo* quidem, ſub prætextu obtinendæ veræ ſimplicitatis in rebus divinis, *Deiſtæ*, inter Chriſtianos degentes, contendunt, Religionem altius in hominum animos penetraturam, & ſimpliciorem fore, ſi ea, quæ in Sacris Litteris intellectu ſunt vel impoſſibilia, vel creditu difficilia, plane omitterentur: in quem numerum referunt myſteria & miracula, & capita quædam Ethicæ chriſtianæ, ut illi putant, intricata & inintelligibilia, ſenſationibus potius internis, quam vero perſpicuis rationibus innixa. Hanc methodum veram ſimplicitatem theologicam obtinendi, ubique data opera commendarunt *Religionis eſſentialis*, uti appellatur, auctores. At hæc ſimplicitas neque cum *pietate*, neque cum *veritate*, neque cum *prudentia* conſiſtere poteſt. Non cum *pietate*: impium enim eſt, id quod a Chriſto & Apoſtolis tanquam præcipuum, & ad ſalutem cognitu neceſſarium inculcatum eſt, tollere velle. Ipſa myſteria in S. Litteris repræſentata, appellantur μυστηρια της ἐυσεβειας, 1. Timoth. III. 16. quomodo igitur ſalva pietate ea vel ſilentio involvere, vel prorſus inficiari poſſemus? Hæc jactata Deiſtarum ſimplicitas pugnat cum *veritate*; aliud enim eſt ſimpliciter adquieſcere in iis, quæ in S. Litteris de myſteriis narrantur, quod eſt hominis ſapientis; aliud vero rem in iiſdem perſpicue traditam negare, aut data opera alienum in ſenſum rapere; hoc non eſt ſimplicitatem, ſed nullis fundamentis ſuperſtructam interpretationem ſequi. Neque tandem cum *prudentia* hæc hominum iſtorum ſimplicitas conſiſtere poteſt: imprudentis eſt ea convellere velle, quæ totius ſyſtematis prima ſubruunt fundamenta. Et quid tandem eſſet dicendum de Apoſtolis, ſi ἀσυστατα loco veritatum momentoſiſſimarum hominibus inculcaſſent? qualem fidem habere poſſemus iis, qui miraculis longe plurimis Religionem firmatam perhibent, quæ tamen aut facta non ſint, aut neſcio quibus cauſis phyſicis tribuenda? Quod de ficta ſimplicitate *Deiſtarum* dixi, applicari etiam poteſt *Socinianis*.

Repræſentantur falſi de obtinenda ſimplicitate theologica methodi.

Hi putant ſe eſſe inter Chriſtianos prudentiſſimos , & propius accedere ad veram ſimplicitatem theologicam quam cæteros: at horum hominum Theologia nonſolum cum *veritate* & *pietate* pugnat, ſed & prudentiæ contraria eſt. Ut de veritate & pietate, quarum præcipua tollit fulcra, nil dicam, pugnat illa cum prudentiæ legibus, quandoquidem nonſolum chriſtianæ Religionis & veritatem miraculorum profitentur in ſuis ſcriptis, ſed & generales interpretationis leges admittunt, ſimul vero ubi deventum eſt ad ea, quæ rationis captum ſuperant, clariſſimis licet verbis expreſſa & commendata, frequentiſſime privas ſibi interpretationis regulas ſumunt, neque ſimplicem, ſed contortam viam articulos Religionis cognoſcendi, aliiſque commendandi quærunt. Non opus eſt, ut multis allatis exemplis rem probem, cum ſyſtema horum hominum eruditis ſatis ſit cognitum. Quid dicam de *Indifferentiſtis?* num poſſunt illi ſimplicitatem theologicam ſequi, qui nullis articulis Religionis firmo animi adſenſu ſubſcribunt, aut parati ſunt omni data occaſione eos, tanquam opiniones dubias & incertas rejicere, alioſque, ubi commodum eſt, arripere & defendere. Sunt inſuper, ſed alius plane generis homines, qui falſam imaginem ſimplicitatis theologicæ ſibi repræſentant, exiſtimantes, Religionem in pietatis ſtudio duntaxat poſitam eſſe, de articulis Religionis vero nos non oportere eſſe ſollicitos. Quod ſi homines illi hoc vellent, opiniones, quæ nil ad pietatis ſtudium faciunt, parum eſſe curandas, recte judicarent, eorumque ſententiam ex animo probarem. At cum hi homines, auditis tot controverſiis & litibus, quæ inter Chriſtianos agitantur, una cum levibus controverſiis, eorum etiam, quæ ſcitu ſunt neceſſaria & momentoſa, nullam vel exiguam plane habendam eſſe putent rationem, ex ſcylla in charybdin incidunt. Qualis enim poteſt eſſe pietas chriſtiana, ſine cognitione dogmatum, quæ a Chriſto & Apoſtolis tanquam primaria Chriſtianis ſunt tradita? Denique ſimplicitatem illam theologicam minime ſequuntur ita dicti *Myſtici* moderni, *Heerenhutenſes*, & omnis generis fanatici. Horum enim libelli tot portentoſis, arcanis, & e chemia aliquando petitis conſtant phraſibus, ut ne centeſimus quidem ſenſum earum eruere poſſit. Evolve quædam carmina *ill. Comitis de Zinzendorff*, vel diſcipulorum, conciones item, in quibus textus loco quædam cantica exhibentur, & ſenties, quam hæc nonſolum ſint a *ſimplicitate*

Chriſti

Christi & *Apostolorum* aliena, sed & talia, quæ Religionis hostibus materiam suppeditent, disciplinam christianam cavillandi. *

VII.

Simplicitatem illam theologicam Christus & Apostoli dictis & factis commendarunt.

Neque inventum mere humanum est, id quod de simplicitate illa theologica a nobis hactenus dictum est. Quamvis enim data opera de hoc argumento non egerint Christus & Apostoli, satis tamen ex Evangelistarum & Apostolorum scriptis patet, quid de eo senserint. Ostendamus hoc paucis. Simplicitas illa theologica deposcit, ut quæ prima & principalia sunt, potissimum urgeantur. Ita S. Soter noster sese cœlitus promissum Messiam esse, cum ex oraculis Vet. Testamenti, tum ex frequentissimis miraculis confirmavit. Ita quam operose probat 1. ad Cor. cap. XV. veritatem resurrectionis Jesu Christi Paulus. Quoties in suis epistolis ad crucem, id est mortem Jesu Christi, tanquam unicam reconciliationis nostræ cum Deo causam provocat?

* Hoc nonsolum nostra ætate sæpe factum esse testatur experientia, sed jam prioribus seculis adsunt testimonia satis sufficientia hujus rei. Inter veteres ORIGENEM potissimum mysticum & allegoricum dicendi genus adamasse notum: at vapulavit propterea doctissimo PORPHYRIO: vide EUSEBII hist. eccles. lib. VI. cap. 19. Neque Gentiles tantum eum hoc nomine perstrinxerunt, sed & inter christianos Doctores plurimi. Videatur SOCRATES hist. eccl. lib. VI. cap. XIII. conferatur HUETIUS in Origenianis. Quantum in universum Religioni & veræ pietati detrimentum adferat Theologia mystica, portentosis phrasibus fœta, egregie inter alios docuit ὁ Μακαρίτης ven. OSTERVVALDIUS, Source de la corruption, part. I. cap. II. At plures reperiuntur inter christianos Doctores mystici, quam vulgo putatur: de quo tamen argumento hic dicendi locus non est. Nos exclamamus cum ingeniosissimo DE LA MOTHE.

„ Jusqu'à quand bruyantes paroles,
„ Agencement de sons frivoles,
„ Seduirés vous tous les Esprits?
„ Pourquoi prodiguant son éstime,
„ Se hater de trouver sublime,
„ Ce qu'on n'a souvent compris?

At quis etiam hunc curabit morbum? Semper enim tales reperientur, qui, ut verbis ERASMI utar, tum demum sibi ingeniose dicere videntur, si ad eos intelligendos opus est ingenio.

Christus & Apostoli á curiosis quæstionibus, quæ nonnisi lites & contentiones parere possunt, nos revocant. Cum *Lucæ* cap. XIII. v. 23. 24. aliquis Soterem interrogat, utrum numerus eorum qui salventur magnus sit futurus nec ne, directe non respondit, sed quid homini de salute sua sollicito præstandum sit, monstravit, dicens: Ἀγωνιζεσθε εισελθειν δια της στενης πυλης. Hæc responsio minus ad gustum esset multorum hodiernorum Theologorum; sapientissima tamen est, & tanto Doctore dignissima, conf. Act. I. v. 6. 7. Apostoli inprimis auditoribus suis injungebant, ut curiosas quæstiones, ex quibus contentiones & lites oriri possent, evitarent. Ita cap. I. ad Timoth. I. v. 4-8. inquit Paulus. *Maneto Ephesi, ut quibusdam denuncies, ne aliam sequantur doctrinam, neve ad fabulas attendant, & antiquitates infinitas, quæ potius quæstiones pariunt, quam divinam in fide instructionem. Atqui præceptionum finis est charitas, ex animo puro, bonaque conscientia & fide non ficta proficiscens: a quibus aberrantes quidam in eam orationis vanitatem deflexerunt, ut velint esse legis doctores, cum nesciant quid dicant, neque de quibus affirment.* vers 6. occurrit vox ματαιολογια, qua occasione M. *Erasmus* in sui temporis Theologos fuse & eleganter invehitur. Excerpamus quædam ex Commentario ejus ad h. l. *Quantum, inquit, ad pronuntiationem attinet, ματαιολογια non multum abest a Theologia, cum res inter se plurimum discrepent. Proinde nobis quoque cavendum est, ne sic sectemur Theologiam, ut in mataeologiam incidamus, de frivolis nugis sine fine digladiantes: ea potius tractemus, quæ nos transforment in Christum & cælo dignos reddant. Quorsum enim attinet decertare, quot modis accipiatur peccatum, privatio duntaxat sit, an macula inhærens animæ? hoc potius agat Theologus, ut omnes horreant oderintque peccatum. Totis seculis disputamus, an gratia, qua nos diligit ac trahit, & qua nos illum vicissim diligimus, eadem sit gratia, & an sit aliquid creatum an increatum. Illud potius agamus, puris precibus, innocentia vitæ, piis factis, ut eo munere nos dignetur Deus. Digladiamur sine fine, quid distinguat Patrem a Filio, & utrumque, a Spirtu Sancto, res an relatio, & qui consistat tres dici, quorum nullus sit qui alius, cum sint una essentia. Quanto magis ad rem pertinet, hoc modis omnibus agere, ut Ternionem illum, cujus majestatem scrutari fas non est, pie sancteque colamus & adoremus, illiusque concordiam ineffabilem*

lem nostra concordia quoad licet exprimamus, quo contingat aliquando & in illius ascisci consortium. Disputamus qui fieri possit, ut ignis, quo cruciabuntur impiorum animæ, cum sit materialis, agat in rem incorpoream. Quanto magis referebat huc totis viribus eniti, ne quid in nobis reperiat ignis ille, qualis qualis est, quod exurat. Atque hæc, si vel animi laxandi gratia vel citra contentionem agitarentur, ferri poterant: nunc quibusdam tota ætas in ejusmodi quæstionibus consumitur, & res usque ad clamorem, usque ad vera dissidia, usque ad convitia nonnumquam, usque ad pugnas procedit. Quot quæstionum examina suscitamus, circa syntaxin, circa pœnitentiæ sacramentum, quorum nonnulla sunt ejusmodi, ut nec scire magnopere referat, & ut asseverari possunt, ita nec refelli nec probari? illud magis ad rem pertinebat in hoc incumbere, ad hoc nos invicem adhortari, ut vita Christo digna baptismi sacramento respondeamus, ut ad sacras illas epulas frequenter ac pure accedamus, ut non multum sit in vita, quod pœnitentiæ cauterio sit exurendum. Postquam dein multa exempla ineptarum, frivolarum, imo impiarum quæstiuncularum, inter Theologos scholasticos agitatarum, in medium protulisset, sic pergit: *Hujusmodi quæstiunculis serio occupantur quorundam Theologorum scholæ; his ætas rerum omnium fugacissima conteritur, cum pleraque ejus generis sint, ut doctius nesciantur quam sciantur, ut ridicule quærantur, temere definiantur. Breve tempus est, & arduum est negotium agere vere Christianum. Quin igitur omissis rebus supervacuis ea potissimum spectemus, quæ Christus nos scire voluit, quæ prodiderunt Apostoli, quæ proprie ad charitatem faciunt, de corde puro & conscientia bona & fide non ficta, quam unam Paulus appellat finem & perfectionem totius legis. Tempus in collecto est, inquit Paulus, & ingens agitur negotium: cur placent ista dispendia? Tradantur optima idque quantum licet compendiò: resecentur supervacanea. Quin illud potius agimus, quibus rebus transformemur in Christum. Id fiet, si meditemur pro viribus illius innocentiam, abstinentes ab omni flagitio; si quantum in nobis est æmulemur illius charitatem, de omnibus bene merentes; si imitemur patientiam, adeo non retaliantes injuriam, ut etiam pro maledictis rependamus benefacta.* Hactenus *Erasmus*. In eadem epistola Paulus Cap. VI. v. 3. 4. ostendit, quam insani sint, & quot mala excitent, qui sinceræ Christi & Apostolorum doctrinæ inanes quæstiunculas adjungunt. *Si quis*, inquit,

inquit, *diversam sequitur doctrinam, neque sanis Domini nostri Jesu Christi dictis pietatisque doctrinæ accedit, is inflatus nil intelligit, sed morbo circa quæstiones & verborum certamina laborat, ex quibus oritur invidia, jurgium, maledicta, & pravæ suspiciones.* Occasione vocis νοσων quæ in textu græco est, hæc affert *Erasmus. Apud Græcos, inquit, sæpius ad animum refertur ut νοσειν dicantur, qui desipiunt ac delirant*, hoc est *animi morbo laborant, quod verbum mire quadrat in istos sophisticos Theologos, qui contemtis iis, quæ necesse est discere, in stultissimis illis suis argutiis & nihili labyrinthis ætatem universam conterunt miseri. Quod tamen nolim ita dictum accipi, ut, quod nonnulli solent, in ordinis contumeliam detorqueatur, quod in paucos dicitur, honestissimo indignos ordine, perpetua frivolarum quæstionum scabie prurientes, neque prorsus aliud agentes per omnem vitam. Atque utinam Theologi sic temperent sua studia*, ut nulli sint, in quos hæc vere dici possint. Mala vero ex hoc morbo originem habentia, graphice describit Ο' Μακαριτης celeb. *Werenfelsius* de *logomachiis Eruditorum* cap. IV. ubi hunc ipsum Apostoli locum adducit. Hinc idem Apostolus Paulus 2. ad Corinth. cap. II. v. 7. taxat doctores quosdam, inter Corinthios degentes, qui opiniones suas cum disciplinæ christianæ puritate & simplicitate turpiter confuderunt; vocantur hi homines καπηλευοντες, cauponantes, voce translata a cauponibus & propolis, qui lucri capiendi causa merces suas dolose corrumpere solent: vocem hanc *Plato* in *Protogora* adhibet de sui temporis Sophistis, *οἱ τα μαθηματα περιαγοντες κατα τας πολεις και πωλουντες και καπηλευοντες.* pag. 284. Pariter Paulus I. ad Corinth. cap. III. v. 11-15. postquam docuisset, se verum fundamentum doctrinæ christianæ posuisse, mox addit, fuisse inter Corinthios Doctores, qui huic fundamento adjecerint aurum, argentum, lapides pretiosos, item lignum, stipulam &c. Per aurum & argentum &c. intelligunt Commentatores, veritates fidei claras, firmas & solidas, quæ huic fundamento, nempe Christo, superstruantur dignas: per lignum &c. ejusmodi doctrinas, quæ a doctrinis fidei fundamentalibus non quidem recedant, vanæ tamen, steriles, nulliusque ad animos vera cognitione sanctitateque implendos, usus aut momenti sint: unde patet, quam mature satis homines, a pia illa Christi & Apostolorum recesserint simplicitate. Atque huc referri possunt omnes illi Doctores, qui cerebri sui commenta & opinio-

nes cum veritatibus Religionis christianæ turpiter commiscent, simul tamen eas pro meris veritatibus cœlitus prolatis venditant, & magno fervore tuentur, ferre non valentes eos, qui aurum a scoriis separare solent. Mitto alia loca, quæ passim in Epistolis Apostolorum reperiuntur.

Inprimis autem notum est, Christum & Apostolos ante omnia id egisse, ut ostenderent, qualis vita debeat esse eorum, qui pro veris christianæ doctrinæ sectatoribus haberi velint. Quod Christum sanctissimum nostrum Soterem attinet, notissimum est, Eum omni data occasione veræ pietatis studium discipulis suis commendasse: vel sola illa incomparabilis, imo plane divina oratio in monte habita satis superque probat, qualis esse debeat genuinorum christianæ disciplinæ sectatorum Theologia. Scripta Apostolorum ejusmodi ad sectandam veram ante omnia pietatem adhortamentis plena sunt, adeo ut multorum locorum inductione opus non sit. Unus sufficiat locus Pauli Apostoli, qui extat in epist. ad *Romanos cap. XII. v.* 1. 2. Postquam enim in antecedentibus de variis egisset fidei christianæ dogmatibus, sequentem in modum colligit: *Quare cohortor vos fratres, per Dei misericordiam, ut præstetis corpora vestra hostiam viventem, sacram, acceptam Deo, qui vester sit cultus rationalis. Neve similes vos huic seculo præstate, sed mentis vestræ renovatione transfiguramini, ut, quod velit Deus, quod bonum, acceptum, perfectumque sit, id approbetis.* Christus S. noster Soter non omnes minutas Judæorum opiniones graviter taxavit, quasdam etiam sinistras discipulorum suorum animis infixas sententias ad tempus tulit, errores vero graves de regni sui natura, de justitia per legem & traditionibus obtinenda, hypocrisin inprimis Doctorum vehementer taxavit. Idem fecerant Apostoli: vide, ut brevis sim, *Cap. XIV. Epist. ad Romanos, cap. XV. v.* 1. 1. *Corinth. IX. Galat. V.* 13. 14 *seq. ad Ephes. IV.* 2. 3. 15. 31. 32. *Coloss. III.* 12. 13. *& alibi.* Mitto ea, quæ a celeb. Viris, *Turretino* & *Moshemio*, locis supra in medium prolatis, adducta sunt. Confer *Erasmi* supra citatum libellum, de *ratione, compendio perveniendi ad veram Theologiam; ubi argumentum hoc docte & erudite pro more urget.*

VIII.

VIII.

De simplicitate in stylo observanda quædam præmittuntur.

Antequam vero ulterius progredimur, atque ostendimus, quomodo in tradendis sanctioribus disciplinis simplicitati sit studendum, monendum est, aliam simplicitatem esse sectandam in *verbis* vel *stylo*, aliam in *rebus*. De priore argumento primo aliquid est dicendum, ubi simul tamen monemus, nos non omnia ea allaturos, quæ ad doctrinam de sermone pertinent; hæc enim apud Philosophos & artis dicendi magistros quæri debent. In genere primo quædam adferemus; ubi vero ad disciplinarum theologicarum nobiliores partes deventum erit, singillatim quædam erunt monenda. Primo igitur ad simplicitatem illam in sanctioribus disciplinis obtinendam requiritur *sermonis perspicuitas*, cujus ope nativam rerum divinarum indolem, quatenus earum id patitur natura, cognoscimus, & perspectam habere possumus. Cum, qualemcunque Doctor publicus, qui ad alios erudiendos animum adjicit, disciplinam tradere aggrediatur, operam navare debet, ut lectores & auditores dicta sua intelligant; quanto magis præstare hoc tenetur is, qui τα λογια τȣ Θεȣ exponere & voluntatem Numinis aliis patefacere vult? Ex confuso dicendi genere, ut in aliis disciplinis, sic in theologicis præprimis, innumeras logomachias, & erroneas & fanaticas opiniones exortas fuisse, nemo Eruditorum ignorat. II. Præter illam verborum & phrasium claritatem, adhibendæ semper sunt definitiones verborum, perspicuo sermone designatæ. Rursus enim quotidianis exemplis constat, ob minus accuratam dogmatis alicujus definitionem, ob verba vel laxiori vel strictiori sensu sumta, effici, ut homines vel in obscuris vocibus adquiescant, aut eas tanquam mathematicas veritates tueantur, itaque intumescant, si clariores longe substituantur; existimantes, res ipsas in dubium vocari, cum tamen de accuratiore definitione nominis duntaxat agatur. Notum est, quales controversiæ ortæ sint, occasione vocis *rationis* & *conscientiæ*, quæ, ut alias mittam, compositæ statim fuissent, imo ne quidem lis esset de iis exorta, si auctores in limine perspicuo sermone, quid vocibus illis intellectum vellent, explicuissent. III. Ad simplicitatem illam obtinendam requiritur, ut oratio docentium aut loquentium omnium ingeniis sit attemperata. Homines doctrina, ingenio & judicio inter se quammaxime diversi, cognoscere tamen

tamen tenentur id, quod in Religione fcitu factuque eft neceffarium. Ipfa igitur neceffitas poftulat, ut oratio, fi quidem ufum aliquem habere debeat, ita fit temperata & inflexa, ut omnes, etiam illi, qui imbecilliore funt ingenio, in medium prolata pulchre intelligant. Ex quo IV. fequitur, eos a fimplicitate illa recedere, qui in tradenda religione delectantur ftylo figurato, multis metaphoricis & myfticis phrafibus referto. Profecto, fi ad indolem hujus ftyli & capacitatem auditorum fuorum attendere vellent, fine prolixa meditatione deprehenderent, ejufmodi ftylum non omnium ingeniis effe attemperatum. Inde certe fieri folet, ut multi vel in vocibus non intellectis adquiefcant, vel in erroneas opiniones incidant, exiftimantes, non exiguam pietatis partem in eo fitam effe, fi ubi de Religionis negotio agitur, floridum quoddam dicendi genus ufurpare poffint. Optandum igitur effet ut nonfolum libelli, qui in manibus plebis funt, & in ejus ufum potiffimum fcripti, clariffimis & planiffimis verbis effent exarati, fed & ut Oratores facri omnes, firmiter fibi perfuaderent, orationem perfpicuam, planam, & captu facilem, commodiffimam effe, ad fcopum, quem intendunt, obtinendum. Sed nihil valebit hæc admonitio penes eos, qui artem cogitandi & loquendi inter ea referunt, quæ tuto ab Oratore ignorari poffint.

IX.

Agitur de ftylo biblico, & de demonftrativa theologiam tradendi methodo.

Dum de fermonis fimplicitate agimus, de *ftylo biblico* & de *methodo*, quam vocant *demonftrativa*, Theologiam docendi, aliquid monendum eft. Sunt viri docti & pii, qui fine dubio, optimo fine, frequenter ingeminant, in orationibus facris pariter ac in dogmatum explicatione fequendum effe *ftylum biblicum*. Huic judicio ego lubens fubfcriberem, fi mihi perfpectum fatis effet, quid ftyli biblici nomine intelligerent. Facile crediderim eos non velle, ut oratores hebraico vel græco idiomate, quo S. Litteræ fcriptæ funt, utantur, fed eos verfiones intelligere quibusvis nationibus vernaculas. At ex hoc nondum conftat, quo fenfu femper biblicus ftylus fit ufurpandus. Si exiftimant, ftylum biblicum ita fequendum, ut ab initio orationis ufque ad finem, non interrupta ferie, nonnifi phrafes S. Litterarum in verfionibus contentæ adhibeantur, tum aliquid

plane præpoſterum & inutile tuerentur: ita nonſolum omnes paraphraſes ſed & explicationes S. Litterarum redderentur inutiles. Quid enim agunt aliud, ſaltem agere tenentur omnes interpretes, quam ut phraſes & voces ſubſtituant ipſa verſione clariores ac notiores? Præterea hæc conſuetudo, nonniſi phraſibus in verſione contentis utendi, duo neceſſario ſecum ferret incommoda. Prius eſt, quod ita Orator cogeretur incredibili labore tot phraſes in verſione contentas congerere & conglomerare, ut non poſſet non oratio reddi obſcuriſſima. Ex quo poſterius neceſſario ſequeretur, nimirum longe maximam partem auditorum vel lectorum, Oratorem non intellecturos eſſe. Aut enim Oratores ſibi perſuadere debent, pleroſque auditorum ſuorum ſenſum in verbis verſionis latentem probe cognitum & perſpectum habere, aut contrarium. Quod ſi prius affirmant, tueri debent pleroſque auditores eſſe eruditos Theologos & Interpretes, quod tamen nulla cum ſpecie veri defendere poſſunt. Si contrarium placet, neceſſario ſequitur, voces & phraſes, ipſa verſione clariores uſurpandas, quod idem eſt ac ſi dicas, ſtylum biblicum ubique tuto adhiberi hoc ſenſu non poſſe. Atque hæc etiam cauſa eſt, cur eruditi interpretes, verſionibus ſuis adjiciant vel paraphraſes & commentarios, vel utrumque ſimul, in quibus ſenſus in verſione contentus magis claris exprimitur verbis. Quod ſi viri docti & pii, qui ſtylum biblicum commendent, hoc velint, nullos fidei articulos admittendos eſſe, niſi qui diſertis locis S. Litterarum, vel per evidentem conſequentiam ſecundum legitimam interpretationem probari poſſint, habent me prorſus conſentientem. Sed tum non amplius de *ſtylo* biblico, ſed de *ſenſu* rerum ſub verbis latentium agitur. Stylus nihil probat, ſed res vel argumenta, ſub verbis latentia. Hoc ſenſu quiſquis ſenſum, quem Spiritus S. intendit, rite eruit & capit, ſtylum biblicum ſequitur, licet diſerta verba verſionis non adhibeat. Reſtat, ut quando ſtylum biblicum ſequendum eſſe monent viri cordati, mentem ſuam ita interpretentur; nimirum orationem ſemper ita naturæ rerum in Sacris contentarum, quantum fieri poteſt, eſſe attemperandam: oportere verba eſſe gravia, tam ſanctis rebus digna, a neſcio quo tumore & longe conquiſito genere dicendi ab una parte aliena; neque ab altera tamen parte humi repentia, intricata, ſordida & temere a vulgo uſurpata: exempla,

com-

comparationes, intellectu faciles & a Scriptoribus sacris usurpatas, non esse temere silentio involvendas, sed addita perspicua paraphrasi lectoribus & auditoribus ingerendas: tum omnes circa hanc quæstionem convenient, & nemo hanc methodum, sive biblicam sive aliter appelles, vituperabit. Hæc paucis monere volui, quia experientia edoctus sum, non omnes studiosos Theologiæ, (quorum potissimum mihi ratio habenda) quando audiunt stylum biblicum commendari, statim, quid per eum intelligatur, comprehendere. Pergo ad alteram quæstionem, nimirum quid sentiendum putem, de methodo *scientifica* vel *demonstrativa*, qua plures hodie viri docti in tradendis sanctioribus disciplinis utuntur. Sententiam meam aperiam, sine cujusquam insectatione; perinde enim mihi est, quam quisque viam ineundam esse putet, ad veritates theologicas rite probandas & animis hominum insinuandas. Et primo quidem de titulo hujus methodi aliquid dicendum: vocant illam *scientificam*, aliquando vero *demonstrativam*. Quod si viri docti, qui eam in sanctioribus disciplinis adhibendam putant, hoc velint, nimirum dogmata Theologiæ theoreticæ & practicæ perspicuo ordine & nexu, quem *natura rerum deposcit*, ita inter se esse connectenda, ut quæ prima sunt fundamenti loco ponantur, sequentia ex antecedentibus eruantur, ut ita systema veritatum rite inter se coagmentatum concinnetur, nulla esset inter veri amantes de hoc argumento controversia; omnes enim omnium temporum viri docti ejusmodi methodum commendarunt. Manifestum vero est viros doctos, saltem quosdam ex hoc numero, per methodum *scientificam*, quam etiam *demonstrativam* appellant, aliud velle intellectum, atque eo nomine intelligere methodum *Mathematicis & Geometris* usurpatam, per quam res, per axiomata, definitiones, postulata, & demonstrationes probari solent. At quo minus hanc in tradendis sanctioribus disciplinis adhibendam putem, sequentibus inducor rationibus. Et (I) quidem, ut de Theologia naturali aliquid dicam, omnes concedent, neque naturam Dei, neque ejus attributa, neque divinæ providentiæ circa singula administrationem, *adæquate* cognosci posse. Hoc vero ad veri nominis demonstrationem, quam Mathematici usurpant, necessario requiritur. Hinc ipse *celeb. Clarkius in demonstratione existentiæ divinæ, ejus attributorum &c.* ubi ad caput V. deventum est, ita ratiocinatur. *Nous n'avons point d'idée* (scilicet

perfectam) *de la substance ou de l'essence de l'Etre, qui existe necessairement & par lui-même, & c'est une chose qu'il nous est absolument impossible de comprendre. Nous sommes bien assurés, que cet Etre existe actuellement, hors de nous: nous venons de le démontrer d'une manière à ne laisser aucun doute. Nous avons demontré aussi ce qu'il n'est pas, je veux dire, que le monde materiel n'est pas cet Etre en question, comme nos Athées modernes le pretendent. Jusques-là tout va de plain pied. Mais lorsqu'il s'agit de determiner ce qu'il est, par raport à son essence, nous demeurons courts, & c'est pour nous un mystére incomprehensible. Cela ne fait pourtant aucun tort à la certitude de la demonstration de son existence. Car autre chose est de savoir certainement qu'une chose existe, & autre chose de connoître en quoi consiste son essence*, Ita *Clarkius*, qui tamen pulchre cognovit leges demonstrationis mathematicæ. Non interim nego, principia ipsa Theologiæ naturalis, quatenus nobis perspecta sunt, & posse & debere naturali quadam & plana methodo tradi, quod a multis, & ab ipso etiam *Clarkio* factum est: vide Isaci *Barrovii*, summi Theologi & Mathematici, *prælectionum mathemat. caput IV.* in quo examinat, quare in aliis disciplinis raræ occurrant demonstrationes, quæ in mathematicis solæ adhibentur. * Quæritur igitur, ne in discepta-

(*) Afferamus quædam ex hoc capite huc facientia. Octo affert causas, cur in mathematicis disciplinis solis ea evidentia possit locum habere: non omnes autem, sed tantum unam vel alteram adducemus: prima quæ hoc capite IV. pag. 61. profertur, hæc est: „ Quod quas hæ scientiæ contemplantur res, animo clare concipimus, & earum distinctas ideas „ facile consequimur; eo quod simplicissimæ sint & communissimæ, „ maxime familiares nobis, sensibus expositæ, obviis exemplis conspicuo „ repræsentabiles, adeoque intellectu facillimæ. Nihil abstrusi, impliciti, insolentis ipsarum complectitur natura. Unde fit, ut de rebus „ tam evidenter & accurate perceptis non adeo difficile sit quædam demonstrare, quæ scilicet ideis istis cohærent, vel ab iis statim consequuntur. IIIa. Quod Mathematicis adeo peculiaris sit demonstratio, „ procedit inde, quod illi nulla adsumunt aut adhibent principia, vel „ axiomata, non universaliter vera; non induction perpetua comprobata, non communi suffragio concessa, non denique sua vi firma, sua „ luce conspicua, penitus αὐτοπιστα και αὐτοφανῆ, ita quidem, ut quæ ex „ his inferantur conclusiones, audientis rationem necessario constringant. VIIa. Hisce causis accenseri potest ordo, quo Mathematici suas „ materias pertractant, suas veritates indagant, suas propositiones disponunt, accuratus. Ratiocinium promovet amplius ille ordo, circa quem

disceptatione erremus, utrum methodus illa demonstrativa efficiat, ut propterea dogmata theologica omnia, tam evidenter & adæquate cognoscantur, ac ipsæ veritates mathematicæ. Hoc vero cum ne ipsi quidem viri docti, qui hac methodo utuntur, admittant, manifestum est, ope hujus methodi, res divinas proprie loquendo demonstrari non posse. *Secunda* ratio hæc est: Religionis christianæ veritas nititur quæstione facti. Factum, ut notum est, per testium qualitatem ac quantitatem probatur; at hic proprie dicta methodus geometrica adhiberi non potest. Hinc hanc demonstrationis indolem vocant eruditi *moralem*, quæ quidem, ubi ad summam, quæ in rebus facti haberi potest, evidentiam evecta est, assensum homini sapienti facile extorquet: at propterea tamen non eadem reperitur evidentia, quæ in numeris & figuris deprehenditur. Verum

„ præsertim observari potest, quod primas propositiones sua luce conspicuas, aliisque demonstrandis præstratas, sedulo congestas, prima sede collocare solent, sic exigente nostri discursus natura: proximo loco simpliciores statuunt propositiones, ab istis immediate deductas; tum illas quæ ab hisce proxime consequuntur, ac ita nusquam interrupta perpetua serie; sic ut a præcedentibus posteriora lucem pariter ac firmamentum accipiant, & catena quædam nectatur argumentationum nulla vi dissolubilis. Quo fit etiam, ut singulæ cujusvis propositionis a primis usque principiis propaginem derivare, ejus ab illis dependentiam & connexionem perspicere liceat, ejusque proinde veritatem infallibili quadam ratione dijudicare. VIIIa. Ultimo de Mathematicis observari potest, quod res tantummodo sibi compertas attingunt, ignotas & incertas prætereunt. Non profitentur omnia scire, nec affectant de omnibus dicere: quæ vera sciunt & invictis argumentis astruere queunt, ea proferunt & theorematibus includunt, de reliquis tacent, & abstinent sententiam, malentes inscitiam suam agnoscere, quam temere quidvis affirmare: nihil immiscent, aut inserunt argumentationibus vel assertionibus suis non planissime perspectum, & extremo cum rigore exploratum; conjecturas omnes probabiles & bellas argutias rejiciunt, authoritati nil deferunt, affectibus nequaquam indulgent, verborum illecebras detestantur, sententias suas efferunt, ut in Areopago ἄνευ πάθους καὶ προοιμίων. In reliquis, quas appellant scientiis, certis dubia, compertis præsumta, manifestis obscura, vera falsis promiscue confunduntur. Omnia proponunt sibi discutienda, explicanda, decidenda, juxta quæ sciunt, quæque ignorant; cum certas rationes afferre nequeunt, qualescunque conjecturas proferunt pulchris coloribus, divinant sæpius quam demonstrant; denique quasi de nostris causas agunt, quam possunt disertissime; & quæ probare nequeunt, student persuadere.

eſt doctiſſimos viros veritatem & divinam originem revelationis ponderoſis & accurato ordine inter ſe connexis argumentis probaſſe: at propterea non ſequitur, veritates ipſas tam evidenter & adæquate cognitas eſſe, ac ſunt notiones & veritates mathematicæ. III. In Religione chriſtiana occurrere myſteria, omnem ingenii humani capacitatem ſuperantia, quorumque adeo valde imperfectam habeamus cognitionem, in confeſſo eſt penes omnes cordatos. Ex quo ſatis patet, methodum ita appellatam demonſtrativam non efficere, ut res ipſæ propterea adæquate cognoſcantur: qualicunque quis in hoc argumento methodo utatur, credenda erunt myſteria non propter evidentiam rei, ſed propter revelantis Dei auctoritatem. In demonſtratione vero mathematica nil valet auctoritas, ſed omnia ſunt clara & evidentia, quia natura rerum ejuſmodi evidentiam admittit. IV. Dogmata Religionis chriſtianæ unice ex S. Scriptura, tanquam unica credendorum norma probari debent. Ad hoc vero præſtandum notitia ſtyli hebraici & græci opus eſt: quis vero neſcit, hinc inde occurrere loca obſcuriora, & interpretes ipſosmet vehementer inter ſe diſſidere? Fruſtra ergo in hoc argumento methodus demonſtrativa adhibetur. V. Denique experientia conſtat, Theologos diverſa ſequentes ſyſtemata, methodo illa ſcientifica uti. Ita quidam inter Reformatos pariter & Lutheranos Theologos, ſuos Religionis articulos probaturi, methodum adhibent ſcientificam, & tamen ut notum eſt in quibusdam diſſentiunt, diverſaque principia ponunt, & diverſas concluſiones exinde colligunt, quod fieri non poſſet, ſi ſola illa ſcientifica methodus ſufficeret, ad probandum, articulos illos ſua evidentia radiare, & propter methodum certos eſſe, atque extra omnem dubitationis aleam poſitos. Ita notum *Spinozam*, probaturum, totum hoc Univerſum Deum eſſe, methodo mathematica uſum, qui tamen loco I. Q. E. D. ſcribere debuiſſet, *id quod erat delirandum.* Quis neſcit *celeb. Heidelb. Theologum Lud. Fabricium*, *ſub perſona Jani Alexandri Ferrari Cænobitæ Auguſtiniani*, *ſcripſiſſe librum*, *cui titulus*: *Euclides Catholicus*, *ſive demonſtratio Romanæ fidei*, *ex primis*, *certis & evidentibus principiis*, *mathematica methodo & connexis continua ſerie propoſitionibus deducta*, *ad reverendiſſimos viros Adrianum & Petrum de Wallenburch.* At quis ſimul ignorat, præſtantiſſimum virum erudite & ſalſe Romanenſes perſtringere voluiſſe.

* Quantis

* Quantis ſcatet *Demonſtratio Evangelica* D. P. *Huetii* incertis opinionibus? Accedit hiſce argumentis, quod ego quidem hactenus non deprehenderim, in Theologia vel novos articulos fidei creditu neceſſarios ope hujus methodi detectos, aut difficultates quaſdam difficiliores, in hac diſciplina occurrentes, quales v. g. in materia de origine mali moralis & phyſici occurrunt, hac ratione fuiſſe ſublatas. Subtiliſſimi ingenii viri, & diſciplinarum mathematicarum peritiſſimi, v. gr. ill. *Leibnizius* in fine *Theodiceæ* fateri cogitur, quædam ad hoc argumentum ſpectantia demum nos perſpecturos, ubi æterna luce perfuſæ fuerint mentes noſtræ. *Ipſum autem βαϑος, inquit, in divinæ ſapientiæ theſauris vel in Deo abſcondito, & (quod eodem redit) in univerſali rerum harmonia latet, quæ fecit, ut hæc ſeries Univerſi, complexa eventus, quos miramur, judicia quæ adoramus, optima præferendaque omnibus a Deo judicaretur. Sed pars rerum præſtantiſſima Civitas Dei, ſpectaculum eſt, cujus ad pulchritudinem noſcendam aliquando demum illuſtrati divinæ gloriæ lumine propius admittemur. Nunc enim ſolis fidei oculis, id eſt divinæ perfectionis certiſſima fiducia attingi poteſt, ubi quanto magis, non tantum potentiam & ſapientiam, ſed & bonitatem ſupremæ Mentis exerceri intelligimus, eo magis incaleſcimus amore Dei, & ad imitationem quandam divinæ bonitatis juſtitiæque inflammamur.* Sed hæc ſufficiant.

Appen-

* Poſtquam hæc, quæ de methodo mathematica monui, jam prœlo tradidiſſem, incidi in cl. & eruditiſſimi WYTTENBACHII prælectionem inauguralem Tom. III. Theologiæ ſubjunctam, in qua poſtquam theſ. II. III. & IV. docuiſſet tradendam eſſe Theologiam per veritates diſtinctas, propoſitiones ſufficienter probatas, & concatenatas, ita colligit pag. 8. „ Tali jam modo in ſcientiis fit ac inſtituitur, ut per notiones „ diſtinctas, propoſitiones determinatas ac ſufficienter probatas, ſequen„ tes e prioribus facilioribus deducantur & ſic inter ſe connectantur; „ annon igitur & in Theologia fieri debet? ſi quis proinde ferre nollet „ Religionem vel Theologiam ſcientifice tractandam eſſe, largire id ipſi, „ dummodo admittat veritates Religionis e Scriptura probandas ac or„ dine naturali diſponendas eſſe. “ Ex quibus cl. viri verbis patet, per ſcientificam illam methodum non intelligi proprie ita appellatam Geometrarum ratiocinandi rationem.

Appendix
quarundam thesium theologicarum.

I. Religio in solis præceptis moralibus sita non est: etenim dantur summi momenti veritates, quæ additis minis ac promissis in N. T. inculcantur.

II. Controversiæ inter Protestantes agitatæ tanti non sunt momenti, ut propterea mutua tolerantia & pax turbanda sit.

III. Qui alios ob levem in Religione dissensum orco adjudicant, cavere debent, ne ipsi ob charitatis defectum a Deo damnentur.

IV. Ausim affirmare, majorem tam veterum hæresium, quam præsentium dissidiorum partem, in Ecclesia hinc præcipue natam fuisse & esse, quod Concilia, Episcopi, Doctores Ecclesiæ, nullo discrimine, quævis scholarum dogmata & cathedrarum placita pro articulis fidei catholicæ venditarunt, parique ad salutem necessitate credenda conscientiis imposuerunt; ex quavis vero interpretationis Scripturarum discrepantia, nimis facile hæreses vel schismata fecerunt. Ita ex vero pronuntiat clarissimi nominis Theologus *David Pareus* in *Irenico.*

V. Si omnes Theologi tantum studii impenderent, ad veram & masculam pietatem animis auditorum insinuandam, quantum operæ insumunt in refellendis omnibus minutis opinionibus; longe pulchrior, quam nunc est, Ecclesiæ christianæ facies esset.

VI. Qui dicunt Religionem a legislatoribus esse excogitatam, ut ejus ope humani generis societas stabiliatur atque conservetur, eodem jure affirmare poterunt, amorem, quo se liberosve suos naturæ instinctu unusquisque prosequitur, quin & ipsam rationem, sensusque nostros omnes, civilis prudentiæ inventum esse, quandoquidem Rerumpublicarum conditores, his omnibus non minus quam Religione ad scopum suum utuntur.

VII. Ridiculi sunt, qui dum Numinis æternitatem dubitant admittere, affirmant mundum ab æterno esse.

VIII. Qui sacram Scripturam hodiernæ Ecclesiæ non necessariam esse dicunt, vel auctoritatem ejus a suo testimonio suspendunt, vel eam absque suis additamentis imperfectam, vel absque sua explicatione obscuram, vel absque sua prædicatione inefficacem esse pertendunt: hi omnes jure se suspectos reddunt, quod non Christum prædicent, sed se ipsos.

MEDITATIONIS DE PIA ET CIRCUMSPECTA In tradendis sanctioribus disciplinis sectanda SIMPLICITATE.

Pars Secunda.

Sect. I.

IN prima Dissertatione de *sectanda in tradendis sanctioribus disciplinis simplicitate*, hoc potissimum egimus, ut generalia quædam monita in medium proferremus, quæ ad scopum, quem intendimus, facere posse videbantur. Ubi in antecessum monuimus, & adhuc monemus, (quoniam plerique Theologi irritabiles valde sunt) nos in controversiarum campum minime exspatiaturos, aut horum vel illorum inter Reformatos receptorum articulorum veritatem & gravitatem examinaturos, sed quid in iis, quæ traduntur, simplicitas theologica, nostra sententia, deposcat, expensuros, & quidem ea judicii æquitate, ut, quantum in nobis est, nemini, cui Religio cordi est, quique accuratiorem articulorum theologicorum notitiam habet, futuri simus molesti: relinquemus unicuique suam de horum vel illorum articulorum veritate, gravitate, vel levitate sentiendi libertatem, & hoc unum disquiremus, quid in his vel illis capitibus tractandis vel probandis, leges *simplicitatis* nostra sententia requirant. Hoc ideo denuo monendum esse existimavi, quoniam audivi, quosdam existumasse, me de horum vel illorum reformatæ Religionis articulorum *veritate* acturum, & sine necessitate aliis materiam disputationis serram reciprocandi suppeditaturum. Scopus hujus dissertationis ostenditur.

Profecto is ſcopus meus non eſt; a litibus, quantum id in mea poteſtate ſitum eſt, ſum alieniſſimus. Satis & plus quam ſatis expertus ſum, quid *odium theologicum* valeat, & quibus artibus tranquillitas mentis, hominis etiam pacis amantiſſimi, turbari poſſit pulchre ſcio. Hoc unum diſpiciam, ut, quid in his vel illis partibus diſciplinarum theologicarum, prouti eæ hodie tractari ſolent, mihi vel grave & momentoſum vel leve videatur, candide exponam. Poterit id mea opinione fieri ſalva diſſentientium amicitia, & tantis laudibus elata & celebrata *Orthodoxia*. Pro captu quiſque ſuo & peritia, quam inſtituto qualicunque examine de Religionis articulis adeptus eſt, vel ſe adeptum eſſe exiſtimat, de meis cautelis judicabit, modo id fiat placide, ſine ſiniſtris & malignis ſuſpicionibus. Meliora monſtranti vacivas ſemper præbiturus ſum aures. Cumque aliis licitum ſit, animorum ſuorum ſenſus, de his vel illis Religionis capitibus brevius vel prolixius exponere; nemo mihi vitio vertet, ſi pro ingenii mei mediocritate aperte & candide declarem, quid in his vel illis partibus theologiæ mihi leve vel momentoſum, adeoque *ſimplicitati* conveniens vel non conveniens eſſe videatur. Cum vero præcipua cura Theologorum & V. D. Miniſtrorum in eo poſita ſit, ut rudimenta veræ Religionis teneris infantibus & adultioribus etiam inſtillentur, de *catecheticis inſtitutionibus* in hac ſecunda argumenti parte agam. Et *primo* quidem de ipſa catecheticæ inſtitutionis neceſſitate verba faciam. II. Ne materia nimis ſit brevis & macilenta, de illius in *primitiva eccleſia tractandi ratione* agam. III. Tandem diſpiciam, qualis *ſimplicitas* in tradendis his inſtitutionibus ſit obſervanda.

II.

De neceſſitate catecheticæ inſtitutionis.

Valde neceſſarias eſſe inſtitutiones catecheticas, nemo facile dubitaverit, qui, cum ad naturam ingenii humani, tum ad præſtantiam religionis attenderit. Quemadmodum in omnibus artibus & diſciplinis quædam ponenda ſunt rudimenta; ita multo magis hoc præſtandum in rebus ad religionem ſpectantibus. Requirit hoc ipſa religionis natura. Nemo fidem habere poterit Evangelio, niſi idem perſuaſus ſit, veram & divinam eſſe religionem a Chriſto traditam. At ut hoc rite cognoſcatur, prima ipſius fundamenta ſunt

rite

rite ponenda, veraque tam excellentis religionis imago est repræsentanda: quo clarius, simplicius, & ad ætatem juvenilem magis est accommodata hæc institutio catechetica, eo magis etiam & profundius animis inhæret, & ita infantes pariter & provectioris ætatis juvenes, nonsolum capaces redduntur, ad cætera capita religionis rite intelligenda, sed & ad S. Litteras, ex quibus clarissima loca catechetæ desumunt, crescente ætate cum fructu legendas. Hac ratione insuper rite præparatur juventus ad conciones publicas, quæ frequenter in cœtibus Protestantium habentur, cum aliqua voluptate audiendas. Novi multas esse causas, quæ impediunt, quo minus tot mille conciones, quæ hinc inde habentur, tam exiguam vim in animos auditorum habeant, de quibus hic dicendi locus non est. Inter præcipuas tamen ego refero, quod plerique in tenera ætate obscuram valde & imperfectam religionis sunt consecuti notitiam. Imo sæpe factum esse novimus, ut multi auditorum, postquam in juventute perspicuos satis de præcipuis religionis articulis adepti sunt conceptus, auditis tot concionibus, ad auditorum captum minime accommodatis, eos sensim sensimque amiserint. Quicquid autem de eo sit, optandum esset, ut catecheticæ institutiones essent frequentiores, concionum vero minor copia. Solent quidam, & quidem optimo fine, conciones habere ad populum secundum seriem quæstionum catecheticarum: at quia schemate Oratoribus plerisque familiari institutæ sunt, non tantam vim habent in animos, quanta inest familiaribus colloquiis, per interrogationes & responsiones factis. Ne quis autem putet, me nimis severe de hoc argumento judicare, adducam quorundam virorum eruditione, pietate & ingenio præcellentium, testimonia, ex quibus constabit, eos dudum in hac, quam hic in medium propono, sententia fuisse. Doctissimus *Stakhouse* in opere egregio, nimirum in *Theologia theoretico-practica* ex cel. Theologorum Anglorum scriptis concinnata, vol. IV. pag. 507. ita de eo disserit. *Il n'est pas necessaire de rapporter un grand nombre de preuves, pour montrer à quel point cette matiere d'instruire est utile & necessaire; la chose parle d'elle-même, dit un de nos illustres Prélats*, (illustrem intelligit *Wake* olim *Archiepiscopum Cantuariensem*), *mais cette methode si prudente & si utile on la meprise, & on la néglige. Au lieu de ces instructions familiéres, si propres à dissiper l'ignorance, on a introduit un second*

 sermon

sermon pour l'après midi & établi une nouvelle espéce de Catéchistes, sous le titre de Lecteurs, & cela souvent, non pas tant pour l'avantage réel, qui peut en resulter, que pour contenter le caprice & la phantasie de ceux, qui doivent le payer. Je ne puis pas dire, continue ce judicieux Prélat, que cela est tout à fait contraire à nôtre constitution présente, parce que le dernier acte d'uniformité a toleré & a admis un pareil établissément; mais je suis sûr, que par là on a manifestement donné atteinte à nôtre ancienne constitution, qui ne connoissoit point cet ordre des personnes, & qui n'a point pourvû à leur subsistance; delà il est malheureusement arrivé, que le sermon de l'après-midi a fait entiérement disparoitre un exercice beaucoup melieur & plus utile, qui est celui de catéchiser; exercice, qui a pour lui les loix du Royaume, & les canons de l'Eglise, au lieu que celui, qui a pris sa place, n'a ni l'un ni l'autre. Mais c'est l'abus qu'il seroit aussi facile de réformer, que de désapprouver, si ceux, qui gouvernent l'Eglise, vouloient s'accorder à mettre en éxecution les Canons, qui obligent le Clergé à faire un catéchisme par semaine. Huic succedat ὁ Μακαρίτης cl. *P. Roques*, Pastor ecclesiæ gallicæ Basileensis antehac dignissimus. Hic cap. VIII. de *Pastore Evangelico*, inquirens in causas, cur ministerium evangelicum hodie tam exiguos fructus ferat, inter alia ait, numerum concionum majorem esse quam necesse sit, minorem vero institutionum catecheticarum quam vero id oporteret. Sed audiamus ipsum, pag. 501. inquit: „ Ce qui peut instruire le peuple, ce sont les catéchismes familiers, clairs, peu „ chargés, où l'on interroge, comme cela se pratique en divers „ endroits, non-seulement les enfans, mais aussi les personnes du „ commun, qu'il faut rendre, par là, attentives & zélées à s'instruire. On se trompe, quand on croit, que le peuple s'instruit „ beaucoup aux sermons. Il n'a ni l'attention, ni les lumiéres „ nécessaires pour cela. Pour suivre un discours lié, & d'une raisonnable longueur, il faut sans contredit de l'attention; il faut „ un esprit capable de s'appliquer. Or le menu peuple, peu accoûtumé à penser, n'est pas en état de suivre, & beaucoup moins „ de retenir ce qu'on lui prêche. Une pensée chasse l'autre, & „ dès que le prédicateur a fini son sermon, la plûpart des auditeurs ne savent plus ce qu'il a dit. Si le peuple manque d'attention suffisante, pour suivre un long discours, il manque aussi de

„ lumié-

„ lumiéres ; cela eſt conſtant. Pour entendre les ſermons, il faut „ être pour le moins mediocrement inſtruit de la Religion. Les „ ſermons ſont remplis de paſſages, qui, s'ils ne ſont pas familiers „ aux auditeurs, leur obſcurciſſent les diſcours: outre cela, on „ ſe ſert de termes, qui ne ſont pas connus au peuple, & qu'il „ entend mille fois prononcer, ſans y ajouter aucune idée, ou à „ moins une idée juſte. Je ne parle même que des ſermons les plus „ populaires, car s'il s'agiſſoit de ces ſermons faits pour la parade, „ où la matière elle-même eſt difficile, les preuves metaphyſiques, „ & le tour recherché, je dirai que le peuple eſt au ſermon com„ me au milieu d'un bois touffu, où il n'apperçoit la lumière, „ qu'à travers l'épaiſſeur du feuillage. Que l'on prenne la peine „ d'en faire l'epreuve, & l'on verra, que le peuple n'entend pas „ la meilleure partie des termes, dont on ſe ſert dans les diſcours „ publics ; que l'Ecriture ne lui eſt point familière, & beaucoup „ moins le ſens des paſſages. Et comment pourroit-il ſavoir le ſens „ de l'Ecriture, & quelles idées on ajoute à tels termes de l'art, „ qui entrent dans les ſermons les moins ſcholaſtiques, puis qu'il y „ a des Miniſtres, qui prèchent des années entieres ſur quelques „ verſets detachés de l'Ecriture, & ſans qu'ils definiſſent preſque „ jamais les termes ſcientifiques, dont il ſe ſervent? Les Catéchiſ„ mes remédieroient à ces inconveniens, ſi l'on leur joignoit des „ paraphraſes de l'Ecriture Sainte. Par le moyen des Catéchiſmes, „ qui devroient ſe faire ſuivant l'âge & la capacité de ceux qu'on „ auroit à inſtruire, on donneroit des idées claires & preciſes des „ matières & des termes, qui entrent dans les ſermons. Par le „ moyen des paraphraſes, on donneroit lieu à apprendre l'Ecriture „ & à en ſavoir le ſens. De cette maniére enſuite, les ſermons, „ qui devroient être établis pour preſſer fortement quelque devoir, „ ou pour faire reflèchir ſur quelque circonſtance particuliére, ſe„ roient écoutés, compris & retenus. On écoute avec plaiſir ce „ qu'on entend ; on retient aiſément ce qu'on a compris ; & la „ conduite ſuit les verités, qu'on a fortement dans l'eſprit. On „ voit donc par là, que les ſermons devroient être moins fréquens „ que les Catéchiſmes, & que les paraphraſes ; on voit de même, „ que ces derniers exercices ſont des préparations néceſſaires, „ pour profiter des diſcours ſuivis & oratoires. En vain, dira-t-on,

„ que les sermons, lorsqu'ils seront clairs & populaires, remédieront à l'ignorance du peuple. On se trompe, & c'est la même chose, que si l'on disoit, qu'un Mathematicien clair & précis pourroit enseigner les Mathematiques, en supposant dans ses leçons la connoissance des termes, & des definitions, de même que des premiéres demonstrations, & sans jamais interroger ses disciples. Dans toutes les sciences on commence par les premiers principes. On tâche de les rendre familiers à ceux, qu'on veut instruire. Il n'y a que la Religion, où l'on n'observe pas cette méthode: aussi voit-on peu de gens, qui ayant vieilli à ouïr des sermons, sachent rendre raison de leur foi; Que dis-je? Ils savent à peine autant de Religion, qu'on pourroit en apprendre dans quelques semaines, si l'on s'y prenoit comme il faut. Hactenus sapiens ille & cordatus *vir*. Tertio tandem loco adjiciam ea, quæ vir pius, & in hoc argumenti genere versatissimus, de hac materia disseruit, nimirum ὁ Μακαρίτης J. F. *Ostervaldius*, in notissimo & bonæ frugis plenissimo libello, cujus titulus: *Source de la corruption* &c. parte II. cap. III. ita inter alia vir venerandus loquitur: *Les matières, que l'on traite dans les sermons, sont ou de doctrine ou de morale - - . Ceux qui prêchent l'Evangile n'instruisent pas assés le peuple des doctrines fondamentales, & des devoirs de la Religion; & comme les catéchismes sont proprement destinés à l'explications de ces vérités, & de ces devoirs, j'estime que l'ignorance & la corruption viennent principalement de ce, que dans la plus grande partie des Eglises les choses ne sont pas bien réglées à l'égard des catéchismes. Il n'y en a pas un nombre suffisant, & ils ne sont pas autant propres à instruire, qu'ils devroient l'être. Les catéchismes d'ailleurs sont presque négligés & même méprisés. On est dans ce préjugé, qu'ils ne sont établis, que pour les enfans & pour les gens de basse condition: La fonction de Catéchiste, qui étoit autrefois si considérable dans l'Eglise, est aujourd'hui regardée comme une fonction peu importante; & on la confie d'ordinaire aux personnes, qui ont le moins de lumiéres & d'expérience. Ce sont là des défauts, auxquels il seroit nécessaire de remédier. Un des établissemens les plus avantageux, que l'on pût faire dans les Eglises, ce seroit d'augmenter le nombre des catéchismes & de les mettre dans la place d'une partie des sermons.* Ex hisce præstantissimorum virorum testimoniis patet satis, quid cum

de

de *necessitate* catecheticarum institutionum, tum de *frequentiore* horum exercitiorum *usu* senserint.

III.

Juvat elucidationis causa, in originem laudabilis consuetudinis inquirere, ita tamen, ut data opera de fatis institutionum harum minime futuri simus solliciti. In genere de hoc argumento loquendum ubi est, non dubitandum, quin viri sancti & pietatis amore incensi, per omnes V. T. œconomias, sedulo operam dederint, ut pro rerum divinarum cognitionis modulo, aut ipsimet liberis elementa prima religionis instillarent, aut per alios id præstari curaverint. Hocque eo magis necessarium erat, quia religionis cognitio sub veteri œconomia obscuritate quadam erat involuta, respectu habito ad pleniorem Evangelii lucem. De his vero data opera agere non constituimus. Videatur cl. Theologi *J. Altingii Heptas VI. Dissertat.! Num. I. de capitibus catecheticis religionis christianæ pro Catechumenis Hebræorum* adultis, quæ extat *tomo V. operum pag.* 158. seqq. Plerique, qui in antiquitatem institutionum catecheticarum inquirunt, vestigia earum reperire sibi videntur in ipso novo Testamento, in specie vero in locis I. *ad Corinth. Epist. cap. III. v.* 2. ubi Apostolus ait; γάλα ὑμας ἐπότισα και ȣ̓ βρωμα. ad *Hebr. cap. V. v.* 12. 13. 14. ubi Apostolus ait. και γαρ ὀφείλοντες ἐιναι διδασκαλοι δια τον χρονον, παλιν χρειαν ἐχετε τȣ διδασκειν υμᾶς τινα τὰ στοιχεια της ἀρχης των λογιων τȣ Θȣ και γεγονατε χρείαν ἐχοντες γαλακτος, και ȣ̓ στερεης τροφης. Πᾶς γαρ ὁ μετεχων γαλακτος, ἄπειρος λογȣ δικαιοσυνης; (νήπιος γάρ ἐστι). Τελείων δε εστιν ἡ στερεὰ τροφὴ, τῶν δια τὴν ἕξιν τα αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἐχόντων πρὸς διάκρισιν καλȣ τε και κακȣ. Provocant denique ad versiculos proxime sequentes *cap.* VI. *v.* I. & 2. Antequam vero propius inspiciamus hæc loca, de voce κατηχειν aliquid notandum. Generali significatione denotat, aliquid alium per sermonem edocere, cujuscunque tandem illud naturæ sit. Græcos passim hac voce usos probat *Casaubonus* ad *cap.* I. *Lucæ* v. 4. quem vide. *celeb. Fabricius* ad *Sextum Empiricum* p. 285. & 339. ostendit, κατηχεισθαι Græcis idem esse, quod *auditione & fama percipere*; de eadem voce vide *Salmasium* de *lingua hellenistica* pag. 103. *Erasmus* ad eundem locum

Inquiritur in originem catecheticarum institutionum.

cum existimat, κατηχειν in specie denotare, docere aliquid per sermonem, quod scriptis tradere nolis. Provocat ad *Ægyptios*, *Druidas*, & alios populos, qui viva voce multa tradiderint, quæ scriptis tamen consignata non sint. At dubito utrum propterea voci κατηχειν hæc singularis significatio tribuenda sit. In N. Testamento notat in genere in religione instituere; ita de Apollo dicitur Act. XVIII. v. 25. Κατηχυμενος την ὁδον τυ κυριυ. & ad Rom. cap. II. v. 18. Κατηχυμενος ἐκ τυ νομυ. In specie vero denotat prima religionis rudimenta viva voce tradere, quod idem est quod Paulus vocat διδασκειν τα ϛοιχεια της ἀρχης των λογιων τυ Θευ. De vocibus aliis, quibus usi sunt Patres de hoc negotio agentes, vide fuse disserentes *Suizerum in Thesauro*, *Bingham in antiquitat. ecclesiasticis*, *Toutteum dissertat. præliminar. ad opera Cyrilli Hierosolymitani*, aliosque. Occasione vocis γαλα, quæ in epistola ad Corinthios extat, Patres, vocis κατηχειν loco, usurparunt sæpe vocem γαλακτοτροφειν. Ita Auctor *Constit. Apostol. libro* II. *cap.* XXXIII. *pag.* 247. Edit. *Clerici* docens, quomodo oporteat Sacerdotes, utpote Patres spirituales, honorare, & veneratione dignos habere, eos vocat τυς τω λόγω γαλακτοτροφησαντας, τυς ἐν τῆ διδασκαλία ἀναθρεψαμενυς. Sed veniamus ad loca ipsa in medium adducta, visuri, utrum institutionis catecheticæ modum, ab Apostolis usurpatum, in his locis reperire possimus. Primus locus est ex 1. *epistola ad Corinthios cap. III. v.* 3. petitus. Ex hoc loco hoc unum patet, Apostolum in hoc fuisse, ut iis, qui ex Corinthiis nomen dare volebant religioni christianæ, simplicissimos religionis christianæ articulos primo traderet, non vero subtiliora. Γαλα enim nihil aliud significare potest, quam prima religionis rudimenta, βρωμα vero denotare debet aliquid, quod paulo difficilius sit cognitu, & quod meditationem requirit. At hoc nobis, neque modum institutionum catecheticarum, ab Apostolis usurpatarum, neque singillatim numerum & ordinem horum primorum articulorum detegit, adeoque aliunde id est repetendum. Miror cl. *Vitringam lib. III. Obs. sacr.* per γαλα intelligere veritates primas, quas *regeniti* scire & meditari debuerint. Profecto antequam Christianis prima elementa disciplinæ christianæ tradita sunt, non poterant dici regeniti; & ubi iis imbuti fuerunt, & nomen dederunt religioni christianæ, non statim mentem mutarunt, pristinisque vel falsis opinionibus vel pravis studiis valedixerunt. Novi quosdam

ad

ad inscriptiones epistolarum, ubi integer coetus *sanctus, electus*, &c. vocatur, provocare; at hi tituli dabantur Christianis in genere; competebant autem duntaxat vere sanctis; constat enim ex omnibus epistolis, multos semper, qui etiamsi religionem christianam publice erant professi, nihilominus tamen vitam tam sancta religione dignam non vixisse. Non est putandum, Judæos vel Gentiles, qui in castra Christianorum transiverunt, statim ita fuisse totos mutatos, ut nullis præposteris opinionibus & vitiis, quibus, antequam religioni christianæ nomen darent, addicti fuerant, obnoxii fuerint. Quod ad locum ad Hebræos V. pertinet, patet quidem, lac opponi τῃ ςερεα τροφη; at quid per hanc intelligatur, non adeo clarum est. Per το γαλα prima religionis fundamenta, quibus Judæus, religionem christianam professurus, imbuendus erat, communiter intelliguntur. Quod si qualia illa fuerint expendas, ad sequentia referri possunt capita. 1.) In Vet. Testamento promissum fuisse in oraculis venturum Messiam. 2.) Eum jam comparuisse, tempore nimirum adventus impleto. 3.) Jesum Nazarenum esse illum prædictum Messiam. 4.) Eum fuisse miraculis illustrem, vitam pro peccatoribus profudisse, sepultum, e mortuis in vitam revocatum, & sublimem postea in coelos abiisse, idque secundum Scripturam Veteris Testamenti, quam Judæi, antequam ad religionem christianam accederent, tanquam divinam admittebant. 5.) Vi mortis Jesu Christi, tanquam unici & perfecti sacrificii, homines posse justificari, non vero per sacrificia pecorum, aut lega'em observantiam cæremoniarum. 6.) Quibus, præeunte Paulo, addi debet doctrina de poenitentia, de fide, de resurrectione mortuorum. At hoc posito difficile est conceptu, quomodo hi articuli fundamentales γαλα dicantur, cum sint revera ςερεὰ τροφὴ. *J. Clericus* in *additamentis* ad *Hammondum*, difficultate hac observata, ita commentatur: *Solidus cibus*, ait, *collatus cum lacte, aptiorque adultis quam infantibus, figurato hoc sensu, quo hic sumitur, duplici modo potest intelligi. Significare enim potest, aut præstantius quiddam, hoc est utilius, quam prima elementa; aut simpliciter dogmata difficiliora intellectu, & quæ non concoquuntur, nisi a doctioribus. Priore modo vix posse sumi videtur, nam quamvis omnia quæ hic habentur utilia sint, multo utiliores sunt doctrinæ, quæ quasi fundamenta & initia proponuntur, principio Cap. VI. quam allegoriæ, quæ leguntur Cap. VII. & seqq. Intelligendæ ergo sunt nomine solidi cibi, difficiliores quædam interpreta-*

tiones Veteris Testamenti, talis est adumbratio Christi, quam in historia Melchisedeci, & collatio sacerdotii Christi cum aharonico. Interpretes *Berolinenses* per στερεαν τροφην intelligunt *des connoissances plus élevées, qui conviennent à ceux, qui sont hommes faits en J. C.* (*) Et profecto si hoc caput *Pauli*, cum sequentibus conferamus, per την στερεαν τροφην intelligi captu difficiliora V. Testamenti loca & oracula typosque, quae ab iis, qui prima lineamenta demum christianae religionis edocebantur, concipi nondum potuerunt, quam maxime probabile erit. Quaeritur autem quomodo v. 13. dicantur απειροι λογυ δικαιοσυνης qui tenent στοιχεια των λογων τυ Θευ. *Grotius* ad vocem μετεχων γαλακτος addendum esse *tantum* monet, & per δικαιοσυνην intelligendam την τελειοτητα, σοφιαν per excellentiam, 1. Corinth. 11. 6. quae datur per διάνοιξιν των γραφων Luc. 24: 32. Eadem fere ratione hunc versum interpretatur *Camero*: λογος δικαιοσυνης (inquit) hic est, quam σοφιαν Apostolus vocat & γνωσιν; quae duabus in rebus videtur sita esse, primum in percipienda ratione dogmatum christianae religionis, deinde in collatione Veteris & N. Testamenti, mysteriorumque explicatione. Prius illud vocatur γνωρισμός πολυποικιλυ σοφιας Θευ, Ephes. III. 10. secundum illud, διανοιξις και παραδοσις ἐκ τῶν γραφων, Act. XVII. 3. *Hammondus* ita h. v. παραφραζει: *Qui lacte duntaxat nutritur, solidiorem cibum ferre nequit; similiter qui sunt instructi duntaxat iis doctrinis Christianismi, quae sunt maxime necessariae, sublimioribus doctrinis offenderentur, quae doctioribus conveniunt: sunt enim instar infantium, quibus* nec

(*) Similem in modum de solidiore illo cibo commentatur cl. LIMBORCHIUS ad h. l. ,, Haec (inquit) sublimior doctrina non vocatur solidior cibus, ,, quia ad fidem christianam magis est necessaria, quam principia illa religionis. Nihil minus: illis enim ignoratis, modo principia religionis ,, christianae quis solida fide amplectatur, potest esse Christianus: non est ,, autem Christianus, nisi illa firma fide amplexus fuerit. Sed eo solum respectu, quod faciant ad solidiorem doctrinae Christi confirmationem: sicut solidus cibus praecise non est necessarius ad vitae conservationem; sed ,, ad virium majorum, quae ad labores sustinendos requiruntur, adquisitionem. Idque potissimum locum habet in Judaeis, qui multum addicti allegoricis explicationibus & de legis suae divinitate persuasi, valde in fide ,, christiana confirmari poterant, dilucida & distincta applicatione typorum Veteris Testamenti ad Christum, ejusque pontificatum. Agnoscentes enim ea, quae Deus in lege sua olim instituit, figuras esse ac typos ,, eorum, quae in Christo impleta sunt; eo ipso etiam de divinitate doctrinae christianae plenissime reddebantur persuasi.

nec dentes, nec stomachus sunt apti, ad terendos & concoquendos solidiores cibos. Patet ex versione vers. 12. *eum per* στερεαν τροφην *intelligere mysticam atque abstrusam doctrinam de sacerdotio Christi & Melchisedeci.* Utrum autem phrasin, απειρος τυ λογυ της δικαιοσυνης, rite ita interpretatus sit, aliis dijudicandum relinquo. Hinc factum est ut *celeberrimi Interpretes N. T. Berolinenses* paulo pressius insistentes verbis τυ λογυ της δικαιοσυνης, existimarint, agi hîc de justificatione. Nimirum hanc doctrinam quidem primis Neophytis pulchre fuisse indicatam; at eosdem Hebræos prima tantum religionis elementa edoctos, legalis cultus cæremonias simul observasse. Sed verba virorum doctorum, quibus in hac materia utuntur, sunt repræsentanda, v. 13. *la parole de Justice*] *c'est-à-dire, la doctrine de la justification & du salut. Voyés par tout dans les Epîtres aux Romains & aux Galates. Dans cette doctrine il y avoit deux vérités générales; l'une que les hommes ne sont justifiés que par le sang de Jesus Christ, & non par celui des victimes: l'autre, que le culte lévitique avoit été institué pour être une représentation de ce qu'a fait Jesus Christ pour la redemtion du monde. C'est dequoi il s'agit dans cette Epître, & ce qui est très bien nommé la parole de justice. On ne peut douter, que les Hebreux ne pratiquassent encore les cérémonies légales avec quelque opinion, qu'elles étoient necessaires au salut & à la justification. Ils étoient à cet égard comme des enfans, qui avoient besoin de lait. Ils ne savoient pas assés que l'expiation du pêché ne pouvoit être faite que par le sang de Jesus Christ, & ils savoient encore moins découvrir dans le culte lévitique tous les mystéres de la redemtion, qui y étoient cachés. C'est la nourriture solide, qui ne convenoit qu'à des hommes faits.* Ita docti illi Commentatores. Probabilis mihi videtur hæc interpretatio, primo quia pressius voces λογον της δικαιοσυνης urgent: 2) quia ex epistolis patet, Judæos pertinaciter cultui externo fuisse addictos, neque cum professione Christianismi existimasse pugnare, si quosdam ritus, à Deo olim institutos, cum disciplina christiana conjungerent. Erunt fortasse qui dicent, dubium non esse, quin Apostoli doctrinam de justificatione per fidem in Christum jugiter inculcaverint, & taxarint eos, qui cultum cæremonialem religioni christianæ adjungere voluerunt. Ego vero hoc non nego: at quemadmodum J. Christus, Sanctissimus *Soter*, multa adhuc toleravit in suis discipulis; ita eodem spiritu mansuetudinis incensi Apostoli, non

 statim

ſtatim duriter excipiebant Neophytos, qui vel ex Gentiliſmi vel Judaiſmi tenebris eluctati chriſtianæ religioni nomen dederant, haud ignorantes, fieri non poſſe, ut homines ſtatim & ſine mora omnibus præjudicatis de religione opinionibus, quas longa dies confirmaverat, nuntium mitterent. Demum ſequentibus temporibus, ubi ſuperbi & ambitioſi doctores in eccleſia chriſtiana exorti ſunt, pluralitate votorum homines a ſe diſſentientes in arctum cogere aggreſſi ſunt, ut ſuis ſententiis, quas ſolas orthodoxas eſſe putarunt, firmiter tanquam oraculis cœlitus delapſis ſubſcriberent. Improbarunt igitur quidem Apoſtoli pravam conſuetudinem quorundam Judæorum, noviter ad profeſſionem Religionis chriſtianæ accedentium, ſed per tempus, dum melius & rectius ſaperent, gravius in eos non animadverterunt. Egregio exemplo, quid nobis hodie meliora edoctis præſtandum in hoc caſu eſſet. Devenimus tandem ad caput VI. hujus epiſtolæ ad Hebræos, in quo quidam ſibi deprehendiſſe videntur modum catecheticarum inſtitutionum, tempore Apoſtolorum uſurpatum. Loquitur ibi Paulus de μετανοια ἀπο νεκρων ἐργων, πίστεως ἐπὶ Θεόν, βαπτισμοις διδαχης, ἐπιθεσει των χειρων, ἀναστασει τε νεκρῶν και κριματος αἰωνίου. De hiſce pluribus agunt interpretes, ad quos lectorem veri amantem amando. (*) Juvat tantum ad hæc verba quædam adnotaſſe. I. Ex verbis hiſce manifeſtum eſt; non agi de catecheticis infantum inſtitutionibus, ſed de iis, qui adultiore ætate religioni chriſtianæ nomen dederunt. II. Non judicandum ex ſeculi II. vel III. conſuetudine Catechumenos tractandi de iis, quæ primis initiis eccleſiæ chriſtianæ pro temporum & perſonarum diverſitate ab Apoſtolis facta ſunt. Notum enim eſt, plura iis, quæ ſimpliciter tem-

(*) Doctiſſimus PEIRCIUS Anglus, cujus paraphraſin & notas philologicas in epiſtolam ad Hebræos ex anglica lingua in latinum idioma tranſtulit, eruditisque inſtruxit animadverſionibus cl. J. D. MICHAELIS, ita primum verſum capitis VI. explicat: „ Quapropter non de primis illis verba faciam „ oraculis, quibus priſcæ Oeconomiæ tempore obſcurius demonſtratur „ Chriſtus, ſed potius ad hæc contendam, quæ adultis apta ſunt: non „ lacte vos, ut veteres illos Judæos Prophetæ, paſcens. Nec ergo Moſaïca „ denuo fundamenta jacio pœnitentiæ ab operibus morte dignis, & fidei „ in Deum ſine explicata Chriſti cognitione. „ Interpretatio hæc valde probabilis eſt. Miratur cl. Editor, hoc in loco reperire interpretes prima inſtitutionum catecheticarum rudimenta.

tempore Apoſtolorum tradebantur, ſuperſtitioſe & parum prudenter fuiſſe adjecta. III. Manifeſtum eſt ex iis, quæ commemorantur, non hic ab Apoſtolo perfectam omnium eorum, quæ Proſelytis inculcabantur articulorum fidei tradi notitiam, ſed quorundam tantum: neque dubitandum, quin qua erant Apoſtoli ſapientia inſtructi, pro ætatis, & variarum circumſtantiarum ratione, diverſimode in tradendis primis elementis doctrinæ chriſtianæ verſati fuerint. Aliter tractandus erat Judæus religionem chriſtianam amplexurus; aliter homo gentilis, omni hactenus religionis chriſtianæ cognitione deſtitutus: & inter hos pro cognitionis vel ignorantiæ diverſitate ſervandum illis erat prudens diſcrimen. Utriſque & Judæis & Gentilibus diverſa quidem methodo capitalia religionis chriſtianæ principia, eaque clare animis erant infigenda & explicanda; reliqua pro capacitate ingeniorum erant ſuperſtruenda. Hoc certum, neque a Chriſto, neque ab Apoſtolis ſyſtema aliquod veritatum catechetiearum data opera concinnatum fuiſſe. Chriſtus, pro diverſa circumſtantiarum & perſonarum ratione, religionis ſuæ præcepta tradebat. Mox parabolis uſus eſt; modo perſpicuo ſermone, quæ neceſſaria creditu erant, propinabat, & quæ evitanda eſſent monſtrabat. Hoc potiſſimum urgebat, ſe nimirum verum eſſe Meſſiam divinitus miſſum, neque alia ratione homines Deo iri reconciliatum, quam per cruentum ſuum ſacrificium Deo offerendum, ut de aliis articulis nil jam dicam. Idem potiſſimum urgebant Apoſtoli, & veras juſtificationis cauſas & effectus Gentilibus pariter atque Judæis expoſuerunt; quibus articulis, pro eccleſiarum & hominum ſtatu, diverſorum articulorum explicationes & vera ad pietatem incentiva adjiciebant. Cæterum de loco illo ad Hebræos cap. VI. vide quæ collegit *Wolfius*, in ſuis curis ad h. l. & *commentarium Limborchii.*

IV.

Poſtquam Chriſtus & Apoſtoli e vivis exceſſerant, exorti ſunt hinc inde viri pii & cordati, qui religionis chriſtianæ veritatem pro viribus defenderunt, & quantum occaſio ferebat, propagarunt. At ſyſtema nullum articulorum religionis apte inter ſe connexorum & plebis ingenio attemperatorum in iis, quæ ad poſteritatem tranſmiſſa ſunt, antiquitatis eccleſiaſticæ monumentis reperimus. Mi-

Utrum primis poſt Chriſti, & Apoſtolorum exceſſum annis, ſcriptæ & editæ ſint catecheti-

cæ institutiones, disquiritur.

rum certe quibusdam, nec sine causa videbitur, tam exiguam à primis christianæ disciplinæ sectatoribus in hoc negotio adhibitam fuisse curam. Comprehendi enim vix potest, quomodo Gentilium liberi, vel in ipso Gentilismo nati, vel qui postquam parentes nuper demum religioni christianæ nomen dedissent, in dias luminis auras prodierunt, sine accuratiore notitia gravissimorum religionis christianæ capitum, veri nominis Christiani dici, & propter religionem periculis se se objectare potuerint. Modus etiam Catechumenos seculo II. & III. ut de sequentibus nil dicam, instituendi, usurpatus satis ostendit, minus aptos fuisse plerosque Doctores (loquimur de iis scriptis, quorum notitia ad nos pervenit) munus Catechetarum rite administrandi. Profecto Majores nostri, qui Papismo valedicebant, pulchre perspexerunt, religionem puram servari, nedum cum fructu propagari non posse, nisi mature rudioribus pariter & adultioribus prima religionis elementa in manus traderentur, & sedulo inculcarentur. Hinc certatim ad scribendos catechismos viri inter Protestantes præstantissimi animos adjunxerant. Hæc singillatim & per partes enarrat ὁ μακαρίτης cl. *Buddeus in Isagoge ad Hist. Litt. Theologiæ Lib. II. cap.* 2. Excusari forte poterunt primævi Doctores ecclesiæ christianæ, quod præter varia impedimenta, calamitosissimis temporibus objecta, necessitas ipsis imposita fuerit, cum adversus varii generis, uti appellantur, hæreticos religionem defendendi, tum vero innocentiam doctrinæ & vitæ editis apologiis tuendi. Atque hæc defensionis horum Doctorum ratio vel eo nomine speciem habet, quod perpauca primis duobus seculis ad nos transmissa sint monumenta; utque adeo, quid à Doctoribus primis, singulis in cœtibus peractum sit, dijudicare accurate non possimus. Parentes sine dubio, pro cognitionis modulo, institutionibus catecheticis pro temporum ratione defuncti sunt. Quod vero ad illa prima monumenta veterum ecclesiæ Antistitum pertinet, quæ ad nostram pervenerunt ætatem, sunt illa duplicis generis. Quædam scripta sunt contra hæreticos primorum temporum, genus hominum fanaticum. In his scriptis id potissimum agunt primi illi Doctores, ut hominum illorum errores exponant, & quantum valebant, refellant. Ex quibus simul ex parte manifestum est, quinam præcipue articuli religionis christianæ fuerint admissi & defensitati. At non omnium mentionem faciunt, neque tam dilucide singulos recensent arti-

articulos, ut exinde integrum aliquod & apte inter se connexum veritatum theologicarum systema erui possit. Ars cogitandi, singulaque ordine disponendi, iis temporibus parum erat nota, ut jam non dicam quam sit difficile cognoscere, utrum adversariorum mentem rite ceperint & repræsentarint, solideque confutarint. Quot extant quæso in dialogo *Justini M.* adversus *Tryphonem Judæum* infirmæ argumentationes? Quam in arctum coegisset *Justinum* Trypho ille, si eo fuisset instructus ingenio & eruditione, quali ornatus fuit ille Judæus, cum quo congressus erat cl. *vir*, *Phil. Limborchius?* Novi esse viros quosdam doctos, qui existiment, nullum extitisse *Tryphonem*, sed *Justinum* saltem in suo scripto ostendere voluisse, quantum in disputando adversus Judæos valeret. At hoc causam *Justini* non juvaret, si vel maxime id solidis rationibus posset adstrui. Alia scripta sunt à primis Doctoribus contra Gentiles, nimirum variæ apologiæ, de quibus hoc loco data opera agere noluimus. Hoc unum dico, viros illos præstantissimos in eo potissimum laborasse, ut innocentiam Christianorum contra varias Gentilium calumnias vindicarent, religionisque & cultus paganici vanitatem demonstrarent, universæ vero religionis christianæ articulos repræsentare, & contra hostes veritatis data opera defendere noluerunt: dudum etiam ab eruditis monstratum, eos feliciores fuisse in oppugnandis cœlestis doctrinæ hostibus, quam in adstruendis salutaris doctrinæ veritatibus. Laudandus tamen virorum piorum & doctorum conatus, neque sine insigni fructu eorum apologiæ leguntur.

V.

Recensentur quædam veterum monumenta, in quibus, quorundam judicio, catecheticarum institutionum religionis christianæ

Instituti nostri ratio postulat, ut disquiramus, quænam tandem primorum temporum monumenta reperiantur, in quibus quorundam judicio systematicarum & catecheticarum institutionum prima exhibeantur elementa. Atque multis quidem persuasum fuisse, symbolum apostolicum formulam fuisse præcipuorum articulorum ab ipsis Apostolis consignatorum, eruditis satis notum est. At licet non diffiteamur, quædam capita religionis christianæ, eaque momentosa valde, in eo, prouti ea ad nostram ætatem sunt translata, contineri; unde etiam in plerisque ecclesiis christianis hoc symbolum mature pueri & puellæ memoriæ tradere debent; multa tamen adhuc requiruntur ad sym-

prima traduntur elementa. symbolum illud pro integra norma primorum & necessariorum cognitu religionis articulorum habendum. Satis insuper hodie notum est eruditis, auctores hujus symboli non esse Apostolos, sed singulos articulos religionis diversis temporibus consignatos, & occasione harum vel illarum novarum opinionum, quæ in ecclesiis exortæ erant, compositos fuisse. Data opera hoc probavit vir *nobilissimus*, *P. Kingius*, in *historia critica symboli apostolici*, quam ex anglica lingua in latinum idioma transtulit ὁ μακαρίτης cel. *Olearius*, *Theologus olim Lipsiensis clarissimus.* Verum est, circumferebantur primis seculis quædam scripta Apostolorum nomine insignita, v. gr. διαδεχαι των Ἀποστολων, quædam eorundem διδασκαλιαι: at hodienum satis notum est hæc scripta pro spuriis esse habenda. Jam suo tempore id agnoverat *Eusebius* in *Hist. eccl. Libro* enim III. cap. XXV. ita ait: Ἐν τοις νόθοις κατατετήχθω και τῶν παύλου πράξεων ἡ γραφὴ, ὁ τε λεγομενος ποιμὴν, και ἡ Ἀποκαλυψις πετρου. και προς τουτοις ἡ φερομένη Βαρναβα ἐπιστολη, και των ἀποστόλων αἱ. λέγομεναι διδαχαί. De his autem scriptis ita pronuntiat eruditissimus *Pearsonius*, *vindic. Ignatianarum capite* IV. *Vol.* II. *Patrum Apostolicorum pag.* 289. *Edit. Clerici. Observandum* (inquit) *est, plures olim extitisse* διδαχὰς, *sive* διδασκαλίας *quasi ab Apostolis profectas*, *& vel ab ipsis scriptas*, *vel certe viris apostolicis dictatas*, *& ab illis sub Apostolorum nomine exaratas & ecclesiæ commendatas. Cum enim voces* διδαχη, *&* διδασκαλία *frequentissime in N. Testamento occurrerent*, *ut* διδαχη κυριου, διδαχη Ἀποστόλων, διδασκαλιὰ τοῦ σωτῆρος; διδασκαλία παύλου, *hæretici*, *aut male feriati homines*, *sacris oraculis minime contenti*, *tales* διδαχας *&* διδασκαλιας *commenti sunt. Quæ nulli certo apostolico viro adscribebatur*, *dicta est* διδαχὴ *vel* διδασκαλία Ἀ'ποστολων; *quæ ab aliquo Apostolorum discipulo scripta putabatur*, *ejus nomen præ se ferebat*, *ut* διδασκαλία κλήμεντος *vel* διὰ κλήμεντος, *quæ omnium hujus generis antiquissima videtur. Ad hujus autem normam effictæ sunt & aliæ complures*, *diversis seculis excogitatæ atque evulgatæ*, *ut* διδασκαλεια Ἰγνατίου *&* διδασκαλία δια ἱπ-πολύτου *nondum a quoquam observata*, *quam in codice Msc. Bibliothecæ Oxoniensis latere testantur: Neque enim deerant*, *qui Hippolitum ipsis notum Apostolis prædicarent. Quin & talem* διδαχην *etiam S. Polycarpo attributam fuisse non dubito. Tales erant antiquitus evulgatæ*, *quasi ab Apostolis derivatæ* διδαχαι *&* διαταξεις. *Ex his diversis didascaliis atque constitutionibus libros octo constitutionum apostolicarum*, *quos*

quos nunc habemus, confectos atque consarcinatos fuisse, asserere non dubito. Confer *Usserii* dissertationes de *Ignatii* M. epistolis, ubi simul cap. VII. de constitutionibus apostolicis agitur, & *Fabricium in codice pseudepigrapho Novi Testamenti.* Quicquid autem de eo sit, nulla clara extant in hisce constitutionibus catecheticarum institutionum indicia; aut si talia reperiuntur, indigna sunt nomine rite adornatarum institutionum catecheticarum, ut ex infra tradendis patebit. In hunc censum referunt quidam *Hermæ* libellum, dictum *pastorem*, quasi in eo prima doctrinæ christianæ elementa traderentur; at profecto qui ita sentiunt, indolem veri nominis catechismi ignorant, & perquam negligenter hunc libellum evolverunt. Haud ignoro equidem, antiquissimos Patres, *Irenæum*, *Clementem Alexandrinum*, *Origenem*, aliosque hunc libellum maximi fecisse; imo aliquando ita locutos, quasi divinæ esset originis; ipsa tamen lectio docet, hunc libellum fœtum esse hominis ad *fanaticismum* inclinantis valde; & profecto, si nostra ætate talem quis libellum in lucem ederet, nullus ego dubito, quin in catalogo fanaticorum locum suum reperturus esset. In hoc enim libello nullus ordo, nulla argumentorum apta coagmentatio, nulla perspicua articulorum fidei connexio; sed minus perspicua quorundam articulorum fidei expositio, cum miris phantasiæ male sanæ lusibus conjuncta. Plura de hoc libello non afferam, cum sententiam meam de eo protulerim in prima mea *dissertatione de visionibus primorum Christianorum.* (*) Hunc tamen libellum in quibusdam ecclesiis Catechumenis commendatum & lectum fuisse, *Athanasii* testimonio probat *cl. Bingham*, *antiquit. eccles. vol. IV. pag.* 12. Quam accuratam ex talium libellorum lectione religionis christianæ notitiam sibi Catechumeni isti comparare potuerint, quilibet, qui nasum habet, facile conjiciet. Et profecto quoties ego prima illa monumenta antiquissimorum Patrum evolvo, toties doleo, in tradendis sanctioris disciplinæ capitibus tam exiguam ordinis & perspicuitatis ab iis habitam fuisse rationem. Miror lectionem hujus libelli fuisse permissam Catechumenis, non autem usum Orationis dominicæ, antequam baptismo tingerentur, cum ea au-

(*) „ Præter eos, ad quos loco citato provocavi, vide Fabricii Biblioth. „ græc. vol. I. cap. VII. & cl. Beausobre histoire critique du Manichéisme, „ Tom. II. pag. 201. & seqq.

ctorem habeat ipsum *Soterem* nostrum, resque contineat Catechumenis scitu quam maxime necessarias. Rationem ineptæ plane hujus consuetudinis hanc reddit *Binghamus* loco citato pag. 30. *Nam hæc Oratio* (inquit) εὐχὴ πιστῶν, *fidelium Oratio dici solebat, quippe quæ peculiariter, a solis baptizatis, qui per regenerationem filii Dei facti, ac privilegium ad Deum, tanquam Patrem suum cœlestem, adeundi adepti erant, adhibebatur: quod Catechumeni, (illi certe, qui ex prioribus ordinibus erant) facere proprie non poterant.* At unde notum erat, omnes, qui aqua baptismi tincti erant, vere fuisse regenitos? Num illi omnes qui regeniti non sunt, ab usu Orationis abstinere debent? An non Christus in omnium Christianorum usum hanc precationis formulam instituit? Forte quis dicet, in sermone Patrum *regenerari* idem significare ac *baptizari.* At si hoc esset, eadem rediret quæstio. Sed hæc in transitu.

VI.

De Clementis Alexandrini laboribus catecheticis.

Maxima in celebritate versata est olim urbs *Alexandria*, ob institutiones catecheticas a venerandis viris *Panteno*, *Clemente Alexandrino*, *Origene*, ut de successoribus eorum nil dicam, in hac urbe habitas. Utinam autem propius paulo nobis constaret ratio horum laborum, vel libellus aliquis extaret, in quo tractandi hoc argumentum methodus, a viris illis celebribus usurpata, repræsentaretur. Si quis pro insigni Oratore aut Catecheta haberi vult, neque tamen ipsimet audire eum possumus, profecto ad manus esse debent aperta documenta, quibus eruditis & rerum peritis probetur, eum dignum esse hac laude. Talia non reperio in libris vel *Clementis* vel *Origenis*, imo longe contraria omnia: Antequam igitur singillatim de catecheticis laboribus celebrium horum virorum disquirimus; ad ingenium, eruditionem, & scribendi rationem eorum est attendendum, ex quibus proclive erit, etiamsi illi labores catechetici non extarent, judicare, cujus pretii illi esse potuerint. Et *primo* quidem fatendum, *Clementem Alexandrinum* fuisse vastissimæ lectionis virum, in Græcorum scriptis, sive Poetæ illi fuerint, sive Rhetores, sive Historici vel Philosophi, versatissimum. Satis hoc docent libri *Stromatum* nomine insigniti. At eum perspicuo ordine sua decreta potuisse proponere, & argumentis solide probare, nemo dicet, qui

unquam

unquam hunc auctorem cura evolvit. Unda undam pellit, & quicquid varia lectio ſuppeditavit, in cumulum conjecit, adeo ut ſæpiſſime lectori in mentem veniat illud Poetæ; *quo ſe nunc proripit ille?* Quod ſi ipſa lectio operum Clementis non ſatis hominem ſani cerebri & veri amantem id edoceret, ipſius ingenua confeſſio ſatis ponderis haberet, ad hoc probandum. Locus eſt *Stromatum libro V. p. m. 766.* in quo, poſtquam multa de mundis & immundis animalibus garriviſſet, & hæreticos inprimis per immunda deſignari aſſeruiſſet, ita rhetoricatur ſecundum verſionem *Sylburgii: His a nobis pertractatis, locoque morali nobis ſummatim ſparſimque deſcripto, ut ſumus polliciti, iiſque, quæ ad veram excitant cognitionem* (της ἀληθειας γνωσεως) *hic & illic inſperſis dogmatibus, ut a quolibet eorum qui myſteriis non ſunt initiati, non facile poſſint inveniri ſanctæ traditiones,* (ὡς μη ῥᾳδιον εἰναι τω περιτυχόντι των ἀμυητων την τῶν ἁγιων παραδόσεων ἑυρεσιν) *aggrediamur, Stromatum utique ſimiles, non illis elaboratis hortis, in quibus ſunt arbores & plantæ, in certum ordinem, ad delectandos oculos congeſtæ; ſed alicui potius ſpiſſo & umbroſo monti, in quo ſimul ſunt plantati cupreſſi & platani, laurus & hedera, mali & oleæ & ficus, ita ut de induſtria fertilium ſimul & non fertilium plantæ arborum ſint commiſtæ; cum propter eos qui pulchra & matura ſurripiunt & ſuffurantur latere id velit Scriptura. Ex quibus cum radices ſumſerit & alibi inſeruerit agricola, pulchrum hortum efficiet, & nemus amœnum. Neque ergo ordinem neque dictionem ſpectant libri Stromatum, cum etiam Græci de induſtria nolint adeſſe ornatum dictionis, & latenter, non ut rei jubet natura, dogmata inſerant: hoc agentes, ut ſi eorum ſcripta legant, ſint laborioſi & acres ad inveniendum. Sunt enim multæ & variæ eſcæ, propter multas piſcium differentias.* Qualis tumor verborum eſt in hiſce? Annon potuiſſet planis verbis dicere, ſe de variis rebus, prouti illæ animo ſuo ſe offerebant, nulla habita ordinis ratione, in his ſtromatibus diſſerere voluiſſe?

II. *Clemens* non ſolum exiſtimavit, ex Philoſophia tum temporis recepta, id eſt, ex variorum inter ſe quam maxime diſſidentium Philoſophorum principiis conſuta, præſidia primaria eſſe petenda ad religionem chriſtianam junioribus pariter & adultis commendandam, ſed & hæc principia Philoſophorum hinc inde collecta ſecundum intentionem Numinis eſſe data, eum in finem, ut qui revelatione deſtituerentur, his qualibuscunque præſidiis ſibi conſulere poſſent. Rem,

quia eſt eruditis ſatis nota, multis locis & teſtimoniis non probabo. Videatur deſcriptio vitæ & operum *Clementis*, adornata a cl. *Clerico*, *Bibliothecæ univerſali Tom. X.* inſerta. Et quæ de *Clemente* annotavit *doctiſſimus & amiciſſimus Brukerus in hiſt. crit. Philoſophiæ Tom. III.* Audiatur ipſe *Clemens*, *Stromat. Lib. I. pag.* 278. ita juxta verſionem loquens: *Quemadmodum terram prius rigant agricolæ, deinde ſic ſemen ejiciunt: ita etiam nos, eo, quod tibi poteſt, ex Græcorum ſcriptis, in quod in iis terreſtre prius irrigamus, ut ſuſcipiat ſpirituale ſemen quod dejicitur, & id facile poſſit alere. Continebunt autem hi libri, qui dicuntur* στρωματεις. *id eſt ſtragulæ variæ contextæ, admixtam veritatem philoſophiæ decretis, vel potius coopertam & abſconſam, ſicut teſta operitur id, quod eſt in nuce eſculentum. Fidei enim ſemina, ſolis, ut exiſtimo, convenit ſervari fidei agricolis. Non me latent ea etiam, quæ ab aliquibus imperite omnia metuentibus jactantur, qui dicunt, oportere in iis verſari, quæ ſunt maxime neceſſaria, & quæ fidem continent; externa autem & quæ ſunt ſupervacanea tranſilire, quæ nos fruſtra conterunt, & detinent in iis, quæ ad finem nihil conferunt.* Quod ſi hoc voluiſſet *Clemens*, nimirum prima Philoſophiæ & Theologiæ naturalis capita a ſcoriis Theologiæ gentilis purgata, adultioribus, qui prima religionis chriſtianæ dogmata edocendi erant, prius eſſe inſtillanda, antequam ad demonſtrandam Religionis chriſtianæ veritatem fieret progreſſus, nihil affirmaſſet, quod cenſura dignum eſſet. At ex ipſa lectione operum ejus patet, eum ex his vel illis Philoſophorum Gentilium, *Platonicorum* præcipue & *Stoicorum* ſcriptis elegiſſe id, quod ſua opinione colorem aliquem religioni chriſtianæ conciliare, eoſque, qui chriſtiana ſacra amplecti volebant, allicere poterat: Non obſcure illud ipſum loco cit. innuit, dicens: *Multa itaque licet ad finem non conferant, artifici tamen ornamentum afferunt. Et alioquin varia ac multiplex doctrina & varie probat id quod adducitur,* θαυμασμὸν ἐγγεννῶσα τοῖς κατηχουμένοις καὶ πρὸς τὴν ἀλήθειαν συνιστῆσιν. Ita aliquando ubi e re ſua eſſe putavit, μετεωρολογήματα *Stoicorum* ſecutus eſt, & *Gnoſtico* ſuo attribuit, quod Stoici ſuo ſapienti. Vide pag. 649. *Stromat.* & paſſim. Quis autem eſt tam hebetis ingenii, ut exiſtimet, talem virum, & his opinionibus imbutum, aptum fuiſſe, ad ſimpliciſſima religionis capita Catechumenis tradenda & inculcanda? Profecto fieri aliter non potuit, quam ut multi auditorum *Clementis* fierent vel *ſemigentiles* vel *ſemifanatici*.

* Atque

(*) Atque hac infelici mixtura decretorum variorum hinc inde ex Philosophorum Gentilium systematibus petitorum, cum veritatibus religionis christianæ effecit, ut in multos crassosque errores theoreticos & practicos inciderit Alexandrinus præsul, de quibus data opera non agimus. Candide id post *Joh. Clericum* aliosque fatetur *cl.* & *amicissimus* Brukerus, hist. crit. Philosoph. Tom. III. p. 423. *Infaustus ille* (inquit) *Syncretismus, qui animum Clementis totum occupaverat, bona omnia corrumpebat, & Doctorem eruditissimum præjudiciis ingentibus replendo, divitem, quam ille pollicebatur, messem, infelici lolio & sterilibus supprimebat avenis; & ipse Clemens tanto operi impar, multoties non sine detrimento causæ christianæ labebatur. Suffocaverat vir eruditissimus immensæ lectionis copia judicium, ut & ad accuratas rationis leges minus attenderet, & illas debito loco non adhiberet.* Adamavit insuper *Clemens* allegorias, quarum maximam molem, si necesse esset, ex ipsius scriptis huc convectare possemus. At hoc labore opus non est: ipsa lectio operum *Clementis* quemlibet hoc edocebit; sed hoc cum Patribus plerisque illi erat commune; vide viri *doctissimi* D. *Whitby præfat. ad candidum lectorem, sectionem sextam*, & quæ ille postmodum per omnes Veteris & N. Testamenti partes, in ipso libro, nimirum *dissertatione de S. Scripturarum interpretatione, secundum Patrum commentarios*, exempla protulit. Innumera loca ex V. Testamento desumta, & per allegorias explicata adducit *Clemens*, & tamen hebraicæ linguæ erat ignarus prorsus. Huic addebat theologiæ mysticæ studium, quod cum allegoriarum insano amore conjunctum, egregios, si Diis placet, efficit Catechetas & V. D. Ministros. Diximus supra, eum mixtura illa philosophiæ & theologiæ animos auditorum suorum præparare voluisse,

(*) Si cui duriora videantur, quæ de pessimo instituto, & effectu mixturæ hujus Philosophiæ gentilis & Religionis christianæ dixi, is audiat doctissimum virum J. THOMASIUM in originibus historiæ philosophicæ ita de hoc argumento loquentem: „ Excusat quidem (inquit) sanctos Patres „ quodammodo studium ecclesiæ vel propagandæ, si Gentiles evehendis „ ipsorum Philosophis allicere possent; vel a contemtu saltem vindicandæ, si ostenderetur, Platonem aut Pythagoram suos agros quasi de „ Mosis & Prophetarum fontibus irrigasse; verum docuit eventus, hanc „ theologica studia tractandi rationem ad nihil magis profuisse, quam ut „ ex Gentilibus fierent semichristiani & ex Christianis semigentiles, novæque subinde hæreses ad imbrem platonicum progerminarent.

luisse, ad abscondita mysteria eo majore aviditate arripienda. *Hunc vero finem* (verbis utor cl. *Brukeri*, *loco supra citato* pag. 422.) *& auctoritatem atque aditum sibi in Gentilium animis ut pararet, methodum quoque, quæ magna veneratione Alexandriæ recepta erat, adhibuit mystagogicam, christiana dogmata, quantum posset, optima ita ratione commendaturus; scripsit itaque triplex opus, Protrepticum, Pædagogum & Stromata, de quibus eleganter observatum præstantissimo Danieli Heinsio, in his quemadmodum in multis aliis* καθαίροντά τε καὶ μυσταγωγοῦντα *esse Clementem. Primum enim librum esse* ἀποκάθαρσιν, *secundum* μυοῦντά τε καὶ κατήχησιν, *tertium* ἐποπτικὸν *sive* ἐποπτείαν, *nam in primo, qui futuri Christiani sint, purgati, in secundo, factos jam initiari, in tertio ad sacra maxima, supremamque Dei admitti notitiam & æternam contemplationem. Quod recte & scopo Clementis convenienter dictum esse ex luculentis aliquot ejus locis evinci potest. De Pædagogo enim ait: eum versari in iis, quæ sint agenda præcipiendis, & prohibendis iis, quæ sunt contraria: esse autem alterum genus sermonis, cujus sit institutum docere, quod quidem sit subtile & spirituale, & accuratam tractandi rationem sequatur, & in arcanis contemplandis mysteriis versetur. Quæ mysteria tandem eo dicit collineare omnia, ut mens, quæ sit munda, & ab omni vitio libera, apta fiat ad potestatem Dei suscipiendam, cum divina in eo assurget imago. Placuisse vero Clementi hanc methodum, ut mysteria hæc nonnisi præparatis panderet, nemo mirabitur, qui norit, eam & inter Gentiles, maxime in Ægypto obtinuisse, & in Ecclesia quoque hanc arcani disciplinam, ob varias caussas fuisse adhibitam.* Ita cl. *Brukerus*. Mirum igitur non est *Godof. Arnoldum* in sua *delineatione Theologiæ mysticæ* ad *Clementem* quoque provocasse. (*) Fuerunt qui ejusdem nostri *Clementis* ὑποτυπώσεις

(*) Cl. BARBEYRACIUS, vir doctissimus, in suo tractatu de la Morale des Peres de l'Eglise cap. V. pag. 44. ita de Pædagogo CLEMENTIS ALEXANDRINI judicat: „ Je soûtiens, que toute personne éclairée & non prévenue, qui lira le Pedagogue de Clement, se convaincra, qu'en général „ rien n'est plus imparfait, ni plus superficiel; qu'il n'y a presque aucun ordre: que ce Pére ou omet ou ne fait qu'indiquer en passant des articles de très grande importance, pendant qu'il s'étend sur d'autres beaucoup plus qu'il n'étoit nécessaire: que ses raisonnemens sont d'ordinaire vagues, obscurs, embarassés, fondés ou sur de pures subtilités, ou sur de vaines allegories, ou sur des fausses explications de passages de l'Ecriture; qu'il jette sur le papier tout ce qui lui vient dans l'esprit,

σιν provocarent, probaturi, in hoc libro prima religionis christianæ tradi elementa. At is liber sine damno eruditorum periit. Si enim *Photio*, viro multæ lectionis credendum est, multa continebat ἄτοπα, ex platonicis principiis petita, imo si eidem fides habenda ἐν τισι δὲ παντελῶς εἰς ἀσεβεῖς καὶ μυθώδεις λόγους ἐκφέρεται, *in aliis rursus impie omnino fabulosequé disserit. Asserit enim materiam æternam esse, & ideas velut certis decretis induci fingit. Filium quoque in rebus creatis numerat. Ad hæc animorum migrationes, multosque ante Adamum mundos prodigiose comminiscitur.* Locus Photii exstat *Myriob. Bibl. Cod. CIX.* Hoc testimonium cum adduxisset cl. *Clericus*, qui Patres repræsentavit, quales erant, non quales fuisse quidam vellent, male id habuit virum doctissimum quidem, at nimio Patrum amore incensum, *G. Caveum.* At causam suam strenue tuitus est *Clericus* adversus Windesoriensem Canonicum, in *epistola prima critica data ad reverendissimum Archiepiscopum Cantuariensem.* Has vero hypotyposes nil minus quam primorum religionis christianæ elementorum accuratam explicationem complexas fuisse, docet *Eusebius hist. eccles. lib. VI. cap. XIII, & XIV.* De erroribus *Clementis* theoreticis & practicis agere animus non est, quia hoc ad institutum meum prorsus nil facit. Factum id est abunde a viris doctissimis. Ex paucis hisce abunde constat, causas esse nullas, cur *Clementem* inter eos referamus, *qui de institutione juventutis* in primis fundamentis religionis christianæ *bene meriti sint.*

VII.

Pergamus ad *Origenem*, virum inter Patres primitivæ Ecclesiæ famigeratissimum doctissimumque, & *Clementis Alexandrini*, in schola Alexan- De Origene, ejusque laboribus catecheticis singillatim agitur.

„ sans s'embarasser s'il est à propos ou non, & étalant même quelque fois une „ erudition fort mal placée; qu'en criant contre les mœurs de son siécle, „ il distingue rarement l'usage légitime des choses indifferentes de leur „ nature, d'avec l'abus le plus criminel; enfin qu'il débite quelquefois des „ maximes ou visiblement fausses ou fort outrées. „ Hoc suum judicium per integrum caput vindicat contra Ordinis Benedictini Monachum Ceillier. Talis vero ingenii homines profecto ad institutiones catecheticas rite instituendas inepti sunt. Hoc tamen non obstante librum Pædagogi inter catecheses refert Archiep. Fenelonius in dialogo de eloquentia pag. 107. edit. Amstelodamensis.

Alexandrina successorem, visuri; quid hic in eo de quo agimus negotio præstiterit, & quam, pro eo, quo erat ornatus ingenio & eruditione, ad rite defungendas catecheticas institutiones aptus fuerit. Hic vero ea tantum adferemus, quæ ad institutum nostrum faciunt; sequemur autem potissimum hic *illustrem & eruditissimum P. D. Huetium, Episcopum olim Abrincensem*, qui in suis *Origenianis* omnia, quæ ad ingenium, mores, eruditionem, lapsus & errores *Origenis* pertinent, &c. tam erudite, tam solide, & sincere congessit, ut ad plenam cognitionem, quæ de *Origene* dici possunt, nihil desiderari posse videatur. Ut ordinem quendam teneamus, paucis quibusdam articulis includemus, quæ ad scopum nostrum faciunt. Et (I,) quidem consensu antiquorum Scriptorum omnium, *Origenes* ætatis suæ anno 18. constitutus est, in celeberrima urbe Alexandria, *Catecheta.* Quam multa autem requirantur, ut quis perspicue & solide in hac ætate prima elementa religionis junioribus pariter & adultioribus tradat, ii norunt, qui ad ingenia adolescentum & ad catecheticæ institutionis indolem attendunt.

(II.) Manifestum est, *Origenem* ab ineunte ætate magno Philosophiæ platonicæ amore fuisse incensum. *Origenianorum* libro primo sect. V. ita rem narrat ill. *Huetius. Applicavit sese ad Ammonium, cognomento Saccam, & in ejus exhedris insignem Philosophiæ peritiam comparavit, sed platonicæ præsertim, quæ tam altas in ejus animo radices egit, ut succrescentes christianæ doctrinæ fruges interficeret: Nam ecclesiæ scita fere exigebat ad normam Platonis, & sincera Christi dogmata, platonicis, ut ita dicam, coloribus oblinebat.* Qualis autem ea ætate hujus Philosophiæ ratio fuerit, constat iis, qui in historia philosophica non sunt hospites. Infinita nimirum hæc philosophandi ratio comprehendebat μετεωρολογηματα, quæ vix a doctis, nedum ab adolescentibus comprehendi poterant, demtisque etiam verborum involucris sanum vix fundebant sensum: favebant hæc ut plurimum turpi fanaticismo. Ex quo ex parte constare potest, quam fuerit Origenes adolescens 18. annorum hujus Philosophiæ amore abreptus, neque artis cogitandi peritus, ad catecheticas institutiones cum fructu habendas aptus. Difficilius profecto est hoc negotium quam vulgo existimatur. In præfatione ad *commentarios* in *Origenem* pag. 4. narrat ill. *Huetius*, eum juvenem valde commentarios in *Canticum Canticorum* edidisse & quidem eo tempore, quo nondum hebræam lin-

guam

guam addidicerat. Qui ad ingenium doctrinamque, qua imbutus erat *Origenes*, ab una parte attendit; ab altera vero hujus libri obscuritatem argumentumque expendit, facile judicare poterit, qualis hic commentarius fuerit, factumque bene est, quod ad nostram usque ætatem servatus non est; quoniam iis, qui Patrum nævos cordate repræsentare solent, merito *Origeni* insultandi materiam fœcundam præbuisset. Tales commentatores quærunt quod nuspiam est, reperiunt tamen, & magnifice de sua peritia artis scilicet hermeneuticæ sentiunt.

(III.) Cum innumeris exemplis & quotidiana constet experientia, plerosque discipulos Doctorum suorum opiniones & hypotheses sequi, easque adamare & tueri strenue, videndum paulo propius, quam philosophandi, & res divinas tractandi ingressus sit viam ipsius præceptor, Ammonius. Narrat autem de eo *cl. & historiæ philosophicæ peritissimus vir J. Brukerus, Tom. III. pag.* 429. *hist. crit. Philosophiæ; eum hominem fuisse fanaticum, relictisque, quorum simplicitatem contemnebat, Christianorum dogmatibus, ad Gentiles Philosophos defecisse, & conciliatis inter se vel confusis potius & in peregrinos sensus detortis, Pythagoræorum, Stoicorum, Platonicorum & Aristotelicorum placitis, novum græcanicæ Philosophiæ systema condidisse, quod externa quidem facie platonicum esset, re ipsa tamen se omnibus attemperaret. Neque vero his contentum, platonicam hanc philosophiam, dudum jam ex orientali philosophia reformatam, πανδοχεῖον opinionum & religionum tantum non omnium, exceptis iis, quæ atheæ habebantur, constituisse, & ut defectionem à christiana fide vel excusaret atque pingeret, vel aliis quoque commendaret, novum systema christianis dogmatibus quantumpote adaptavisse, sicque repurgatæ atque reconciliatæ divina inspiratione philosophiæ gloriam, teste Hierocle, sibi vindicasse. Talis cum esset Ammonii disciplina, excogitari facile conjicique potest, quos sibi mutos Doctores Origenes hujus scholæ discipulus elegerit, quosque auctores sibi legendos constituerit.* Hactenus cl. *Brukerus.* Ipsa lectio librorum *Origenis* & eruditæ notæ, quas commentariis in *Origenem* adjecit ill. *Huetius*, rem satis probant.

(IV.) De erroribus *Origenis* data opera agere nolo; præstiterunt hoc viri excellentissimi, *Huetius* in *Origenianis*, & post eum jam jam laudatus *Brukerus noster, Tom. III. hist. crit. Philosophiæ*, ut de aliis pluribus nil dicam. Tantum aliquid de ingenio ipsius, errorum-

que caussis afferam. Ill. *Huetius, Origen. pag.* 24. postquam virtutes ipsius & eruditionem laudasset, hæc adjecit: *Verum egregias vel a natura collatas, vel comparatas ab arte dotes obscurabant præceps quidam animi calor, neque satis considerata sacrarum Litterarum tractatio, & prope temerarium reconditorum ac supra mentis humanæ captum positorum Dei mysteriorum evolvendi studium: quibus vitiis partæ virtutibus suis jam ante invidiæ causam in se erumpendi dedit.* Nimium etiam sibi suffenus erat *Origenes*, quod commentarios in V. Testamentum adornare conatus est, cum tamen fatente *Huetio*, & exemplis comprobante pag. 26. *Origenianorum*, mediocriter in hebraicis esset versatus. Eidem opinioni est addictus cl. *Clericus* in *quæstionibus Hieronymianis*, cap. II. Idem *eruditissimus Præsul* loco citato pag. 192. tres præcipuas errorum Origenis causas pandit, dicens: *Peccandi causa judicium præceps, & immoderata ingenii lascivia & licentia, cui tam intemperanter morigerebatur, ut cogitata omnia cruda etiamnum & immatura profunderet. Accessit inepta quædam Scripturæ plerumque explicandæ ratio, vocum singularum notionibus eruendis & expendendis odiose ac putide studens, & in minutis quibusdam consectandis ac invicem confligendis morose & frigide laborans. Adde nimium profanarum doctrinarum ac platonicæ præsertim Philosophiæ, quam Tertullianus hæreticorum omnium condimentarium esse factum ait, studium, ad cujus normam theologica dogmata cum exigeret, absurdis opinionibus ipse primum imbutus mox ecclesiam conturbavit.* De prima & tertia erroris causa nil dicam. Quod ad secundam spectat, ill. *Episcopus* aliter judicare quorundam judicio debuisset. Patrum enim, & nostra ætate quæ ipse taxat, pro virtute insigni interpretis vel concionatoris quibusdam in locis habentur. Pertinaciter quidam rebus communissimis & plebeculæ etiam notis vocibus inhærent, & serio nobis exponunt, quid sit *edere*, quid sit *sitire*, quid *ambulare* & *dormire*, quid *mons* sit, quid *vallis* &c. atque ita agendo sibi persuadent, se accuratiorum interpretum officiis egregie defunctos esse, & δυνατυς ειναι εν ταις γραφαις, sed hæc in transitu. Nullum interim dubium est, quin hæc auditores suos impediverint, quo minus quæ ipse proponebat, intelligerent, multique in merum inciderint fanaticismum. Neque parum huc contulisse putamus stylum nimis floridum & metaphoris plenum, quibus usus est vir doctissimus. Iterum hoc non diffitetur ill. *Huetius pag.* 233. *loco citato. Redundat stylus Origenis* (inquit)

(inquit) & *diffluit. Quamobrem ipsius* ἄμετρον φλυαρίαν & ταυτολογίαν *carpit Eustachius Antiochenus & post illum Epiphanius, eumque seminarium loquacitatis appellat Theophilus. Hinc & ipsi hoc effatum Salomonis accomodat Nicetas: in multiloquio non deerit peccatum; adeo ut parum attentum fuisse putem Erasmum, cum brevitatem ejus laudavit. Vitio huic Origenis causæ fuisse censeo assiduam docendi & dicendi consuetudinem, quæ verbosos homines facile efficit, nec verbis solum, sed rebus etiam abundat: quemadmodum enim herbis luxuriat veracior seges, ita Origenis animus, si quando in aliquam sese meditationem conjecerat, tantam ipsi rerum ubertatem felix ingenium & reconditum doctrinæ penus subministrabat, vix ut notarii scribendo pares essent. Ex hac festinatione multa existebant incommoda: nimia erat orationis incuria & supinitas, ad res enim attentus animus insuper habebat verborum curam & striblíginibus sermonem quandoque fœdabat, cujusmodi nonnullas suis locis observavimus; res sæpe confundebat cum rebus, ut scriptores sacros citans aliquando permutaret nomina, & unum appellaret pro altero, ac sæpe Scripturæ loca permisceret; confisus memoriæ scilicet, & quo minus libros consuleret, festinatione impeditus.* Ita *Huetius.* Ex quibus iterum facile colligi potest, quem fructum habere potuerint catecheticæ, quas ad auditores habuit, institutiones *Origenis.* (V.) Denique, ad hæc omnia accessit insanum allegoriarum studium, de quo ill. *Huetius*, *Origen. p.* 170. *seqq.* data opera agit, simulque demonstrat, plures primorum Patrum hanc viam esse ingressos, *Philonemque* Judæum hoc in argumento secutos fuisse. Pulchre hic amor allegoriarum cum ingenio *Origenis* convenit; fœcunda imaginatio mille suppeditat figuras & relationes; periculosum autem valde erat hoc studium allegoricum, quandoquidem nonsolum Gentiles sed & hæretici ad scripta & dicta *Origenis* attentissimi erant, & methodi hujus vanitate detecta, iisdem armis adversus Ecclesiæ christianæ Doctores uti poterant. Nihil enim facilius est, quam artem hanc simili arte eludere. Scio *Origenem* antesignanos habuisse multos & sectatores, ad nostra usque tempora. At parum juvat hoc causam ejus, si ad sæculi superioris & ætatis nostræ quosdam scriptores disceptatio de usu allegoriarum hæc esset exigenda, mitius de hoc errore *Origenis* esset judicandum. Notum enim est (ut de Pontificiis nihil dicam) fuisse, & adhuc esse plures in Protestantium cœtibus, quibus hoc studium allegoricum non displiceat, & diversas quidem ob

rationes. Sunt qui putent, inter virtutes non postremas egregiorum exegetarum & concionatorum peritiam hanc allegorias comminiscendi referendam. Alii, qui hoc studio delectantur, tribuunt id nescio cui *unctioni* divinæ & experimentalis Theologiæ notitiæ. Hoc vero hominum genus ut plurimum frustra meliora edoceas, quia artis ratiocinandi loquendique, ut de neglectu Philosophiæ aliarumque nobiliorum disciplinarum nil dicam, sunt imperiti. Quam præpostere hac methodo usus sit nostra ætate *Woolstonus* Anglus in doctrina de miraculis Jesu Christi, notum est.

(VI.) Fuerunt denique, qui ex libello *Origenis* περι Ἀρχων prima Theologiæ & catecheticarum institutionum elementa eruere volebant, at perperam. Verum est, quod & ill. *Huetius* pag. 233. & 266. notat; ei christianæ religionis ac veræ Philosophiæ elementa hoc libro tradere propositum fuisse. *Quamobrem* (verba sunt doctissimi Præsulis) ut *subjicit Rufinus, & obscurissimi & difficillimi sunt; addere poterat, erroribus quoque &* ψευδωνυμου γνώσεως *seminibus refertissimi: in iis quippe præcipua dogmatum suorum fundamenta Origenes posuit.* Eo magis credendum *Photio*, qui textum græcum hujus libelli, cujus duntaxat versio latina hodie ad manus est, legit, quando *Myriobibl. Cod. VIII. pag.* 10. ait, in eo libello reperiri multa παραλογωτατα καὶ δυσσεβειας πληρη. Ex paucis hisce constat, *Origenem* sive ingenium ejus spectes, sive ad disciplinas, quas deamavit, respicias, catecheticarum institutionum *veram indolem* non percepisse, & Alexandrinos illos Doctores, *Clementem* & *Origenem*, non tam ob peritiam juventutem in primis elementis religionis christianæ instituendi aliquod nomen adeptos, quam vero ob singularem eruditionem, ex temporum illorum consuetudine & moribus opinionibusque æstimandam, virtutesque alias, quibus elucebant, tantis laudibus elatos fuisse. Ego profecto catechismum Tigurinum vel *Ostervaldii* omnibus illis catecheticis laboribus duorum illorum virorum prætulerim. Scio quidem alia fuisse, quibus præstantissimi viri vixerunt, tempora, mores alios, alias denique Litteras sanctiores tractandi methodos. At natura catecheticarum institutionum propterea non mutatur: ad certas regulas eæ debent exigi, & qui ab iis aberrant, sive illi antiqui fuerint, sive recentiores, meliora edocendi sunt.

VIII.

VIII.

Agitur de vestigiis institutionum catecheticarum, quæ in Constitutionibus Apostolicis, & in disciplina Arcani reperiri dicuntur.

Progredimur ad *Constitutiones* ita dictas *Apostolicas*, visuri, utrum in illis reperiamus institutionum catecheticarum certa vestigia, & quales tandem illæ fuerint. Provocant viri docti ad *cap. XXXIX. Lib. VII.* harum constitut. quæ continentur primo vol. *Patrum Apostolicorum*, *edit. J. Clerici.* Epitome hujus capitis ita sonat: ὅπως χρὴ τοὺς κατηχουμένους στοιχειοῦσθαι. Evitandæ autem prolixitatis causa, versionem tantum latinam adducam. „ Qui ergo (inquit) „ ad doctrinam pietatis instruendus est, erudiatur ante ba„ ptismum in scientia de Ingenito, in cognitione de Filio unigenito, in „ persuasione certa de Spiritu Sancto. Discat creationis diversæ „ ordinem, Providentiæ seriem, variæ legislationis tribunalia. Eru„ diatur quare mundus sit factus, & cur mundi civis homo consti„ tutus sit. Agnoscat naturam suam, quænam sit. Doceatur quo„ modo Deus improbos aqua & igne puniverit; Sanctos vero per sin„ gulas ætates honore ac gloria decoraverit: Sethum dico, Enosum, „ Henochum, Noam, Abrahamum & posteros ejus, Melchisede„ kum, Jobum, Mosen, Jesum, Chalebum & Phineham Sacerdo„ tem, Sanctosque singularum ætatum. Item edoceatur, quem„ admodum per Providentiam Deus genus humanum non aversa„ tus fuerit; imo ab errore & vanitate ad agnitionem veritatis di„ versis temporibus vocárit, reducens a servitute ac impietate ad „ libertatem & pietatem, ab injustitia ad justitiam, a morte æterna „ ad vitam perpetuam. „ Hisce recitatis ait: Ταῦτα καὶ τὰ τούτοις ἀκόλουθα μανθανέτω ἐν τῇ κατηχήσει ὁ προσιών. Enarrat deinde quibus verbis utatur ille, qui manus Catechumenis imponit, quæ ad institutum nostrum non faciunt. Capite XL. exponitur, quomodo oporteat Catechumenis a sacerdotibus in initiatione benedici, & quænam eos edoceri conveniat. *Cumque* (inquit auctor) *jamjam erit baptizandus Catechumenus, discat quæ ad renuntiandum diabolo, & quæ ad adscribendum Christo, pertinent. Oportet enim illum primo quidem abstinere a contrariis, & deinde ingredi ad mysteria, cum prius cor suum purgaverit ab omni perversitate, macula & ruga, atque tunc demum ad Sacramenta percipienda accedere.* Capite dein XLI. recitationem ejus, qui baptizatus est, exponit. Non jam quæram, quis fuerit ille *auctor* constitutionum harum & unde illæ petitæ sint;

 videan-

videantur dissertationes *Thomæ Brunonis & J. Clerici*, quæ extant vol. II. *Patrum Apostol. edit. Clerici*: neque curabo, utrum sincere & plene nobis enarraverit modum instituendi juvenes in omnibus ecclesiis usurpatum: hoc tantum dico, hic non tradi, quomodo infantibus prima elementa religionis christianæ tradita sint; quis ordo servatus in pueris pariter & adolescentibus instituendis: profecto ea, quæ hic adduximus, talia non sunt, ut genuinam primitivæ ecclesiæ consuetudinem in catechisationibus observatam plene inde discamus. Hoc certum, ordinis & simplicitatis exiguam habitam fuisse rationem. Catechumeni erant vel Gentiles aut Judæi, ad professionem religionis christianæ adducendi, vel denique nati erant a parentibus christianis. Si Gentiles erant, ordo institutionis requirebat, ut primo primaria Theologiæ naturalis & Religionis christianæ capita traderentur, & idololatriæ vanitas detegeretur: hoc demum facto, veritas & divinitas religionis christianæ perspicue probanda, articulique præcipui christianæ religionis cum theoretici tum practici edocendi. Quem in finem, antequam hac cognitione fuerint imbuti, exempla virorum piorum V. Testamenti ad imitationem proponere potuerint catechetæ, non video. Theologiæ naturalis atque revelatæ capita eo diligentius erant inculcanda Gentilibus, quia exemplo *Clementis Alexandrini* & *Origenis* constat, eos decreta Philosophorum habuisse pro præparatione ad religionis christianæ accuratiorem cognitionem consequendam. Si judaicæ religioni erant addicti & in ea nati Catechumeni, simili fere ratione erant tractandi ac Gentiles; licet enim Judæi de divina origine V. Testamenti erant persuasi, ut & de unitate Numinis; notum tamen, ea ætate Judæos multis falsis opinionibus & ritibus fuisse addictos, quæ ope lucis, quæ ex Theologia naturali & revelata oritur, dispelli debebant. Si vero tandem Catechumeni illi erant christianis parentibus prognati, aliter infantes, aliter adultiores erant instituendi, eo ordine, eaque simplicitate, quæ in negotio gravi requiritur, de quo in sequentibus dicendi locus erit. Auctor *Constitutionum* in adducto loco dixit, Catechumenos non prius ad mysteriorum notitiam admittendos, quam cognitum perspectumque esset ei, qui baptismum administrabat, eos ab omni ruga & labecula mali immunes esse: profecto ita agendo ad finem vitæ exspectare debuissent Catechumeni plerique, antequam paulo accuratiorem religionis christianæ cognitionem

nitionem adepturi fuiſſent. *Cotelerius* ad hunc locum notat, oportuiſſe Catechumenos recitare & reddere ſymbolum. Cur vero articuli in eo comprehenſi ante baptiſmum etiam rite explicari non debuerunt? Hodie, ubi Judæus vel Gentilis religioni chriſtianæ nomen dare vult, prius per longum temporis intervallum (quæ a Miſſionariis pontificiis in utraque *India* & alibi hoc in negotio præſtentur, hic loci non examinamus) in fundamentalibus religionis chriſtianæ capitibus erudiuntur, errorumque, quibus addicti ſunt, fontes ipſis deteguntur, atque hoc demum rite peracto, ad Baptiſmum & S. Cœnæ uſum admittuntur.

Magis autem conſtabit illa Catechumenorum inſtitutio catechetica, ſi ad notiſſimam illam *diſciplinam Arcani* antiquis Chriſtianis uſurpatam attendimus. De quo tamen argumento ſtrictim agam, quoniam paulo fuſius id excuſſi in oratione de *Diſciplina arcani noſtra ætate non uſurpanda*, quæ extat *Tempe helvet.. tom. II. pag. 76. ſeq.* Apud antiquiſſimos eccleſiæ chriſtianæ Patres uti nullas deprehendis catecheticæ inſtitutionis diſertas formulas, v. gr. apud *Ignatium*, *Clementem Romanum*, *Polycarpum*, *Juſtinum M.* ita neque *diſciplinam* illam *Arcani* in uſu fuiſſe, ſufficientibus probari poteſt argumentis. *Tertulliani vero* ætate incepiſſe uſurpari, *Binghamus Antiquit. eccleſ. vol. IV. pag.* 123. edocet. Apologetici enim ſui cap. VII. edit. *Havercampii* pag. 81. ait: *Omnibus myſteriis ſilentii fides adhibetur*; Et *de præſcript. adverſus hæreticos cap. XLI.* quam maxime eos taxat, quod hanc Arcani diſciplinam aſpernentur: *Quis Catechumenus*, (inquit de iis loquens,) *quis fidelis, incertum eſt; pariter audiunt, pariter orant: etiam Ethnici ſi ſupervenerint, ſanctum canibus & porcis margaritas licet non veras jactabunt.*

Neſcio cur *Tertullianus* hæreticos, quod hac diſciplina non uterentur, incuſaverit: quo magis enim religio ſimplex & aperta eſt; quo magis religioni naturali ſunt accommodati ejus articuli, eo magis coram omnibus hi tradendi & explanandi ſunt: merx quæ emtoris oculis ſubtrahitur, ſuſpecta eſt. Non ignotum erat *Tertulliano*, Gentilium ſacerdotes, vel eo nomine myſteria ſua, id eſt fœdas ſuperſtitiones coram plebe tegere voluiſſe, ut hac ratione & auctoritatem ſuam confirmarent, difficilibuſque nugis ornamentum aliquod & decus conciliarent. Et profecto hæretici, quos *Tertullianus*, qui a *fanaticiſmo* non longe remotus erat, oppu-

gnat,

gnat, hoc in negotio orthodoxis sapientiores erant; *hinc merito reprehendit ὁ μακαρίτης celeb. Beausobre hist. crit. du Manichéïsme vol. II. pag.* 124. *Epiphanium, propterea Marcionitis insultantem, quod S. cœnam celebraverint præsentibus Catechumenis. St. Epiphane* (inquit) *réproche aux Marcionites une autre pratique, qui lui paroit trés scandaleuse.* Tout est plein de ridicule chez eux, dit ce Pére; *Pourquoi donc?* C'est qu'ils ne font pas difficulté de célébrer leurs Mystères en présence des Catechuménes. *Je trouve S. Epiphane bien moderé dans cet endroit. Il devoit plutot censurer la profanation d'une telle coutume, que le ridicule. La vérité est, que les premiers Chrétiens n'avoient point la discipline, qui fut établie dans la suite, & ne distinguoient point entre Catechuméne & Fidele: on prêchoit l'Evangile. Ceux qui l'embrassoient & qui déclaroient solemnellement, qu'ils croyoient en Jesus Christ, étoient baptisés & admis aussi-tôt à la Communion des Chrêtiens. Ils passoient de la societé des Gentils, ou de celles des Juifs, dans l'Eglise chrêtienne, sans autre cérémonie que celle de rénoncer à leurs erreurs, de confesser Jesus Christ, & de récevoir son Baptême.* Accedit quod neque Apostoli, neque successores eorum hac arcani disciplina uterentur, quod *Binghamus Lib. X. cap.* 5. *Antiquitatum ecclesiast. Albaspinæi, Albertini & Dallei* testimoniis & argumentis probat, ut de iis nihil dicam, quæ contra *Schelstratum* data opera *Tenzelius* aliique monuerunt. Quot mala per hanc methodum postmodum in ecclesiam invecta sint, norunt, qui in historia ecclesiastica hospites non sunt. *Binghamus vol. IV. antiq. eccles. p.* 124. enumerat præcipua capita, quæ secure a Catechumenis ignorari putabant publici illius ætatis Doctores. Legi illa possunt apud ipsum auctorem. Nos de singulis pauca monebimus. Et *primo* quidem, quæro, quodnam tandem mysterium latuerit in *modo baptismum administrandi?* & cum Catechumenus baptizandus tandem erat, cur natura, finis & obligatio simplicissimæ cæremoniæ non erant repræsentanda? cur ex simplicissimo ritu mysterium faciendum? an non periculum erat, ne visis tandem illis cæremoniis, in administratione baptismi adhibitis, abjecte de suis Doctoribus sentirent? Quale mysterium erat in *chrismate & unctione?* an non potius Catechumenos docere debuissent, utrum ritus ille a Christo & Apostolis ortum haberet nec ne; & si originis esset divinæ, quem tandem usum haberet hoc oleum, ad mentem vel salutari luce perfunden-

fundendam, vel ab erroribus & vitiis purgandam? ſimilia dicas de *ordinatione ſacerdotum;* profecto ſilentium in hoc negotio non alium in finem adhibitum eſſe videtur, quam ut Catechumeni poſtea crederent, θεῖόν τι huic conſecrationi ineſſe, quemadmodum hodie multi de divinis ſuis vocationibus coram plebe multa garrire ſolent. Celabant inſuper Catechumenos publicas precationes eccleſiæ, quales erant, quæ pro energumenis, pœnitentibus & fidelibus fiebant. Et quodnam tandem periculum eſſet, ſi Catechetæ privatim edocuiſſent Catechumenos, quales ſint Chriſtianorum preces publicæ; quam ſint illæ religioni & diverſo ſtatui eorum accommodatæ, dignæque, quæ ab omnibus ſumma cum attentione & devotione audirentur? an non præſtitiſſet, ſi cum cæteris auditoribus omnibus cultui ſacro intereſſe potuiſſent, & quaſi manibus palpare, puriſſima & caſtiſſima eſſe Chriſtianorum ſacra? Quid habet inſuper *modus celebrandi S. Cœnam* arcani? ritus erat, ſi modo Catechetæ ipſi finem hujus Sacramenti veramque indolem, de quo tamen non una dubitandi cauſa eſt, intelligebant, ſimpliciſſimus. Quod ſi cæremonias quaſdam adjecerunt religionis antiſtites, explicandæ erant Catechumenis potius, quam tegendæ, ne poſtea, ad celebrationem hujus ſacramenti admiſſi, vanas illas eſſe ſuſpicarentur. Denique, quare reticeri debuerit myſterium S. S. Trinitatis, prout id ſimpliciter ſine nugis platonicis & perplexis comparationibus in S. Litteris traditur, cauſam non video. Qui baptizandi erant in Nomine Patris, Filii & Spiritus S., ſcire debebant, quid nominibus hiſce ſignificetur; adultiores certe ex Gentilibus, ne forte putarent, loco aliorum, quos coluerunt, Deorum, aliis ſub nominibus, novos colendos eſſe, quantum neceſſe erat, de hoc dogmate erant edocendi. De ſymbolo apoſtolico, & oratione dominica, in antecedentibus jam verba feci. Cauſæ a Patribus hujus arcanæ diſciplinæ uſurpatæ ineptæ plane ſunt, quod pluribus oſtendi in *oratione mea* ſupra nominata pag. 101. ſeq.

IX.

Quemadmodum vero illa *Arcani diſciplina* non potuit non adultiores in varias falſas & ineptas opiniones conjicere, ita idem frequenter obtigiſſe, quam maxime probabile eſt, ubi ſplendida nomina

Huc faciunt ſplendida nomina

baptiſmo impoſita & exorciſmus.

nina baptiſmo impoſita, & deprædicatam mirificam illius vim audiebant extolli, neque tamen accepto baptiſmo ſentire miros illos effectus poterant. Idem dicendum de inepto ritu *exorciſmi*, & *ſanctitate inſtitutionis ordinis eccleſiaſtici.* Non quidem malo fine hæc inſtituta ſunt; ſed utrum prudenter hoc factum ſit, vehementer dubito, niſi velis omnes ritus, quibus ſequente ætate populus chriſtianus tantum non obrutus fuit, quique non malo animo erant inventi, hac ratione excuſare: unde judicari poteſt, quid de cl. *Binghami* verbis, quæ extant *vol. IV. antiquit. eccleſ. pag.* 135. ſit ſentiendum: „ Judæi (inquit) pariter & Gentiles, ex „ quibus recens ad fidem Chriſti converſi Catechumeni adoptabantur, chriſtianæ religionis, ſplendidis iſtis cæremoniis, quibus „ aliæ religiones abundabant, deſtitutæ, nuditatem ſimplicitatemque facile poterant videre. Chriſtiana religio nonniſi lavationem in „ aqua, & panis ac vini oblationem tot cruentorum ſacrificiorum „ loco præſcribebat. Ne igitur harum paucarum cæremoniarum „ ſimplicitas Catechumenorum mentes, præjudicatis opinionibus „ imbutas, offenderet, antequam de illis ſatis eſſent inſtituti, „ Doctores chriſtiani hæc myſteria grandibus & magnificis ornabant „ titulis, talibus videlicet, qui hominum mentibus præclaras cogitationes de ſpirituali eorum effectu inſpirare poterant, reliquis „ nominibus, ne iſtarum rerum ſimplicitate offenderentur, occultatis. De euchariſtia ſi loquebantur, nunquam panis & vini, ſed „ ſacrificii corporis ac ſanguinis Chriſti injiciebant mentionem: Et „ baptiſmum vocabant illuminationem & vitam, ſacramentum fidei ac remiſſionis peccatorum; pauca interim verba de externo „ aquæ elemento facientes. Hæc una ratio erat, cur catechumenis „ ſacramentorum negarent conſpectum, & ſemper myſtico dicendi „ genere coram ipſis uterentur. „ Hactenus *Binghamus.* Perſuaſiſſimus ſum, non ita locuturos fuiſſe de hoc argumento *Tillotſonium*, aut *Clarkium*, hiſque magnis viris ſimiles, qui nihil magis in ritibus & dogmatibus religionis chriſtianæ admirabantur, quam eorum ſimplicitatem. Profecto fieri aliter per uſum hujus diſciplinæ non potuit, quam ut plerique baptizati externis illis cæremoniis incredibilem vim tribuerent, aut cum poſt baptiſmum nihil tale in ſe experiundo deprehenderunt, de ſinceritate Catechetarum addubitarent, vel denique in fanaticas inciderent opiniones. Baptiſmus

primo

primo vocabatur *abſolutio peccatorum*. Hanc vim multi, meliora non edocti, ipſi aquæ ſine dubio tribuebant. Imo fuerunt, qui cum ipſo baptiſmo Spiritum S. conjunctum eſſe dicebant. *Cotelerius* in notis ad librum tertium *conſtitut. apoſt.* cap. IX. provocat ad *Rigaltium*, qui ad *Cyprianum* pag. 134. hæc habet: „ Et ideo cum „ ſalus noſtra in baptiſmate Spiritus, quod plerumque cum baptiſ- „ mate aquæ conjunctum eſt, ſit conſtituta, ſi quidem per nos „ baptiſmus tradetur integre & ſolemniter, & per omnia quæ ſcrip- „ ta ſunt adſignetur, atque ſine nulla illius rei ſeparatione trada- „ tur. „ Vocabant baptiſmum παλιγγενεσιαν, id eſt, ut *Binghamus* explicat, *novam nativitatem ex morte peccatorum in vitam juſtitiæ.* Provocat *Binghamus* inter alia ad locum *Cyrilli Hieroſolymitani* & *Gr. Nanzianzeni.* Prior ita loquitur: *Μέγα τὸ πρoκείμενον βάπτισμα, αἰχμαλώτοις λύτρον, ἁμαρτημάτων ἄφεσις. Θανατὸς ἁμαρτίας. παλιγγενεσία ψυχῆς.* Poſterioris verba hæc ſunt: *Δῶρον καλοῦμεν, χάρισμα, βάπτισμα, χρίσμα, φώτισμα, ἀφθαρσίας ἔνδυμα, λυτρὸν παλιγγενεσίας, σφραγίδα, πᾶν ὅτι τιμιον.* Quid tandem aliud ex hiſce baptiſmi appellationibus colligere poterant Catechumeni, quam hoc nimirum; inuſitatam quandam lucem, & incredibilem rerum divinarum notitiam, cum ſingulari animorum mutatione & inſigni efficacia, accepto baptiſmo, conjunctam fore? Vocabatur inſuper baptiſmus ille externus φωτισμος. Cl. *Binghamus* colorem aliquem exaggerationibus Patrum conciliaturus, tres adfert rationes, cur baptiſmo hanc tribuerint appellationem, quæ tamen mihi minus firmæ videntur. Prima eſt: *quod cum baptiſmus primam lucem conferat, omnium divinarum illuſtrationum principium exiſtat, ex effectu illuſtrationis nomine celebretur.* At 1°. quæro, quomodo baptiſmus ipſe primam lucem conferat. Cognitio ſalutaris doctrinæ poteſt metaphorico ſenſu dici lux, ſed baptiſmus ipſe, id eſt immerſio in aquam, nulla ratione lux appellari meretur? quomodo ex *effectu*, φωτισμος appellari poteſt baptiſmus, cum non in baptiſmo, ſed poſtea demum inſignis ille fructus, neſcio cujus inſolitæ illuminationis opera, exſpectari debuit. Secunda ratio eſt: *fortaſſis ita etiam vocari potuit*, (inquit) *eo quod baptizati nunc ad omnes myſticas partes & reconditam notitiam religionis admitterentur, quæ ex diſciplina eccleſiæ illis, dum eſſent Catechumeni, celabantur.* Revera hoc idem eſt ac ſi dicas, diſcipulum vocari poſſe eruditum,

 quan-

quando præceptori ſeſe applicat, vera diſciplinæ, quam excolere vult, principia percepturus. Quomodo quæſo illuminati dici poterant Catechumeni, qui accepto demum baptiſmo præcipuorum religionis chriſtianæ articulorum notitiam ſibi comparare debebant? *Forte etiam* (hæc *tertia* ratio eſt *Binghami*) *reſpectus quidam habitus eſt, ad plenam Spiritus S. effuſionem per donum linguarum, cognitionis prophetiæ, quod ævo apoſtolico per impoſitionem manuum ab Apoſtolis in ipſo baptiſmo impertiebatur.* At hæc non conveniunt cum locis Patrum, ad quæ ipſe provocat, in quibus cum ipſo baptiſmo hæc inſignia beneficia conjuncta eſſe dicuntur. Certe tertio & quarto ſeculo, ubi maxime vigebat illa diſciplina Arcani, & magnifice Patres de uſu baptiſmi ſentiebant, dona illa extraordinaria, de quibus *Binghamus* loquitur, jam ceſſaſſe omnibus conſtat, qui hiſtoriæ eccleſiaſticæ gnari ſunt. Pone vero floruiſſe adhuc dona extraordinaria in eccleſia, num ad omnes promiſcue Chriſtianos citra ullam exceptionem pertinebant hæc beneficia? An non ex *I. epiſtola Pauli ad Corinthios Cap. XIII.* conſtat, multos Chriſtianos dono extraordinario miraculorum fuiſſe ornatos, ſed tamen non vere *regenitos* & *illuminatos*, quod tamen Patres beneficium illis *tribuebant, qui baptiſmum acceperant.* Profecto phraſes Patrum ita in hoc argumento ſunt comparatæ, ut dicendum ſit, eos aut vocibus ſignificationes adjeciſſe a nemine intelligendas; aut verum eſt, ipſi baptiſmo, per ſe ſpectato, tam inſignem adſcripſiſſe fructum. Appellabatur inſuper baptiſmus a Doctoribus illis κατ' ἐξοχὴν *Salus*, quaſi vero omnium temporum experientia non demonſtraſſet abunde, multos baptizatos, & S. etiam Cœnæ frequenter compotes factos, ſalutis tamen conſequendæ exiguam vel nullam habuiſſe ſpem. Erunt fortaſſe, qui, Patres vindicaturi, ad tritum locum *Joh. Cap. III. v. 5.* provocent; ubi Chriſtus ad Nicodemum dixerat: Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω σοι, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, ȣ̓ δύναται εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τȣ̃ Θεȣ̃. At nil propterea lucrantur Patres; diſſentiunt inter ſe circa interpretationem horum verborum interpretes, præſertim poſtquam lites de neceſſitate & efficacia baptiſmi ortæ ſunt. Illuſtris *Grotius* hic per aquam & ſpiritum intelligit aquam ſpiritualem, per figuram loquendi ſcriptoribus omnibus uſurpatam, quam Grammatici ἓν διὰ δυοῖν appellant. Eum ſecutus eſt *Witſius* in ſua Theologia, pluresve alii, variis ad

ita

ita sentiendum rationibus adducti, quas hîc non recensemus. Vide *Wolfii curas philologicas* ad h. locum. Nobis omnium optime sensum hujus loci enucleasse videntur interpretes N. Testamenti *Berolinenses* & *Clericus in additamentis ad Hammondum*. Afferamus eorum explicationem, quia *Wolfius* eorum non meminit. *Berolinensium* commentatio hæc est: *D'Eau & d'Esprit*] „ C'est à dire, que „ pour être disciple de Jesus Christ ce n'étoit pas assés de ce changement exterieur, tel que pourroit être celui, que produisoit le „ Baptême de Jean Baptiste; ou du Baptême exterieur que les „ Juifs donnoient aux Proselytes, mais qu'il falloit un changement „ interieur & réél, tel qu'étoit celui que devoit produire l'Esprit „ de Jesus Christ, qui comme une eau spirituelle & mystique devoit „ laver, & pour ainsi dire inonder ceux qui s'attacheroient sincèrement à son service. Ce sont des expressions figurées dont J. C. „ se sert, pour faire envisager à Nicodeme les difficultés du Christianisme, tant afin de lui réprocher indirectement sa timidité; „ que de peur, qu'il ne se flattât selon le naturel & le caractère „ de ceux de sa secte. „ *J. Clericus* in notis ad *Hammondum* paulo propius ad eos accedit, qui aquæ nomine baptismum intelligunt. „ Videtur Christus (inquit) voce ὕδατος alludere ad baptismum, & „ voce πνεύματος significare mutationem opinionum & morum, „ quam in Judæo fieri oportuit, ut vere Christianus fieret. „ Vide *Rom. II. 29. VII. 6.* „ Perinde est, ac si diceret, ut quispiam particeps fiat regni cœlorum, non tantum profitendum ei esse, se „ velle emendatius vivere, dum suscipit baptismum, quemadmodum faciebant Proselyti, sed etiam mutare eum oportere & sententiam & mores, quæ voce spiritus significantur. „ Vide *Marc. XVI. 16.* „ Cæteroquin quamvis Christus hîc conjungat aquam & „ Spiritum, ideo putandum non est hæc eodem loco eum habuisse. „ Cum constet ex iis, qui renati ex aqua, hoc est baptizati sunt, „ multos perire, contra vero eos, qui renati sunt e Spiritu, & „ perseverant, perire non posse. Hæc secunda nativitas per se Deo „ grata est, at prior illa sola, sine posteriore, Deo accepta esse nequit. „ At sive per aquam & Spiritum spiritualem aquam, sive baptismum & subsecutam regenerationem intelligamus, nil ponderis accedit mysticis phrasibus Patrum, qui ipsum aquæ baptismum sine aliorum beneficiorum gratiæ accessione, *regenerationem*, *illuminatio-*

nationem & *salutem* esse dixerunt. Si perspicue, & quemadmodum sentire & loqui oporteret, dixissent; necesse esse, ut, qui religioni christianæ nomina sua dare voluerint, primo christianæ religionis præcipuos articulos, doctrinam item de Baptismo & S. Cœna edocerentur; deinde missis erroribus & vitiis, quantum in homines cadit, in signum sinceræ confessionis publice baptismo eos tingi oportere, & postmodum vitam vivere tam sancta religione dignam; si inquam hæc ingeminassent, nihil esset, quod jure desiderari in hoc negotio potuisset. At verborum ampullæ & exaggerationes in re magni momenti ferri in iis, licet centies *Sancti* appellentur, non debent. Silentio prætereo alias appellationes, æque parum commodas ad designandam miram baptismi efficaciam.

Ad eandem classem refero doctrinam de *exorcismo*, quem, deficiente licet in ecclesia dono miraculorum, tamen usurpabant Doctores publici, & bonis Catechumenis persuadebant, ab una parte, eos ante baptismi usum nescio quo dæmone esse occupatos, per *Insufflationem* vero quandam & nescio quam occultam potestatem, malos illos genios per sacerdotes expelli posse. Quæ consuetudo homines sani cerebri non potuit non in varias suspiciones conjicere, religioni & pietati parum profuturas. Breviter autem de hoc argumento agemus, oculos tantum conversuri ad ea, quæ ad scopum nostrum faciunt. Et (I.) notamus, inter Judæos pariter & Gentiles fuisse homines, qui sibi imperium expellendi dæmones, & quidem prolatis certis verbis & cæremoniis adscribebant. Patet id ex Actorum capite XIX. v. 13. Cujus autem furfuris homines illi fuerint, fuse docuerunt interpretes doctissimi, *Grotius* ad *Matth. XII. v.* 27. & *Hammondus* ad *eundem locum.* Breviter eorum characterem pandunt interpretes N. T. *Berolinenses*, ita: *Exorcistes*] *C'étoient des charlatans, qui faisoient croire au peuple, qu'ils avoient le pouvoir de guérir les maladies, & de chasser les dèmons au Nom de Dieu d'Abraham, en prononçant de certaines paroles mysterieuses, & employant certaines drogues ou ingredients, à ce qu'ils prétendoient, de l'invention de Salomon.* II. Donum miraculorum duobus saltem post Christi & Apostolorum excessum seculis inter Christianos floruisse, vix dubitare nos sinunt primitivæ ecclesiæ Patrum *Justini M. Irenæi* & *Tertulliani* testimonia: At & hic prudente & accurato examine opus est. *Periculosum est credere & non credere.* Providendum, ne miraculosis

culosis & ineptis narrationibus, quæ sequentibus seculis tradebantur, colorem aliquem, contra religionem veraque miracula in Evangeliis passim narrata conciliemus, & Deistis ansam demus, religioni insultandi; ab altera vero parte scepticismus historicus non est promovendus. (*)

III. Hoc donum miraculorum adhibebant viri apostolici ad eos duntaxat curandos, qui vere a dæmonibus erant obsessi, quanquam non dubitem, multos gravibus morbis affectos, & melancholicis insultibus vehementer vexatos, insania insuper & furore correptos, (in ipso enim N. Testamento δαιμόνιον ἔχειν idem est quod *furere* & *insanire*; vide interpretes ad Joh. VII. 20. Joh. X. 20. Math. XI. 18.) inter dæmoniacos relatos fuisse: sufficiebat vero, quod tum temporis sine adhibita medicina præsentissimam attulerint viri hoc dono instructi medicinam. Nam & hoc inter dona extraordinaria referri potuit.

IV. Postquam donum miraculorum in ecclesia christiana cessavit, fuerunt tamen superstitiosi & maleferiati homines, qui aliis serio persuadere voluerunt, dona hæc adhucdum in ecclesiis christianis perdurare. Orta est infausta opinio tempore *Cypriani*, qui pius quidem erat homo, sed valde credulus. Opinio Doctorum tum temporis erat, Catechumenos nescio a quibus dæmonibus occupatos esse, & antequam baptizarentur, per exorcistam ab his malis hospitibus esse liberandos. At profecto hæc sententia ut nullis S. Litterarum locis probari potest, ita religioni parum favet & pietati. Opinio tum temporis adhuc late per orbem erat disseminata, duo esse æterna rerum principia, sibimet ipsis adversantia, bonum unum, alterum malum. An vero non facile Catechumenis adultioribus, auditis illis, quæ de *Exorcismo* tradebantur, in mentem venire potuit, cum hominibus omnibus malum hoc, si catechetis suis fidem adhiberent,

(*) „ In duabus dissertationibus de visionibus primorum christianorum specimine aliquo ostendi, qua ratione difficile hoc argumentum pertractandum esse putem. At plura ad id rite discutiendum requiri, pulchre video. Majorem, qua est sagacitate, allaturus est huic themati ut spero lucem, celeberrimus Middletonus, Universitatis Cantabrigiensis primus Bibliothecarius, prouti ex prodromo majoris operis, qui 1744. Londini prodiit, constat. Dabit certe hic liber eruditis occasionem, diligentius in hanc materiam inquirendi.

berent, inhæreret, creationem hominum malo principio, non optimo Numini esse adscribendam? Quid de sinceritate suorum catechetarum judicare debuerunt, quando peracto Exorcismo neque in mente, neque in corpore, ullam mutationem factam esse experiundo didicerunt? Et cum neque illi, qui *exorcistarum* ordinem instituerunt, neque *exorcistæ* ipsi, ullo documento probare poterant, Catechumenos malo aliquo genio occupatos, neque id si fuisset, ipsos malo huic occurrere posse, homines non plane stupidi, & ad ea quæ peragebantur attenti, nil aliud colligere poterant, quam *exorcistas* illos meros esse *histriones*.

V. Unde mira hæc & fanatica opinio, nimirum infantes omnes ante baptismum malos quosdam dæmones occupare, orta sit, non una est eruditorum sententia: Antonius *Van Dalen* in tractatu de *Divinationibus idololatricis* & de *origine Idololatriæ* hanc opinionem ortam esse putat a *Pythagoræis*, *Platonicis* & *Chaldæis*, qui omnia dæmonibus plena esse somniabant. Alii ex *Judaismo* eam repetunt. Crediderim ego, exorcistas istos imitari voluisse eos, qui dono miraculorum instructi vere dæmones e corporibus miserorum hominum ejecerunt. Profecto in S. Litteris hujus opinionis nullum est vestigium; neque pervulgata videtur fuisse apud antiquiores ecclesiæ christianæ Doctores hæc sententia. *Clemens certe Alexandrinus Stromatum lib. III. pag.* 468. tantum abest, ut hanc opinionem admiserit, ut ne quidem peccatum originale dari assereret. Dum enim in eo est, ut quosdam hæreticos, qui conjugia damnabant, & ad id probandum locis *Jobi cap. XIV.* & *Davidis Ps. LI.* utebantur, refutaret, ita loquitur: *Dicant ergo nobis ubi fornicatus est infans natus? Vel quomodo sub Adæ cecidit execrationem, qui nihil est operatus? Restat ergo eis, ut videtur, consequenter ut dicant, malam esse generationem, nonsolum eam quæ est corporis, sed etiam quæ est animæ, propter quam etiam est corpus. Et quando dixit David, in peccatis conceptus sum & in iniquitatibus concepit me mater mea: dicit prophetice quidem matrem Evam, sed Eva fuit mater viventium, & si in peccatis fuit conceptus, sed non ipse in peccato, neque vero ipse peccavit.* Ipse *Origenes* discipulus *Clementis* statum naturæ lapsæ & integræ non distinxit satis, fatente ill. *Huetio Origen.* pag. 107. *Augustinus* vero, more suo arripiens, quidquid ad defendendam suam sententiam facere potest, pluribus in locis, adductis a *Vossio in historia Pelagianismi*, peccatum originis

originis contra *Pelagium* asserturus, ad *exorcismum* provocat. Unicum adduco locum, petitum ex ejus epistola 105. ad *Sixtum*, ubi ita loquitur: *Non inveniunt, quid ad hæc respondeant, quod exorcizantur & exsufflantur infantes: hoc enim sine dubio fallaciter fit, si diabolus eis non dominatur: si autem dominatur, & ideo non fallaciter exorcizantur & exsufflantur, per quid dominatur, nisi per peccatum princeps utique peccatorum.* Profecto hebeti ingenio oportet fuisse *Pelagii* sequaces, si telum hoc *Augustini* retundere non potuerunt.

VI. Multum ad hanc opinionem tuendam, & ritum hunc retinendum contulisse puto, tum *credulitatem* quorundam Doctorum: tum ineptam *cupiditatem*, sacramentorum *vim* supra modum, ut & sacerdotum *auctoritatem* extollendi & confirmandi.

X.

Agitur de Cyrilli Hierosolymitani catecheticis institutionibus.

Pergimus jam ad antiquæ ecclesiæ Patrem, qui catecheticas institutiones scripsit, & cujus ingenii monumenta ad nostra usque delata sunt tempora. Is est *Cyrillus Hierosolymitanus*, seculi IV. scriptor. Dispiciamus qualis institutionum illarum fuerit ratio, & utrum nobilem illam simplicitatem, quam multi Patrum admiratores in primis illis seculis servatam fuisse perhibent, secutus sit nec ne. Usi autem sumus *editione Parisiensi*, per *doctissimum Ordinis Benedictini Monachum A. A. Toutteum adornata.* In præfatione operi præmissa, more plerorumque, qui in auctores veteres commentarios scribere solent, magnifice de *Cyrilli* operibus sentit *Toutteus:* „ Ad opera (inquit) quod attinet, haud dubitabo dicere, ex omnibus antiquitatis „ monumentis nihil fere ad nos majoris pretii pervenisse. Nam si „ materiam consideres, omnia religionis dogmata rudibus ecclesiæ „ filiis inculcat; decem & octo catechesibus universam Symboli do- „ ctrinam, quinque aliis tria baptismi, confirmationis, & eucharistiæ „ sacramenta complectitur; quod opus eo majoris momenti, „ quod cum aliorum Scriptorum catecheses una aut altera concio- „ ne contineantur, Cyrillianæ seriem hujusmodi concionum in u- „ num veluti corpus redactam habeant. Si rerum pertractandarum „ rationem spectes, nihil ad vulgi captum accommodatius, dilucide „ & copiose singula dogmata rationum momentis, Scripturæ sen- „ tentiis, contra Judæos & hæreticos demonstrat, ac sepositis theo-

„ logicis vocibus, res e media Theologia repetitas, Scripturæ ver-
„ bis & usitato sermone differit. „ Ita doctissimus *Toutteus*. Profecto satis magnifice de suo *Cyrillo* sentit: Si ad easdem regulas exegisset suum de *Cyrilli* actionibus & eruditione theologica judicium, ad quas merito eas referendas existimavit cl. *Clericus*, in aliquot recensionibus vitarum Patrum, forsan magis sincerum de eruditione & meritis scriptorum *Cyrillianorum* tulisset judicium. At plerisque in more positum est, Patres delineare, non quales fuerunt, sed quales eos fuisse optarent. (2.) *Simplices* sunt, si *Toutteum audias*, *Cyrilli catecheses*, & ad vulgi captum accommodatæ. Nescio an vulgi ingenia in Gallia subtiliora sint ac in aliis regionibus; sed hoc scio, vulgum controversias non intelligere. Noster vero *Cyrillus Paganos*, *Judæos* (hebraicæ licet linguæ expers) & *hæreticos* impugnavit, in suis catecheticis institutionibus. Utrum hoc ad simplicitatem theologicam spectet, aliis dijudicandum relinquo. Sect. II. perhibet *Toutteus*, *Cyrillum sacramentorum vim*, *præsentiam realem*, *transsubstantiationem*. *& sacrificium eucharisticum strenue asseruisse*. Nec hoc tantum tuetur, sed & contra *Rivetum* & *Albertinum* insurgens sect. decima perhibet, non memorata duntaxat dogmata, sed & *doctrinam de suffragiis Sanctorum & precibus pro mortuis strenue insinuasse*. Non quæram, utrum hæc recensita dogmata in scriptis *Cyrilli* tam perspicue reperiantur; data opera contra *Toutteum* contrarium probare aggressus est *rever. Deilingius*, *Observ. sacr. Tom. IV. dissertat. secunda*, quem videant, qui de hisce solliciti sunt. Quod ad doctrinam vero Cyrilli de S. Cœnæ natura spectat, vide *celeb. Pfaffii* dissertat. apologeticam de sententia *Cyrilli* in articulo de S. Cœna. Neque etiam mihi animus est Patrum sententias ad meum accommodare systema. Si vel *Ignatius*, vel *Polycarpus*, transsubstantionem credidissent, non magis monstroso dogmati subscribere possem, quam si *Cyrillus* vel *Pontifex* aliquis *Romanus* id credidisset. Interim ex hoc saltem argumentum peti potest, qualis illa *Cyrilli* fuerit theologia, & quales bonis illis Catechumenis theologiæ articuli in juventute fuerint inculcati. Confirmant nos in hac sententia, quæ in vita *Cyrilli* pag. 87. sect. 84. de eodem narrat *Toutteus*:
„ Religione (*inquit*) summa omnes usus & ritus ecclesiæ suspexit. Ma-
„ gnifica sunt, quæ de vi exorcismorum, exorcisatarumque rerum,
„ uti aquæ, olei, chrismatis, deque habenda in signo crucis, uti ad
„ multa

„ multa potentiſſimo, fiducia, ac de Sanctorum reliquiarum vi & „ efficacia paſſim diſſerit. Ex illo eccleſiæ amore natum illud hæ„ reticorum odium, quod ubique magno ſtudio præcipit & incul„ cat. „ Hic & ſuum *Toutteus* & *Cyrilli* ingenium depingit. Utrum tales ad ſimpliciſſimas & utiliſſimas religionis chriſtianæ veritates tradendas apti ſint, judicent omnes, qui a partium ſtudiis ſunt remoti. Et ſi hæc omnia diligenter inculcavit *Cyrillus*, an non manifeſtum eſt, nonſolum erroneas opiniones, ſed & ſuperſtitioſos ritus, bonis Catechumenis inculcatos fuiſſe? Ita vita *Cyrilli* ſect. X. iterum monet *Toutteus*, eum eccleſiaſticam doctrinam in catecheſibus contra omnes eccleſiæ hoſtes, *Gentiles*, *Samaritas*, *Judæos* & *hæreticos* defendiſſe. Quam utilitatem Catechumeni ex his controverſiis perceperint, judicent omnes qui ſapiunt. Diſſertat. II. cap. VI. exponit *Toutteus*, qualis fuerit *Cyrilli* exponendorum dogmatum ratio & ſtylus. De priore ita loquitur: „ In exponenda fide hæc ejus „ methodus eſſe ſolet, ut primo oppoſitam doctrinam referat, tum „ catholicam illi veritatem objiciat, eam neceſſariis Scripturarum „ aliorumque argumentorum præſidiis muniat, deinde adverſan„ tium objecta confutet. Ordinem hunc aliquando perturbat, ab „ objectionum diſſolutione incipiens: ſed hæc omnia præſtare nun„ quam omittit. Neceſſarium exiſtimavit, una cum catholico dog„ mate contrarios omnes Gentilium, Judæorum & maxime Hæreti„ corum ſenſus aperire, ut eo documento præmuniti auditores, „ nunquam in eos ignorantia præcipitari ſe paterentur. „ Mira hæc erat Catechumenos inſtituendi ratio: Catechumenos celabant præcipua religionis capita; ſimul vero tam acuto debebant eſſe ingenio, ut *Paganorum*, *Judæorum* & *Hæreticorum* ſententias nonſolum intelligere, ſed & profligare poſſent. Pag. 130. editor & commentator ait: „ Eum præcipuis dogmatibus ex teſtimoniis Veteris Te„ ſtamenti depromtis uſum fuiſſe, & quidem ex ſeptuaginta Senio„ rum interpretatione, quam divinitus inſpiratam eſſe putaverit, ne„ que ad vim hebraici textus expendiſſe. Hoc vero commune fuiſ„ ſe illi cum cæteris græcis & latinis Patribus vitium. „ De vitio hoc nil dicam. At hoc moneo, ſi *Cyrillus* prima religionis chriſtianæ elementa perſpicue & ſimpliciter tradere voluiſſet, non opus fuiſſet multorum teſtimoniorum, e Veteri Teſtamento petitorum, inductione. Omnes quotquot intelligunt quid ſit Catechumenos in-

 ſtituere,

ſtituere, fatebuntur, (quanquam & hoc in orationibus ſacris ad populum obſervandum ſit,) ſtylo utendum eſſe planiſſimo, ita quidem, ut non poſſint non auditores verborum ſenſum intelligere. *Toutteus* laudat *Cyrilliani* ſtyli ſimplicitatem. Simul vero candide hæc vitia orationis in eo notat, dicens: „ Improprias quandoque „ aut ſaltem improprie conſtructas voces adhibet. Eodem verbo „ ſæpe diverſo ſenſu utitur in variis locis. Longas non raro & „ implicatas periodos habet, nec aliis fere conſtat ejus ad Conſtan- „ tium epiſtola. Pendet aliquando conſtructio, inchoata nec abſo- „ luta periodo, v. gr. Catech. 20. n. 6. verbis ἀκριβῶς ἰδιότων ἡμῶν „ abſoluto caſu poſitis, nihil poſtea reſpondet. Idem fere obſer- „ ves epiſt. ad Conſtant. n. 5. Simile quidpiam habes Catech. VI. „ n. 6. ubi poſito ἔτι ἐν initio numeri multa diſcurrit, tandem diu „ ſuſpenſam orationem abſolvit verbis in fine numeri adſcriptis, τοῦτο „ μὲν ἐν σοι. Parentheſibus crebris gaudet, iiſque aliquando proli- „ xis. Digreditur non raro, ſed legitima ut plurimum oblata occa- „ ſione. Habetur in ejus ad paralyticum homilia digreſſio prolixior, „ in qua pene oblitus propoſiti ſui videtur. „ En confeſſionem ingenuam! En catechetæ, ſi Diis placet, egregiam imaginem! Fontem hujus vitii ibidem detegit *Toutteus* dicens: „ Quæ in Cyrillo „ ſermonis vitia notavi, cauſam hanc habere poſſunt, quod non „ antea ſcripto digeſſerit, ſed ex tempore fuderit catecheſes. Hinc „ initio fere omnium extat vox σχεδιασθεῖσαι ex tempore pronuntiata. „ In ipſis catecheſibus non pauca deprehendas extemporalis oratio- „ nis indicia. Primum eſt perturbatus plerumque ordo dicendi. „ Dum ſymboli verborum, aut dogmatum vel temporum continua- „ tio, vel Scripturarum quas recenſet, aut eccleſiaſticarum cære- „ moniarum explicandarum ſeries orationi quendam modum & ordi- „ nem præfigebant, ſatis diſtincta & ordinata oratio eſt. At ubi „ hoc dirigendæ orationis ſubſidio deficiebatur, plerumque nullo ſer- „ vato ordine excurrit, prouti menti ſe offerebant præmeditatæ res „ unamquamque pronuntians. „ Hæc deinde multis exemplis comprobat. In antecedentibus probavimus, *diſciplinam Arcani* in eccleſiis chriſtianis uſurpatam fuiſſe, & Catechumenis myſteria non explicata; docuimus inſuper, a *Cyrillo* in catechiſationibus impugnatos *Gentiles*, *Judæos* & *Hæreticos*, eumque ſimplicitatem ſtyli ſæpiſſime neglexiſſe. His jam accedit, nullum eum in docendo plerumque

ſervaſſe

ſervaſſe ordinem, ſed more pleriſque Patribus uſurpato, loca Scripturæ parum probantia frequentiſſime attuliſſe. Ex his facile quiſque ſine magna artis ratiocinandi peritia colligere poterit, quam aptus fuerit. *Cyrillus* ad defungendum officio catechetæ, & quem fructum Catechumeni ex his inſtitutionibus capere potuerint. Addamus alia quæ hoc ipſum confirmant. Audi quomodo eos, qui mox baptizandi erant, in *procatecheſi* alloquatur. Ἤδη (inquit) *μακαριότητος ὀσμὴ πρὸς ὑμᾶς ὦ φωτιζόμενοι, Ἤδη τὰ νοητὰ ἄνθη συλλέγετε πρὸς πλοκὴν ἐπουρανίων στεφάνων. Ἤδη τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου ἔπνευσεν ἡ εὐωδία; Ἤδη περὶ τὴν πρόαυλιν τῶν βασιλείων γεγόνατε.* i. e. *Vos jam adſlat beatitudinis odor, O* ILLUMINANDI! *Jam flores ſublimioris naturæ colligitis ad plectendas cæleſtes coronas. Jam Spiritus Sancti adſpiravit fragrantia. Jam circa veſtibulum regiæ conſtitiſtis.* *Toutteus* in notis ad hunc locum hæc habet: Hic *allegoria continetur ex diſſimilibus conflata metaphoris, cujus argumentum ſumſit auctor ex libro Canticorum ſibi plurimum familiari. Spiritualium florum intelligere odor poteſt apertam jam illuminandis Scripturarum ſacrarum doctrinam, quas eos ad utilitatem deflorare jubet, Catech. IX. n. 13. Spiritus vero Sancti fragrantiam appellat vel proximum ejus adventum, quem ſuaviſſimo plenum odore dicit Catech. XVI. n. 16. vel etiam primum ejuſdem per inſufflationes exorciſmorum inſpirati, & in auditorum cordibus inhabitantis domum.* De ipſa *Touttei* qualicunque explicatione nil dicam: quæro tantum ex homine non plane ſermonis & rerum divinarum imperito, utrum *Catechumeni* metaphoricarum harum phraſium congeriem intelligere potuerint? Imo ne ipſe quidem Cyrillus quid garriret intellexiſſe videtur. At ex allegorizantium, & rethoricantium ſententia quidlibet poteſt ex quolibet extundi. Sect. VI. de *exorciſmo* agit, & his utitur verbis: „ Feſtinent pedes tui ad catecheſes. Exorciſmos cum affectu ſuſcipe: „ ſive inſufflatus, ſive exorciſatus fueris, ſaluti tibi res illa futura „ eſt. Abſque exorciſmis anima expurgari nequit: divini illi ſunt „ ex divinis Scripturis collecti. „ Occaſione poſtremorum *Toutteus* egregiam hanc ſcilicet affert obſervationem; „ Ex Scripturis collectos, ait, exorciſmos, quo evitabatur illud vitium, ab Athanaſio in „ epiſtola ad Marcellinum de Pſalmis num. 33. in quibuſdam caſtigatum, qui omiſſis Scripturæ verbis, dæmonum cohorti propter „ Dominum in iis præſentem intolerabilibus, cum aliunde adſcitas „ verborum formulas ad perſuadendum compoſitas adhiberent, ſe

 „ dæmoni-

„ dæmonibus deridendos offerebant. Salutaria illa in exorcismis „ verba continebant increpationes diaboli, quibus exorcizans energumenos cum diabolo luctabatur, orationem & invocationem nominis Dei, quæ tum in exorcismo energumenorum, tum in „ exorcismo olei adhibebantur, ex quibus de exorcismo baptizandorum legitima conjectura est; invocationem Crucifixi & crucis „ signum. Adhibebatur insufflatio cum ad significandam vim Spiritus „ S. cujus virtute fiebant exorcismi hic & Catech. XVI. n. 18. „ tum in contemti & ejecti & adusti dæmonis signum, tum ad delenda & tollenda peccata; hic & Catech. X. n. 3. Atque hæc insufflatio in faciem & in aures trina erat, effugandi potissimum dæmonis & purgandæ a peccatis animæ causa fiebat. Credebatur „ enim in nondum baptizatorum membris nidulari adversarias potestates, & ut hodie credit & profitetur utraque ecclesia, (græca „ & latina) & hominem ad baptismum usque peccati & diaboli tyrannidi subjacere. Hinc efficacissimum ab exorcismis & insufflationibus erga infantes adhibitis peccati originalis argumentum. „ Profecto nescio, utrum magis *Cyrilli* an *Touttei* credulitatem admirari, imo potius risu excipere debeam. Nemo non videt, tot ineptis opinionibus & ritibus religionem christianam fœdatam & obscuratam jam tum temporis fuisse, ut nulla verisimilitudinis species adsit, Deum in talis religionis gratiam miracula patraturum. Quod si nulli vere obsessi tum temporis fuerunt, & nullis fundamentis superstructa opinio de dæmonum habitatione in corporibus humanis ante acceptum baptismum, quid aliud erat a sacerdotibus usurpatus ritus quam mera *histrionia?* Mirum certe, qua ratione Gentilis, serio expensis his omnibus, nomen dare religioni christianæ potuerit, præsertim cum, uti ex vita *Plotini*, aliorumque Platonicorum scriptis pateat, eos innumeros dæmones dari, & Philosophis per occultam quandam magiam potestatem in illos concessam fuisse existimarint. Sect. X. catechesium utilitatem ita probat: *Perseveres in catechesibus, etiamsi nostra prolixior futura sit oratio, tu ne unquam animo deficias. Arma enim accipies contra adversariam potestatem, arma capies contra hæreses, contra Judæos, Samaritas & Gentiles. Multos habes hostes, multa tela accipe, cum pluribus jaculo decertas; addiscendum tibi quomodo transfigas Græcum; quomodo pugnes contra Hæreticum, contra Judæum & Samaritam. Et arma*

quidem

quidem parata ſunt, gladius vero Spiritus ampliſſimus, manus autem contendere oportet, per bonam voluntatem, ut bellum Domini prælieris, ut oppoſitas poteſtates debelles, ut invictum te ab omnibus Hæreticorum molitionibus præſtes. Nimirum hoc Doctore & his auxiliis opus erat, ut Catechumeni ignotas hominum illorum ſententias & opiniones agnoſcerent & refutarent. Quid magis autem ineptum eſt, quam ab eo poſtulare refutationem errantium, qui nondum ſcit, quibus ſua ſententia inſtructa ſit rationibus? Sect. XII. iterum commendat ſilentium ſacrum myſteriorum coram Catechumenis. In catecheſi *tertia* de baptiſmo ita *rethoricatur* de ejus præſtantia, ut perſuaſus ſim, nullum auditorum intellexiſſe, quid his verborum ampullis ſibi vellet Catecheta Hieroſolymitanus. Audi B. Lector declamatoris verba: „ Lætamini cœlum & exaltet terra, propter „ eos, qui adſpergendi ſunt hyſſopo & mundandi hyſſopo intel- „ lectuali, virtute illius, qui tempore paſſionis hyſſopi & arundi- „ nis opera potatus eſt. Ac cœleſtes quidem virtutes gaudeant: „ animæ vero, qui intelligibili ſponſo copulandæ ſunt, ſe præpa- „ rent, vox enim clamantis in deſerto: parate viam Domini. Res „ enim non parva agitur, non corporum ſucta ac temeraria conjun- „ ctio, ſed Spiritus omnia perſcrutantis ſecundum fidem cujuſque „ facta delectio. Nam mundana connubia & conventiones non om- „ nino cum judicio fiunt; ſed ubi vel divitiæ vel formæ præſtantia „ reperitur, illuc ocyus ſponſus inclinat; hic contra, non ubi cor- „ porum pulchritudo, ſed ubi animæ repræhenſionis expers con- „ ſcientia eſt: hic non damnatus mammonas, ſed animæ opes ex „ pietate comparatæ expetuntur. „ Profecto ſi quis hodie ita de baptiſmo garriret, merito pro homine haberetur fanatico, & tamen multi hæc admirantur; contra eos vero, qui plano ſtylo proponi religionis articulos vellent, carpunt. Alii modernos, qui iiſdem ampullatis rethoricationibus utuntur, laudant, & pro inſignibus habent Oratoribus ſacris; neque id mirum: judicia enim plerorumque hominum ambulatoria ſunt, quia quid pulchrum ſit in oratione, ut plurimum ignorant. Æque egregia ſunt, quæ ſect. V. reſpondet ad quæſtionem, cur per aquam baptiſma adhibeatur: „ Quod ſi quis ſcire avet (*inquit*) quamobrem per aquam, non au- „ tem per aliud elementum, gratia datur, divinas Scripturas re- „ volvens inveniet. Magnum quiddam eſt aqua, & ex quatuor „ con-

„ conſpicuis mundi elementis pulcherrimum; Angelorum habitatio „ cœlum eſt, atqui ex aquis ſunt cœli; terra hominum ſedes eſt; „ atqui ex aquis etiam terra, & ante omnem creatarum rerum formationem ſex diebus elaboratam; Spiritus Dei ferebatur ſuper „ aquam. Principium mundi aqua: principium Evangeliorum, „ Jordanis &c. „ Tædet plura tranſcribere, quia firmiter credo, adhibito in baptiſmo vino, oleo, cereviſia, lacte, aut alio liquore, *Cyrillum* æque graves reperturum fuiſſe rationes, cur baptiſmus ob has, non alias rationes inſtitutus fuerit.

In *myſtagogicis catecheſibus*, uti appellantur, agitur de ritibus poſt acceptum baptiſmum uſurpatis, de chriſmate ſacro, euchariſtia, exorciſationibus &c. quarum cæremoniarum utilitatem & efficaciam mirum in modum extollit: de quibus plura dicere animus non eſt. Ex his, quæ ex *Cyrillo* adduximus, cuivis poteſt eſſe manifeſtum, quantus Catecheta fuerit *Cyrillus*, & quam ſimplices, genioque Catechumenorum adaptatæ fuerint hujus Patris inſtitutiones catecheticæ.

XI.

Judicium de libello Auguſtini de catechizandis rudibus.

Inter eos, qui in primitiva eccleſia de inſtituendis catecheticis laboribus quam maxime ſolliciti fuerunt, viri docti referunt *Auguſtinum*, eoque nomine potiſſimum provocant ad libellum ipſius, quem in gratiam *Diaconi Carthaginenſis*, *Deogratias* dicti ſcripſerat. Pauca adhuc de eo libello agendum eſt, antequam de ſimplicitate inſtitutionis catecheticæ mentem noſtram aperimus. Editione uſus ſum *Pariſienſi*, ſtudio *Monachorum Ordinis Benedictini anno ſuperioris ſeculi* 85. *adornata*. Argumentum hujus libelli ita ſuppeditant Editores: *Rogatus Auguſtinus a Diacono Carthaginenſi, catechizandi artem docendam ſuſcipit: ac primo præcepta tradit, ut id officii non tantum certa methodo atque idonea ratione, ſed etiam ſine tædio & cum hilaritate impleatur. Poſtea revocatis ad uſum præceptis, profert ipſe in exemplum ſermones, ad eum erudiendum, qui Chriſtianus eſſe velit, comparatos duos, longiorem unum, alterum breviſſimum.* Optandum eſſet, ut ipſa epiſtola hujus Diaconi ad noſtram uſque ætatem fuiſſet ſervata. Melius enim hunc libellum intelligeremus; jam vero non ſemel hæſitamus, quem in finem hæc vel illa fuerint in medium prolata.

Videtur

Videtur autem initio ſtatim hujus libelli ſuæ in arte cogitandi & loquendi peritiæ diffidere *Auguſtinus :* ita enim primo capite loquitur : ***Sed quod ad tuam proprie conſiderationem pertinet, nolim te moveri ex eo, quod ſæpe tibi abjectum ſermonem faſtidioſumque habere viſus es. Fieri enim poteſt, ut ei, quem inſtruebas, non ita ſit viſum, ſed quia tu aliquid melius audire deſiderabas, eo tibi, quod dicebas, videretur indignum auribus aliorum. Nam & mihi prope ſemper ſermo meus diſplicet. Melioris enim avidus ſum, quo ſæpe fruor interius, antequam eum explicare verbis ſonantibus cœpero ; quod ubi minus, quam mihi natus eſt evaluero, contriſtor linguam meam cordi meo non potuiſſe ſufficere. Totum enim quod intelligo, volo ut qui me audit intelligat ; & ſentio me non ita loqui, ut hoc efficiam ; maxime quia ille intellectus quaſi rapida corruſcatione perfundit animum, illa autem locutio tarda & longa eſt, longeque diſſimilis ; & dum iſta volvitur, jam ſe ille in ſecreta ſua condidit.*** Putares *Auguſtino* ſermonem eſſe de hominibus, qui aliis uterentur linguis ; quod ſi ita fuiſſet, aliorum inſtitutioni commendandi erant Catechumeni. At ſi lingua utriſque nota tradenda erant prima doctrinæ chriſtianæ elementa, neſcio cur reſpectu ſermonis tam ſollicitus eſſe debuerit. Sect. IV. hujus capitis vult, ut catecheta ſine faſtidio & hilariter præcepta religionis tradat. Utrum hæc ignoraverit, nec ne, *Deogratias*, ignoro. Loca, quæ ad hoc probandum adducuntur, ex *prima epiſtola ad Corinthios*, nil ad rem faciunt, uti inſpicienti patebit. Eadem ſectione narrat, de quibus in hoc libello capitibus acturus ſit. *Itaque* (inquit) ***prius de modo narrationis, quod te velle cognovi, tum de præcipiendo & cohortando, poſtea de hac hilaritate comparanda, quæ Deus ſuggeſſerit, diſſeremus,*** Si veram inſtitutionis catecheticæ imaginem Diacono huic voluiſſet repræſentare, longe aliter inſtituenda fuiſſet oratio & argumenti diviſio. Incipit ergo capite tertio exponere, qualis eſſe debeat *narratio plena*, cum Catechumeno communicanda. *Narratio* (inquit) ***plena eſt, cum quiſque primo catechizatur ab eo quod ſcriptum eſt: In principio fecit Deus cælum & terram, uſque ad præſentia tempora eccleſiæ.*** Summatim tamen cuncta eſſe complectenda, ita ut *eligantur quædam* ut ait *mirabiliora*, quæ *ſuavius* audiuntur. Sermo eſt, ut ex initio libelli patet, de inſtruendis rudibus in primis religionis chriſtianæ elementis. His ſuadet commendari hiſtoriam ſacram V. & N. Teſtamenti, fataque eccleſiæ ad ſua uſque tem-

tempora. Si Diaconus ille compendium aliquod *catechismi historici* ex S. Litteris deprompti tradere voluit suis Catechumenis, non improbaverim consilium *Augustini*, nam & nostra ætate à viris præstantissimis tales catechismi scripti sunt. At cum agatur de rudibus, de primis articulis, iisque simplicissimis religionis naturalis & revelatæ, sollicitum esse ante omnia oportuit illum Diaconum, incipiendumque a demonstratione veritatis religionis christianæ, methodo rudium ingeniis attemperata, quo facto authentia Scriptorum V. & N. Testamenti tradenda fuisset. In gratiam vero non rudium sed profectioris ætatis Catechumenorum longe plura & graviora inculcanda erant.

Sect. 6. monet: *Veteres Scripturas propter commendandum Christi adventum, cujus finis sit caritas, legendas:* non intercedo: at quomodo amorem hunc Jesu Christi, in V. Testamento promissi, deprædicare possunt rudes, nisi jam antea de ejus persona, statu & officiis bene sunt persuasi? necesse igitur est, ut præcedat solida primariorum religionis christianæ articulorum cognitio. *Ineptam allegoriam de Jacobo*, manum prius, dum nasceretur, ex utero emittente non recitabo. Si hanc interpretationem pro argumento habuit Diaconus ille, turpiter erravit. Quæ de amore dicuntur in hac & seq. sectione nil faciunt ad rhombum.

Cap. V. monet, *accedentem ad catechismum scrutandum, quo fine velit fieri Christianus.* Hæc sine dubio de adultioris ætatis homine sunt intelligenda. Juvenis enim nondum elementa religionis christianæ edoctus, amplecti eam ob graves causas non poterit, cum rationes ex ipsius rei accuratiore cognitione sint petendæ. Adultiores vero instar *Proselytorum*, optimo fine religioni christianæ nomen se daturos sine dubio clamabunt; quanquam liberali promissioni sæpe non respondeat eventus. Eodem cap. iterum monet, exordium catechismi & narrationem ab historia creationis mundi usque ad suam, qua vixit, ætatem esse repetendam. Quid de hoc sentiam, jam in superioribus aperui.

Narratione finita (ita loquitur *Augustinus initio Cap. VII.*) *spes resurrectionis intimanda est, & pro capacitate & viribus audientis, proque ipsius temporis modulo, adversus vanas irrisiones infidelium de corporis resurrectione tractandum, & futuri ultimi judicii bonitate in bonos, severitate in malos, veritate in omnes, commemoratisque cum*

detesta-

deteſtatione & horrore pœnis inferorum, regnum juſtorum & fidelium & ſuperna illa civitas ejusque gaudium cum deſiderio prædicandum eſt &c. Ego vero de momento articulorum reſurrectionis noſtræ, & futuro judicio, diverſoque hominum poſt hanc vitam ſtatu; monendos etiam puto Catechumenos; at quomodo, & quo cum fructu in gratiam rudium irriſiones infidelium repræſentari poſſint & debeant, cauſam non video. Hoc præſtandum in gratiam eorum, qui de divina origine religionis chriſtianæ jam ſatis ſunt perſuaſi: His variis argumentis monſtrandum, non ſolum poſſibile eſſe, ut mortui in vitam revocentur, ſed & poſita divina origine religionis id eventurum eſſe neceſſario oſtendendum; provocandumque ad Paulum *I. Epiſt. ad Corinthios* ample de hoc argumento diſſerentem.

Cap. VIII. diſquirit *Auguſtinus*, quomodo eruditi catechizandi ſint. Loquitur de homine (ut verbis ipſius utar) *liberalibus diſciplinis exculto*, & in ſcriptis Chriſtianorum, ſive ortodoxorum ſive heterodoxorum, verſato ſatis. Hunc interrogandum eſſe monet *Auguſtinus*, quibus tandem cauſis permotus ſit, ut velit eſſe Chriſtianus. *Auguſtinus* quærendum ex ejuſmodi homine eſſe putat, utrum cognitionem ſuam adquiſiverit, ex lectione librorum canonicorum, vel ex aliis monumentis Scriptorum eccleſiaſticorum. Cum experientia conſtet, Proſelytos, ut plurimum parum accurate perſpectos habere Eccleſiæ, cui ſeſe addicere volunt, religionis articulos, & in fundamentalibus articulis religionis chriſtianæ utplurimum non ſatis verſatos eſſe; ab ejuſmodi Proſelyto poſtulaſſem, (1.) ut mihi probaret & veritatem & divinam originem religionis chriſtianæ: (2.) αὐθεντίαν V. & N. Teſtamenti librorum: (3.) ut exponeret, quosnam tandem articulos primarios religionis chriſtianæ eſſe exiſtimaret: (4.) Hoc poſito videndum utrum quoſdam graves articulos religionis negaret, nec ne: Si prius, placide & ponderoſis argumentis in viam veritatis fuiſſet reducendus; ſi in minoris momenti articulis erraſſet, tolerandus erat, & ad ſeriam lectionem S. Litterarum amandandus. At hæc omnia nihil faciunt ad genuinam imaginem inſtitutionum catecheticarum nobis repræſentandam. Admiſcet in hoc capite quædam *Auguſtinus*, quæ attentione digna ſunt. Loquitur de homine litteris exculto, & religionis chriſtianæ gnaro ad baptiſmum admittendo, qui ex variis ſcriptis Doctorum eccleſiaſticorum ſuam hauſerit rerum divinarum peritiam. *Si* (inquit) *in ali-*

cujus haeretici volumina incurrit, at nesciens forte, quod vera fides improbat, tenuit animo, & catholicum esse arbitratur, sedulo edocendus est: praelata auctoritate universalis ecclesiae, aliorumque doctissimorum hominum, & disputationibus & scriptoribus in ejus veritate florentium. Non quaeram hic, utrum idea illa universalis ecclesiae sit *abstracta* vel *concreta*. Profecto primi illi Doctores ecclesiae christianae in omnibus credendi articulis non magis conspirabant quam horologia: sequentia duntaxat adducam ipsius verba, quae sic sonant: *Quanquam & illi, qui Catholici ex hac vita emigrarunt, & aliquid litterarum christianarum posteris reliquerunt, in quibusdam locis opusculorum suorum, vel non intellecti, vel sicut est humana infirmitas, minus valentes acie mentis, abditiora penetrare & veri similitudine aberrantes a veritate, praesumtoribus & audacibus fuerunt occasioni ad aliquam haeresin moliendam atque gignendam.* Utinam semper principiorum suorum fuisset memor *Augustinus*! Profecto occasionem non dedisset nostrae aetatis doctis viris, ineptas ratiunculas, quibus propugnavit dissentientes opprimere licitum esse, falsse & erudite perstringendi. Vide *Baylium* in *commentario philosophico super verba* coge eos intrare; *Phereponum*, i. e. J. *Clericum* in notis ad *Augustini* scripta contra *Donatistas* &c. & *Barbeyracium de la Morale des Peres, cap. XVI.* Cap. IX. disquirit, quomodo oratores & grammatici fidem christianam amplexuri tractandi sint. Capite vero X. & XI. de comparanda hilaritate & causis taedium adferentibus catechetis, iisdemque moderandis vel removendis agit, quae ad institutum nostrum non pertinent.

Capite XV. monet pro personarum diversitate orationes & institutiones catecheticas esse moderandas: recte hoc monet, nec quisquam de hoc dubitabit. Certum interim est, orationem concinno ordine dispositam, perspicuam & simplicem, rethoricationibus destitutam, omnium ingeniis esse attemperatam, & non minus eruditis (de vere eruditis loquor, artis nimirum cogitandi pariter ac dicendi peritis) ac indoctis placere. Certe nulla potest esse ingenio humano magis attemperata oratio, quam haecce. At hic non quaerimus, quales orationes catechetarum esse debeant; sed quomodo articuli religionis christianae in catechismis sint disponendi, idque respectu rudiorum & adultiorum. Haec vero ex *Augustini* libello, quem sub manibus habemus, non addiscimus. Idem dictum velim

de

de cap. XVI. & XVII, ubi docetur, eos, qui Christiani fieri cupiant, non requiem quærere debere in divitiis, honoribus, vel aliis oblectamentis. Quin hæc adultioribus inculcanda sint omni occasione, etiam extra tempora publicarum institutionum, dubium non est. Sed hæc cum aliqua spe felicis successus insinuari non possunt, nisi articuli religionis præcipui auditoribus probe sint noti & perspecti. Cap. XVII. incipit enarrare aliquos religionis articulos auditoribus inculcandos, nimirum creationem rerum omnium, Filium Dei hominem factum, & pro nobis mortuum. Sine dubio hæc tradenda; at in eo solo non consistit labor catechetæ.

Cap. XVIII. iterum docet, omnia creata esse à Deo, & hominem ad imaginem Dei; homines lapsos fuisse, item angelos quosdam. Cap. XIX. tradit in ecclesia semper fuisse bonos & malos: Diluvium & arcam sacramenta fuisse: Abrahamum ut & Prophetas fuisse viros pios, & hos de venturo Messia vaticinatos fuisse: Israëlitarum transitum per mare rubrum, & liberationem præfigurasse baptismum: Ovis mactationem fuisse figuram passionis Christi. Cap. XXI. captivitatem babylonicam denotare societatem malorum, Jerusalem vero societatem sanctorum; post captivitatem libertatem quidem redditam Judæis, at postea in Romanorum potestatem fuisse redactos. Cap. XXII. Qualis fuerit Christi nativitas & mors. Cap. XXIII. refert Spiritum S. die quinquagesimo post resurrectionem missum; Ecclesiam inter Judæos & Gentiles fuisse plantatam. Cap. XXIV. fidem de certitudine resurrectionis corporis nostri esse firmandam; societatem cum bonis esse alendam. Cap. XXVI. Ea quæ hactenus dicta sint fusius, breviore quodam compendio tradi posse monet. Omnia quæ tradit huc redeunt: nimirum Filium Dei missum, ut a morte, quæ per Adami lapsum homines occupavit, liberaremur; prophetias V. Testamenti impletas cerni in ipsa ecclesia; hinc firmari fidem eorum, quæ ventura restent, nimirum ultimi judicii & resurrectionis. Cavendas tentationes a malis; societatem habendam cum bonis, & spem omnem in Deo ponendam. Atque hic finem imponit libello suo *Augustinus*. Ex quibus patet, frustra hic quæri concinnam aliquam omnium articulorum, qui in catechismis minoribus & majoribus repræsentari deberent, expositionem, sed ad ea duntaxat eum respicere, quæ desiderio *Diaconi Carthaginensis* satisfacere possent. Plurima omisit, quæ ad articulos in catechismis pro-

ponendos faciunt. Ita nullibi de veritate & divina origine religionis christianæ, quod tamen quammaxime necessarium erat, agit, ut de aliis nil dicam. Et profecto, qui ad ingenium, quo ornatus erat *Augustinus*, ad studiorum, quibus addictus erat rationem, seculique quo vixerat, theologicas disciplinas tradendi consuetudinem, respicit, vix credere poterit, si vel maxime catechismum scripsisset, eum genuinas catecheticæ institutionis leges observaturum fuisse. Afferam hic duorum doctorum virorum de docendi methodo *Augusti judicia.* *Prius* est celebris L. E. *Dupinii: posterius* τȣ μακαρίτȣ *celeb. Buddei.* Verba *Dupinii* ita sonant Tom. III. *Biblioth. eccles. auctorum.* *Usitata* (inquit) *ejus methodus est, præclara principia* (utinam hoc jure de omnibus affirmare posset vir doctus) *ex quibus innumeras elicit consequentias, adeo ut omnia doctrinæ illius capita arctissimam inter se connexionem habeant. In plerisque mysteriis magis ratiocinatus est, quam ullus auctor ante ipsum; plures quæstiones prius non motas agitat, harumque plures sola acuminis sui vi diremit: longe sæpius abiit ab eorum sententia, qui ipsum præcesserunt, ut novam prorsus viam insisteret, sive in Scripturarum explicatione, sive in theologicis opinionibus. Circa res theologicas de eo dici potest, quod de se ipso dicebat Cicero circa philosophiam, quod fuerit magnus Opinator, id est, quod plurimas opiniones, quæ meram habebant probabilitatem, in medium protulerit. Sed id fecit Augustinus admodum modeste ac prudenter, non ea mente ut alios ad arbitrium suum* (forte exemplorum inductione contrarium ostendi posset) *cæterum in morem, sequendum adigeret. Contra vero cum agitur de ecclesiæ doctrina, eam cum animi firmitate proponit ac tuetur, eamque impugnantes fortiter adoritur. Multo minus eruditione, quam ingenii dotibus valebat; nam neque linguas callebat,* (unde simul colligi potest, quam eximius fuerit S. Litterarum interpres) *neque Veterum scripta evolverat. Multo facilius ac tersius quam polite & eleganter scribebat. Quamvis rethoricam artem docuisset, oratorum tamen eloquentiam non possidebat, aut illam saltem negligebat; imo nec semper in phrasibus suis castigatus est stylus ejus, vocabulaque impropria & barbara quandoque usurpat, argutiis sæpius vocumque allusionibus utitur. Res easdem frequenter repetit, eadem ratiocinia centies in scriptis suis inculcat. Eidem mentis conceptui diutius inhæret, quem variis modis effatur, & in locos communes excurrere solet. Argumenta innumera ex aliquo principio edisseruit, corpusque theologicum, ut ita loquar,*

quar, latinorum Patrum, qui post ipsum vixerunt, efformavit. Hi, si quidem ex illius libris non tantum hauserunt principia quibus usi sunt, sed & eundem frequenter mere transscripserunt. Adducto hoc judicio *Dupinii*, hæc addit ὁ μακαρίτης cl. *Buddeus, Isagog. hist. theolog. pag.* 353. *Non itaque erraverit*, (inquit) *qui dixerit, Theologiæ scholastico-systematicæ fontem præcipuum in ecclesia occidentali fuisse Augustinum. Fingere principia, deducere ex his conclusiones in infinitum, ratiociniis potius quam Scripturæ niti testimoniis, sectari quæstiones curiosas, ingenium potius quam eruditionem, quæ linguarum & historiarum notitia constat, prodere, & quæ reliqua sunt in hocce Hipponensium Præsule notata, Theologiæ scholastico-systematicæ fere propria sunt. Certe hæcce ab Augustino maxime didicerunt scholastici Doctores, cujus quippe in occidentali ecclesia, ob ingenii dotes, in ista litterarum tum invalescente barbarie, maxime conspicuas, decreta oraculorum instar essent, tandemque ipsi præferrentur Scripturæ. Quare & cum Petrus Lombardus, seculo duodecimo, theologiam universam in systema aliquod cogere vellet, nihil fere aliud egit, quam ut ex Augustini operibus, quæ ad institutum suum faciebant, excerperet.* Hæc testimonia V.D. eum in finem adduco, ut constet ratio, quare existimem, *Augustinum*, siquidem catechismum aliquem editurus fuisset, iis, qui genuinam catecheticarum institutionum indolem perspectam habent, satisfacturum non fuisse. Quod si viri quidam non indocti existiment, me minus quam par esset, de laboribus catecheticis quorundam ecclesiæ primitivæ Patrum judicasse, eos ab una parte rogatos volo, ut probe attendant, quantum postuletur ab eo, qui in rudium pariter & adultiorum gratiam catechismos rite adornare velit: ab altera vero parte legant boni illi viri, quæ de S. Litterarum interpretatione ex mente Patrum *Withby*, de Theologia morali *Barbeyracius*; de universa sacra tractandi ratione, opinionibus, erroribus, nævis, atque virtutibus Patrum scripserunt *Dallæus*, in aureo libello de *Usu Patrum*, & J. *Clericus epistolarum critic.* IV.; & forte mitius de iis, quæ in hac dissertatione in medium attuli, sentient. *Ego vero*, (ut mea faciam verba J. *Clerici epist. critic. IV.*) *nec sane solus, ut ingenue profitear quod sentio, cum de Patrum eruditione judicare adgredior, eadem mensura, ut ita dicam, utor, qua soleo Recentiorum eruditionem metiri. Neque enim puto oportere eos meliore esse conditione quam nos. Quæ laudo & miror in nuperis scriptoribus, ea in antiquis eodem honore* pro-

prosequor: quæ sperno aut rideo in recentiorum scriptis, ea non pluris facio, cum mihi occurrunt in veterum monumentis. Sane timerem ne dissimulationis insimularer aut iniquitatis, si laudarem in Irenæo aut Cypriano, exempli causa, quæ spernerem in Luthero vel Calvino, aut vicissim. Quam male vero & Romanenses & Protestantium multi utantur passim Doctorum, quos *Patres* appellamus, scriptis, quantæque inde oriantur in controversiis theologicis inutiles lites & contentiones, idem *vir doctissimus* ostendit, in recensione operum *Clementis Alexandrini*, quæ extat *Biblioth. Univ. Tom. X. pag.* 167, *seqq.* Initio statim hujus laboris ita loquitur: „ Les Docteurs catholiques romains n'oublient rien pour persuader, que les Peres ont été de leur sentiment, „ dans la pensée où ils sont, qu'il n'est pas permis de rejetter une do„ ctrine appuiée par les suffrages de la plûpart des Peres. Lors qu'ils „ citent un passage, qu'ils croient conforme à leurs pensées, ils ne „ manquent pas de dire, *comme a fort bien dit un Saint Pere;* autre„ ment, si on leur oppose quelques paroles dont ils ne peuvent bien „ se tirer, ils répondent, que ce n'a été que son opinion particuliére, „ & la rejettent comme un erreur. La plûpart des Protestans n'é„ tablissent pas comme un principe de leur foi le consentement des „ Peres; mais quant au reste plusieurs de leurs Auteurs n'en u„ sent guere autrement en les citant, que les Catholiques romains. „ De là vient, que dans les histoires ecclesiastiques des deux partis, „ on remarque soigneusement les endroits des Peres, qui paroissent „ propres á appuier les opinions & les pratiques, qui sont reçues „ aujourd'hui parmi nous, & que l'on touche seulement en passant, „ ce que l'on croit y avoir eu de defectueux dans leur conduite & dans „ leur doctrine. Comme on se persuade, que les Peres, particu„ lierement ceux de premiers siécles, ont été dans tous les senti„ mens, que l'on regarde comme essentiels dans les lieux, où l'on „ vit, l'on croit devoir les combler des loüanges & excuser autant „ que l'on peut, les défauts que l'on remarque dans leurs écrits, ou „ dans leur vie; si bien que l'on fait sans s'en appercevoir leur pa„ negyrique ou leur apologie avec beaucoup de passion, au lieu de „ faire leur histoire. C'est ce qui fait, que ceux qui lisent des ou„ vrages de cette nature, se persuadent, que les Anciens étoient des „ gens d'un savoir consommé & d'une pureté des mœurs extraordi„ naire. De là on conclut, que s'ils ont maltraité quelcun, il fal-

„ loit,

„ loit, qu'ils en euſſent de grandes raiſons, & qu'ils n'ont eu garde
„ ni de rapporter infidélement, ni de mal refuter les ſentimens des
„ hérétiques. On croit les devoir imiter dans leur maniére de rai-
„ ſonner & d'agir, ſans ſe mettre trop en peine, ſi elle eſt conforme
„ aux préceptes de l'Evangile. Ainſi il arrive que l'on n'a point d'hiſ-
„ toires aſſés fidéles des premiers ſiecles, & que l'on ne fait pas l'uſa-
„ ge de ces hiſtoires, que l'on devroit. „ Quæ de fatis inſtitutionum catecheticarum poſt tempora *Auguſtini*, ingruente barbarie & luce contra temporibus Reformationis orta, acta ſint, pluribus expoſuit ὁ μακαρίτης cl. *Buddeus*, *Iſagog. hiſtorico-theolog. ſect. VIII. ſeqq. Vol. I.* cui addendus cl. *Infantius*, *diſcours ſur les catéchiſmes.*

XII.

Quid ad ſimplicitatem inſtitutionis catecheticæ requiratur.

Poſtquam in antecedentibus cum neceſſitatem inſtitutionum catecheticarum probavimus, tum vero methodum quorundam eccleſiæ antiquæ Doctorum religionis articulos proponendi expoſuimus, reſtat ut in hac ultima ſectione videamus, qualis eſſe debeat illa *ſimplicitas* in tradendis primis religionis elementis, & qua ratione ad finem illum perveniatur. Certis autem articulis complectemur omnia, quæ in hoc argumento obſervanda eſſe videntur.

(I.) Cum illi, quibus tradenda ſunt prima Religionis elementa, non tantum capacitate ingeniorum, ſed ætate potiſſimum plurimum inter ſe differant, neceſſe eſt, ut catechiſmi ſcribantur breviores pro junioribus, prolixiores vero pro adultioribus. Ut neceſſitatem hujus aſſerti probem, neceſſe non eſt: vel me non monente quilibet hoc videt. Unde ſtatim exorta luce Reformationis B. *Lutherus* ad ſcribendos duplicis hujus generis catechiſmos animum appulit, quem certatim ſecuti ſunt cæteræ Proteſtantium eccleſiæ, inter quas etiam nomen ſuum profitetur *eccleſia noſtra Tigurina.*

II. Optandum eſſet, ut in majoribus urbibus conſtituerentur viri eruditione, ingenii acumine & ſagacitate eminentes, qui nonniſi catecheticis inſtitutionibus ad juventutem habendis, per omnem vitam vacarent. Novi paſtoribus hoc officium impoſitum eſſe. At hi ob plurimos labores non poſſunt ſemper, ut vellent, officiis ſuis defungi, neque omnes pariter ad artem hanc rite exercendam ſunt apti. Majoris negotii res eſt, juvenum & adultiorum ingeniis at-

temperare articulos religionis. In ſcholis, ubi prima grammaticæ rudimenta traduntur, infimi & ſupremi ordinis præceptores ſunt; cur idem in ſanctioribus diſciplinis tradendis obſervari non poſſit, cauſam non video. Profecto tales catechetæ horum vel illorum ingeniorum indolem, capacitatem, vel tarditatem, rectius cognoſcerent, quandoquidem pueri & puellæ eorum frequentiſſima uterentur inſtitutione.

III. In pagis inprimis opus eſſet, ut præceptores ruſtici ab ipſo paſtore privatim inſtituerentur, quomodo prima & ſimpliciſſima religionis elementa proli ruſticæ rite ſint tradenda; vel ſi id ob certas rationes fieri nequiret, ſchematiſmus aliquis quæſtionum & reſponſionum in manus præceptorum dandus, diſpiciendumque in viſitatione ſcholarum eſſet, utrum hanc methodum præceptor ſequatur, nec ne. Ad hoc niſi attendatur, fieri non poteſt, ut ex una catechiſatione, quæ die ſolis habetur, tantum fructum percipere poſſint juvenes ac vero deberent.

IV. Serena fronte, non tetrica, hæ catecheſes ſunt habendæ, neque imbecilliore ingenio inſtructi proſtituendi ſunt publice, aut ubi errant vehementer reprehendendi; amabilis enim debet reddi religio a primis ætatis juvenilis annis.

V. Quamvis domeſticas inſtitutiones catecheticas non improbem, ſed potius fortiter commendem, prætulerim tamen publicas, quia utplurimum majore cum attentione ad quæſita reſpondent juvenes, quam privatis in ædibus.

VI. Ubi videt catecheta, juniores pariter & adultiores neceſſaria tamen cognitu non intelligere, privatis inſtitutionibus ſunt erigendi, & in cauſas ignorantiæ ſolerter eſt inquirendum.

VII. Quod vero ad *ſimplicitatem* ipſorum catechiſmorum ſpectat, aliquid de iis in genere dicendum, poſtea vero de minore & majore ſingillatim.

VIII. In genere de utroque eſt obſervandum, omnes voces & phraſes obſcuriores in catechiſmis eſſe ſerio evitandas, aut ſi in receptis uſu tales reperiantur, clariſſimis verbis eas explicandas, & ſignificationem earum rite determinandam.

IX. Quod de ſtylo ipſorum catechiſmorum dixi, idem etiam de ſtylo catechetæ eſt inſinuandum. Multi docentium ab ipſa juventute dicendi generi metaphorico adſueti ſunt, præprimis ubi agitur

tur

tur de veritatibus practicis. Ipſimet quidem catechetæ ut plurimum norunt, quam poteſtatem verbis ſubjiciant, ſed in eo errant, quod putent, teneros pueros & puellas vim ſignificationis verborum pariter intelligere. Profecto qui hoc conſilium negligunt, efficiunt ut juvenes in vocibus non intellectis adquieſcant. Ex quo ſimul patet, quam neceſſarium ſit, ut illi, qui miniſterio ſacro ſunt conſecrati, *artem cogitandi* & *loquendi* probe habeant cognitam & perſpectam.

X. In utroque catechiſmo loca Scripturæ, ad hunc vel illum articulum probandum allata, numero pauca & evidentiſſima eſſe debent, & ſi in iis metaphoricæ vel obſcuriores occurrunt phraſes, accurate ſunt explicandæ.

XI. In catechiſmis nil niſi momentoſum, grave, & ad pietatis ſtudium excitandum aptum reperiri debet.

XII. Mutandæ aliquando ſunt phraſes, in catechiſmis uſurpatæ, & videndum, utrum adhibitis aliis locutionibus rem tamen ipſam intelligant catechumeni.

XIII. Quæſtiones omnes ita ſunt inſtituendæ, ut nihil a catechumenis requiratur, quod eorum ſuperet capacitatem.

XIV. Adultioribus pariter & rudioribus eſt monſtrandum, quammaxime utile eſſe & neceſſarium, quod docetur.

XV. Quoad *juniores*, catechiſmus conſtare debet pauciſſimis articulis, ſed momentoſis, qui aliquo argumento captu facili, vel Scripturæ teſtimonio ſunt confirmandi.

XVI. Quamvis judicii potiſſimum in cauſa religionis ſit habenda ratio, non prorſus tamen negligendum eſt memoriæ excolendæ ſtudium.

XVII. Quæſtiones propoſitæ ita claris verbis ſunt intimandæ, ut ex reſponſis juvenum pateat, eos eas rite intelligere.

XVIII. Quod ad *adultiores* pertinet, quibus catechiſmus paulo prolixior explicatur, iis in manus tradendi tales libelli, qui viam monſtrare poſſunt, ad graviores articulos rite intelligendos.

XIX. In primis vero illis commendanda eſt attenta lectio N. Teſtamenti, cum brevibus duntaxat gloſſis, non vero operoſis commentationibus.

XX. In prolixioribus catecheticis inſtitutionibus nonſolum præcipua capita religionis chriſtianæ ſunt proponenda, unove vel altero

ro argumento probanda; sed & veritas atque divina origo religionis christianæ solerter est insinuanda. Idem dictum velim de aliis articulis maximi momenti.

XXI. Dispiciendum, quomodo ipsimet articulos illos graves probare velint, prolataque una vel altera difficultate, aliunde tamen jam percepta & audita, ingenium eorum exercendum.

XXII. Controversiarum inter Christianos agitatarum, (minoris certe momenti) in catechismis nulla est injicienda mentio.

XXIII. Ostendendum, nullum dari veri nominis articulum religionis, qui non valde utilis. Eum in finem monstrandum, quare & quem in finem data nobis sit religio, ut nimirum in hac pariter & futura vita felices simus.

XXIV. Religio semper tanquam res rationi optime conveniens, & omnium sapientum amore digna, repræsentanda.

XXV. Monstrandum, religionis cognitionem in se spectatam pulchram quidem esse; sed eam parum prodesse, nisi præcepta ipsius custodiantur, vitamque vivamus tam sancta religione dignam.

XXVI. Denique cum notum sit, quam sit juvenilis ætas ad errores & vitia proclivis, nonsolum jubendi sunt attente legere S. Litteras, sed & jugiter preces ad Deum lucis veræ & omnis boni auctorem fundere, ut gratia & auxilio suo ipsis adesse velit. Confer cum hisce, quæ de hoc argumento in medium protulit *ὁ μακαρίτης vener. Osterwaldius cap. V. partis II. libri, de fontibus corruptionis inter Christianos grassantis.*

Appendix

quarundam thesium theologicarum.

I. De mysteriis sapiendum sobrie; relictisque hominum placitis, Revelationi unice adhærendum est.

II. Æterna duratio pœnarum, olim impiis infligendarum, ex rationis principiis demonstrari non potest.

III. Malim in extremo judicio rationem reddere nimiæ erga dissentientem lenitatis, quam nimii rigoris. Beati enim sunt pacifici,

cifici, beati mites, beati misericordes. In illos vero, qui contentionibus gaudent nec misericordia utuntur, exercebitur judicium sine misericordia.

IV. Cum ex Sacris Litteris manifestum sit, Deum nonnisi intercedente Filii sui morte cum hominibus in gratiam redire velle, patet, satisfactionem a Sotere præstitam nonsolum Deo dignam, sed & utilem valde, adeoque necessariam fuisse.

V. In explicatione Scriptorum apostolicorum considerandus est attente status quæstionum tum temporis agitatarum, potius quam controversiarum inter hodiernos Theologos motarum, de quibus Apostoli sæpe ne cogitarunt quidem.

VI. Quæstio: Num dabitur vita futura, huc redit, an detur Deus & Religio.

VII. Argumentum *Cartesii* pro existentia Numinis a priore, ut vocant, id est ex idea Dei petitum, merum est sophisma.

VIII. Ridicule & inepte agunt qui ita ratiocinantur: libere examina S. Litteras & religionis dogmata, sed ea tamen lege, ut omnia, quæ exinde didicisti, cum opinionibus nostris conveniant.

IX. Futuros esse diversos pœnarum & præmiorum post hanc vitam gradus, ratio & revelatio suadent.

MEDITATIONIS
DE
PIA ET CIRCUMSPECTA
In tradendis ſanctioribus diſciplinis ſectanda
SIMPLICITATE
Pars Tertia.

Sect. I.

Scopus & inſtitutum Auctoris repræſentatur.

IN ſecunda diſſertatione, de *ſimplicitate theologica*, egimus de inſtitutionibus catecheticis, breviterque oſtendimus, quid catechetæ incumbat, ſi veri nominis *ſimplicitatem*, in tradendis rudimentis Religionis chriſtianæ, conſectari velit: ſimul vero etiam monſtravimus, quales eſſe debeant catechiſmi ipſi, in uſum juventutis conſcripti. Cum vero inter præcipuos labores, quibus vacare debet paſtor, referri communiter ſoleat officium, die ſolis pariter atque aliis diebus per ſeptimanas orationes ſacras habendi, merito quæritur, quid etiam hic oratori, *ſimplicitatem* ſectaturo, præſtandum ſit. Non autem expectabit a nobis eruditus lector, ut materiam de ſermonibus ſacris, variiſque partibus, quibus inſtructa eſſe debet oratio ſacra, per partes pertractemus; eſſet enim hoc ab inſtituto noſtro alienum. Tot inſuper proſtant hodie libelli, qui artem dicendi & S. orationes habendi tradunt, ut actum ego agerem, ſi prolixe præcepta hujus artis tradere in animum inducerem; imo forte multitudo ejuſmodi librorum plus nocet, quam prodeſt. Hoc unum certe optandum, ut S. Litterarum cultores ex ejuſmodi libellis ea duntaxat in uſum revocarent, quæ maxime utilia

utilia & ad *nobilem* illam *ſimplicitatem* obtinendam plurimum conferre poſſent.

II.

Oſtenditur, neceſſe eſſe, ut de hoc argumento publici doctores ſolliciti ſint.

Erunt fortaſſe, qui putent, non opus eſſe, ut ſingulari diſſertatione diſquiratur, qualis illa eſſe debeat concionatori obſervanda *ſimplicitas*; quemlibet enim oratorem ſacrum, partim ex rethoricæ S. præceptis, partim ex uſu & praxi id addiſcere poſſe. Utinam vero hoc experientiæ non eſſet contrarium; de quo tamen heic loci plura non dicendum: potius oſtendamus quammaxime neceſſum eſſe, ut hæc doctrina de *ſimplicitate*, in orationibus ſacris habendis, non perfunctorie explicetur. Et hoc conſtabit, ſi argumentum ipſum, quod pertractandum eſt, primo conſideremus. Agitur autem de eo, quod ſanctiſſimum eſt, nimirum de inculcandis graviſſimis religionis articulis, inprimis vero de doctrina ſalutari Jeſu Chriſti explicanda, probanda & inſinuanda. Jam vero non perinde eſſe quacunque ratione hæc religionis dogmata explicentur, & populo chriſtiano proponantur, omnes, qui ſenſu communi non deſtituuntur, facile concipient. Quod ſi igitur orator Numinis tangitur reverentia, omnes ingenii nervos intendet, ut nonſolum ipſemet accuratam religionis articulorum habeat notitiam; ſed & ut eandem clariſſimis verbis explicare, & animis inſinuare poſſit. Deinde idem patebit, ſi ad finem, quem intendit orator, reſpiciamus. Nimirum hic unus eſſe debet, ut auditores ſalutari cognitione religionis chriſtianæ imbuantur, & illius amore tenerrimo corripiantur: ad hoc autem obtinendum neceſſe eſt, ut tutiſſimam inſiſtat viam, quæ alia non eſt, quam *ſimpliciſſima*, de qua mox pluribus agemus. Cumprimis autem hoc neceſſe eſſe videbimus, ſi ad tot diverſa hominum *ingenia* reſpiciamus. Innumeri dantur inter eos gradus, ut capacitatis naturalis, ſic etiam cognitionis: pauciſſimi mentem arte excoluerunt: plerique exigua rerum divinarum ſaltem accuratiore cognitione ſunt imbuti: alii, ubi de veritatibus in ſenſus non incurrentibus agitur, torpore quodam ſunt correpti: rurſus alii ſiniſtris de oratore opinionibus ſunt præoccupati. Ex quo manifeſtum eſt, quammaxime neceſſe eſſe, ut orator omnem ingenii aciem intendat, ut, quantum natura rerum patitur,

patitur, omnium ingeniis attemperet orationem ſuam. Experientia conſtat, mille & mille auditis concionibus, homines in religionis negotio non doctiores, neque meliores fieri. Plures ſunt hujus rei cauſæ, in quas hic non inquiro; dabunt tamen hoc mihi viri candidi, unam ex præcipuis etiam eſſe, quod multi oratorum non ſufficientem adhibeant diligentiam, ad orationes rite diſponendas, & auditorum animis inſinuandas. Ex quo jure colligimus, diſquiſitionem de ſimplicitate orationis ſacræ eſſe rem arduam valde, & attentione quammaxime dignam. (*)

III.

Quæritur in quo ſimplicitas illa orationis ſacræ conſiſtat.

Requirit autem negotii hujus, de quo ago, natura, ut ſummatim exponam, in quo tandem *ſimplicitas* illa orationis ſacræ conſiſtat, quam deinde uberius in ſequentibus explanabo. Per *ſimplicitatem* illam igitur intelligimus, eam peritiam oratoris, qua graviſſima religionis capita ſtylo plano, facili ac gravi, argumentis ſolidis, ex natura rei depromptis, omniumque ingeniis attemperatis, auditoribus ſuis ita explicare & inſinuare poteſt, ut omnes, quotquot eum attente audiunt, nec plane ſtupidi ſunt, non ſolum propoſitam rem intelligant, ſed & argumentorum allatorum vim ſen-

(*) „ An non præpoſterum eſt, explorare fidem ac peritiam ejus, cui deſtinaſti boves aut equos tuos committere, & nihil habere penſi, cui committas animas hominum, pro quibus mortuus eſt Chriſtus? Submoves colonum, negligenter aut imperite culentem arva tua, & non ſubmoves paſtorem, malum ſemen jacientem in bonam Domini ſegetem? An non præpoſterum eſt, in navigatione non cuivis committere remos, non quemlibet admovere clavo, ſed eum, qui gubernandi ſit peritus, & eccleſiæ curam nullo delectu cuivis committere? Si quis ibi dicat, hic aſſideat gubernaculo, bene natus eſt, prædives eſt, & habet quod det, & dat liberaliter, gratioſus eſt apud principem, denique tibi cognatione propinquus eſt, & amicus; nonne protinus reclamares, quid mea refert qualis ſit in cæteris, hæc tempeſtas peritum ac ſtrenuum nauclerum requirit, alioqui periclitantur omnes: Et iſta nulli veniunt in mentem, ubi longe gravius eſt periculum? In naufragio periclitantur merces, periclitantur corpora, quanquam fracta nave multi enatant incolumes, & ipſum mare multas merces in littus ejicit: In hoc naufragio in extremum periculum veniunt animæ, merx Chriſto chariſſima. „ Ita Eraſmus de arte concionandi, pag. m. 149.

ſentiant, de quo in ſequentibus plura dicentur; ad quod obtinendum duo ab auditoribus requiruntur: *prius eſt:* ut illi habeant accuratiorem graviſſimorum religionis capitum cognitionem; ſine hoc enim optima & ſimpliciſſima methodus plane valet nihil, quod contra eos obſervandum, qui putant, fruſtra agere eos omnes, qui arte quadam auditoribus ſuis conſulere velint, ineptis quippe ad res tanti momenti intelligendas. Quanquam autem lubens fatear, ſupinam quorundam eſſe ignorantiam rerum divinarum, non tamen omnes pro talibus ſunt habendi; novimus enim multos ea, quæ in orationibus ſacris audiverunt, bene cepiſſe, & ſummam rerum auditarum exponere poſſe. Loquimur hic de hominibus, qui per catecheticas inſtitutiones & repetitiones de momentoſiſſimis religionis capitibus ſunt edocti; unde etiam neceſſitas earundem abunde conſtat. Debet omnis orator, quacunque tandem utatur methodo, ſibi perſuadere, ſe agere cum hominibus, qui aliqualem rerum, de quibus dicturus eſt, habeant peritiam; alias non minus eſſet ineptus quam *Franciſcus Aſiſſius*, qui ad aves aliaque animantia ſermones habuit. Qualiſcunque autem ſit illa religionis auditorum noſtrorum cognitio, hoc ſemper tamen manet certum, ſimplicem, qualem deſcripſimus ex parte orationem, omnium eſſe aptiſſimam, ad finem, quem intendit orator, obtinendum. *Poſterius* eſt: requiritur nimirum in auditore talis attentio, & religionis amor, qui in re ſeria maxime poſtulatur: ſine hoc denuo fruſtra conatur orator S. homines de rebus ſanctiſſimis rite edocere, atque efficere, ut ad animum dicta rite revocent. Interim tamen & hoc certum eſt, orationem planam, &argumentis evidentibus ſuffultam, efficaciſſimam eſſe, ad attentionem in animis auditorum excitandam & alendam.

IV.

Ut autem orator ſacer *ſimplicitatem* hanc commendatam ſectetur & rite obſervet, quædam illi *cavenda* & *evitanda*, alia vero *præſtanda ſunt*. Quæ evitanda ſunt, partim ad pronuntiationem, partim ad ſtylum quo utitur, partim denique ad rem ipſam, quæ pertractanda eſt, pertinent. 1.) Evitanda eſt vocis contra naturam loquelæ ſuæ formatio. Novimus enim hæc externa multum valere, *Quænam oratori, ſimplicitatem illam ſecuturo, evitanda ſint.*

valere, ad attentionem excitandam vel impediendam. Sunt, ut notum eſt, oratores, juniores præſertim, qui putant, ubi cathedram aſcendunt, & veſte ſacra ſunt induti, aliter plane eſſe formandum ſermonem, quam qui ipſis eſt nativus; cum tamen nullus plane ſit magis acceptus, & auditoribus gratus, quam naturalis. Sunt qui ita ſermonem flectunt, ut eos ἐγγαστριμύθους eſſe putares: in aliis regnat perpetua μονοτονία, quæ ad ſomnum capiendum potius quam vero attentionem excitandam apta eſt: alii fracta voce & facie mire ad triſtitiam compoſita, quaſi ſingulis momentis ad genas lachrymis rigandas præparati eſſent, ſermones habent, mulierculatum potius quam virorum guſtui attemperatos: interim ſibi mire plaudunt, quandoquidem vident, plebeculam & his non ſapientiores, talem orationis formam laudare, atque exiſtumare eam nonniſi ab homine, qui propiore Numinis commercio utatur, haberi poſſe. Sunt denique oratores ſacri clamoſiſſimi, qui ſtentorea voce utentes, non tantum animis ſed & auribus ſunt moleſtiſſimi: vitium hoc dudum ante me taxarunt varii docti viri. Stephanus *Gauſſenus*, Theologus in hoc argumento verſatiſſimus, de perverſa hac conſuetudine ita loquitur pag. 174. de *ratione concionandi*: *Tum* (inquit) *natura ſeſe maxime promit atque exerit, quum in converſatione familiari ex tempore ea fundit, quæ vel voluptas vel dolor, vel ſpes dictat: ibi enim vere eripitur perſona, manet res, & natura nulla arte adulterata ſeſe quaſi nudam oculis ſpectandam exhibet: at cœlum a terra magis non diſtat, quam idem a ſe ipſo eccleſiaſtes differt, prouti vel amicum domi, vel populum publice alloquitur; nam qui in privato colloquio de re aliqua dixerat, quod res erat, nullis adhibitis vocum ampullis, quique illuſtrationes ſuas ex obviis quibusvis rebus & maxime notis petebat, & eo quidem vocis accentu, eo motu manuum atque oculorum, qui ſi gratiſſimus non erat, at erat tamen & rei quam agebat & ſuæ dignitati ſatis accommodatus; poſtquam ſibi e loco ſuperiori dicendum videt, tum mutata perſona, ſuæ dignitatis maxime eſſe exiſtimat, ſi nihil ex privato illo habitu retinere videatur.* Et pag. 217. *Memini viri præſtantiſſimi, cum diceret ſe ſæpe nec ſine indignatione miratum eſſe viros doctos, qui cum rerum agendarum prudentia & naturali quadam facundia eminerent, poſtquam in ſuggeſtum aſcendiſſent, tantum a ſe diverſi apparerent, ut niſi eosdem eſſe ipſi oculi indicarent, nemo id quiſquam poſſet ulla conjectura divinare.* In eandem

eandem sententiam concedit ὁ μακαρίτης cl. *Roques* in libro cui titulus: *le Pasteur Evangelique* pag. m. 260. Dum enim in caussas inquirit, cur multi oratores sacri sinistra utantur pronunciatione, inter alias & hanc ponit: *Cela procéde de ce, que les Ministres veulent paroitre en chaire differens, de ce qu'ils sont dans le commerce de la vie. Ils affectent un ton & une pronuntiation, qui est d'autant plus désagréable; qu'elle n'est point naturelle. Un défaut naturel choque moins qu'une belle qualité affectée. Mais quel désagrément ne produit pas un défaut, qui est un effet d'une sotte affectation? Il faudroit que les Ministres se convainquissent de cette vérité, qu'à l'égard de l'exterieur ils doivent être par tout les mêmes, par tout réligieux, naturels, sans aucune affectation.* Sed ante hos dudum affectatam hanc quorundam oratorum pronuntiandi rationem falsc risit *M. Erasmus*, in suo *Ecclesiaste* pag. 537. *Edit. Basileensis.* Huc accedunt denique gestus & stylus. Multi oratorum, nescio quibus argumentis inducti, gestus quosdam præter naturam, & rei ipsius momentum, certa quadam & determinata ratione faciendos esse putant, quo ipso sæpe, dum indecori & extravagantes sunt, homines potius ad risum, quam vero ad devotam attentionem invitant. Natura hic sequenda est, quæ affectus ipsos, & ita etiam corporis & manuum motitationes efficit. Accedit tandem inter illa externa impedimenta, quæ orationem etiam optimam, & secundum leges instructam, inutilem plane aut reddunt, aut ornamentum & decus illi suum demunt, stylus ipse, quo utuntur multi oratorum. (*) Et hic diversimode pecca-

(*) Ubi de rebus divinis agitur, gravitatem in stylo esse observandam dudum monuerunt, qui de arte dicendi scripserunt, CAUSSINUS de eloquentia sacra & humana pag. 133. ita loquitur: „ Gravitatem dicendi omnes „ affectant, natura ipsa ad ea, quæ sublimia sunt, propensione quadam impellente: verum gravitatis viam non omnes norunt; quo fit ut „ potius in inflatum dicendi genus multi prolabantur, quam assurgant ad „ solidam speciem majestatis. Hæc gravitas a Græcis σεμνότης appellatur; „ spirat enim aliquid augustum, & animos magnificentissima quadam „ rerum specie totos implet & rapit: constat autem rebus & verbis; „ neque enim licet gravitatem in levibus clausulis sectari, nisi quis ineptias effutire velit. Gravia primum oportet esse argumenta, per quæ „ gravitas orationis excurrat. Sunt vero illa in quatuor distincta species, ut in hunc locum notavit Hermogenes. Primum sermones de „ Deo gravissimi sunt omnium, non quales a Poëtis finguntur, ineptiarum plenissimi, sed qui ex optima veritatis disciplina proficuntur.

peccatur. Aliquando ſtylus eſt abjectus & plebejus, Sunt qui putent, ſe plebi placituros, ubi Majorum ſuorum mores imitentur, ſtyloque utantur noſtra ætate inuſitato, ſed vulgo diu recepto, ignobilis licet ille ſit & valde abjectus. At talis dicendi ratio homines, quibus ſunt teretes aures, quive rebus & temporibus attemperandum eſſe ſtylum probe cognoſcunt, offendit, impeditque, quominus ad res ipſas probe attendant. Alii in contraria ruunt, & nimis figuratam & adfectatam loquendi rationem ſectantur. Cœlum, terra, aër, maria & elementa omnia, vix ſufficiunt, ad tot comparationes, emblemata & rethoricationes inſtituendas: quo capaciore ſunt imaginationis vi præditi, eo magis fræna ſibi laxant. Talia ubi plebs audit, ſtupet in verbis, & quo minus intelligit, quæ dicuntur, eo magis miratur tamen; homines vero, qui acutum cernunt, neque verba ſibi dari patiuntur, dolent hominis male ſani facundiam, & in corde rident. Talium exemplorum copiam adduxit *vir doctiſſimus*, *D. Eaſchard* in libello, *de cauſis contemtus Miniſterii ſacri.* Sunt, qui in ipſa verborum obſcuritate neſcio quam gloriæ cauſam quærant. Hi, cum neque doctiſſimorum virorum libros, eleganti ſtylo exaratos, legerint, neque familiari hominum bene-educatorum commercio uſi ſint, putant, in neſcio qua ſermocinationis obſcuritate, phraſiumque myſticarum, & chemicorum officinam redolentium, uſurpatione, nonſolum eruditionis, ſed & ſanctitatis inuſitatæ inſignem latere ſpeciem. Denique offendas oratores, qui orthodoxiæ & eruditionis theologicæ famam captaturi, innumeris S. Litterarum utuntur teſtimoniis, aſſerentes, oratori S. verbis Scripturæ eſſe utendum; licet certiſſimum ſit, ſenſum plerorumque iſtorum dictorum auditores latere, & ſæpe vocum illarum acervum in diverſis locis diverſa etiam ſignificare, neque ad materiam, de qua agitur, illuſtrandam aliquid conferre. Atque hæc ſunt quæ oratori, ſi externa

„ Grave eſt illud Platonis, ubi ita agit de Deo: *Αγαθος ἦν, ἀγαθῳ δε ὐδεις περι ὐδενος ἐγγενεται φθονος.* Bonus erat, bono vero nullam ob rem ineſt invidia. Hæc Cicero mirifice inſinuat in Miloniana, ubi Clodium fato quodam & Dei voluntate interfectum cum cupiat oſtendere, altius e Philoſophia repetit de Providentia Dei ſermonem, & ad forenſe dicendi genus accommodat, incredibili orationis magnitudine & ſuavitate. „

na ſpectes, quammaxime evitanda eſſe putem, unde ſimul facile patet, contraria omnia hiſce præſtanda eſſe oratori, quæ ſimpliciter indicamus. 1.) In pronuntiatione ſequenda eſt natura, & adfectatio omnis eſt evitanda. Idem dixerim de geſtibus. 2.) Quod ad ſtylum attinet, debet is eſſe planus, perſpicuus, gravis & ſublimitati rerum attemperatus, ubi bene facit orator, ſi nonſolum legit ſcriptores, qui de arte dicendi agunt, ſed & præſtantiſſimorum virorum orationes evolvit, eaſque prudenter & ſine puerili adfectatione ad imitandum ſibi ſumit. Talis enim oratio nonſolum ornamentum addit ipſi argumento, quod pertractatur, ſed & attentionem in animis hominum excitat, eamque alit. In vita ill. *Tillotſonii*, Archiepiſcopi olim Cantuarienſis, narratur, lectas fuiſſe orationes ejus ab ipſis Deiſtis, propter ſtyli perſpicuitatem & elegantiam. Cum hac vero arte ſermocinandi conjungenda eſt peritia logicæ. Hæc ubi ſeparantur, vix finem ſuum obtinebit orator. 3.) Ubi orator ſimilitudine vel comparatione aliquid exprimere & inſinuare vult, probe curare debet, ut illæ figuræ planæ, captu faciles, & auditoribus non ignotæ ſint, alias non magis comparationem quam res ipſas, quibus lucem adferre hac ratione vult, intelligunt. 4.) Si phraſes ex S. Litteris petantur, ad illuſtrationem argumenti, debent ita eſſe comparatæ, ut jure ſuſpicari poſſit orator eas eſſe auditori notas; de hoc vero ſi non poſſit eſſe perſuaſus, aliis expreſſionibus utatur, modo ſint cum veritate conſentientes, id eſt ſcopo & intentioni Spiritus S. convenientes. De quo argumento, cum alibi me pluribus egiſſe recorder, nihil addam.

V.

Videamus jam, quibus præſidiis opus ſit, ad hanc ſimplicitatem obtinendam. Et in genere quidem de hoc argumento loquendo, *brevitas* orationis ſingulare medium eſt, ad ſimplicitatem illam conſequendam. Olim *Plinius*, in epiſtola XX. lib. I. ad *Cornelium Tacitum* data, hanc quæſtionem excuſſit, & pro prolixitate orationum in cauſis agendis pugnavit, quæ apud ipſum auctorem legi poſſunt. Cl. vero *Salchlinus*, *Profeſſor Theologiæ in Gymnaſio Bernenſi doctiſſimus*, *in diſſertatione de concionum origine*, *brevitate & prolixitate*, argumentis de hac quæſtione utramque in partem allatis, in

Quid ad obtinendam illam ſimplicitatem requiratur.

in eorum concedit ſententiam, qui breviores eſſe debere orationes ſacras tuentur. Et huic ego etiam adſtipulor. (*) Profecto, ſi modo orator ad finem, quem intendit, & ad ingenii humani indolem reſpicit, mox deprehendet, orationem breviorem prolixiori longe eſſe præferendam. Id enim agit orator, ut genuinam articuli religionis, vel theoretici vel practici, imaginem auditoribus repræſentet: quod ſi prolixa oratione utitur, ſcopo excidit. Cogitandum enim oratori, quinam ſint illi, ad quos ſermonem fundit; nimirum pueri, puellæ, ancillæ, ruſtici, artifices, & nullis tincti litterarum ſtudiis, qui diu cogitationi uni vix inhærere poſſunt, nedum ut per horam, & quod excedit, ſervata ſemper attentionis acie, filum orationis ſequi poſſint; cui malo non melius quam brevitate orationis conſuli poteſt. Imo amplius dico, homines etiam rerum divinarum gnariſſimi & docti præpedire non poſſunt, quo minus animi ipſorum diſtrahantur, variis cogitationibus turbentur, & prolixitate ſermonis graventur. Multos oratores decipit falſa & præpoſtera de methodo orationis, quam adoleſcentes ſine ſeria meditatione arripuerunt, opinio: alii exiſtimant, ſe prolixitate ſermonis ſuam differendi peritiam & eruditionem commonſtrare poſſe, & auditores in ſui admirationem raptum iri; at hi ignorant in quo orationis ſacræ pretium ſit poſitum. Eum in finem 2.) reſecanda ſunt omnia, quæ ad thema probandum vel illuſtrandum nihil facere poſſunt, qualia ſunt nimia vel argumentorum vel teſtimoniorum coacervatio: pondere potius & brevitate argumentorum & teſtimoniorum, quam vero numero eorundem pugnandum & differendum eſt. In manus ſumat orator v. gr. *venerandi Sackii* orationes ſacras & ſentiet, quam nervoſe ſimul & breviter res attentione dig-

(*) Prolixitatem in ſermone evitandam dudum monuit doctiſſimus Caussinus l. c. pag. 182. „ Alii (inquit) cum metam ob oculos perſpiciant, „ deſiderio tamen dicendi geſtientes, longos amant circuitus, res citant „ ab ovo uſque ad mala, digreſſiones etiam faciunt & frigidas tranſitiones, „ quibus miſeras aures enecant; & ſi advertas, invenies eos tum primum „ de re incipientes dicere, cum oportuerit deſiiſſe. Hoc partim accidit „ adoleſcentibus, qui, ut fert rerum ſplendidarum novitas, tantam capiunt in dicendo voluptatem, ut quieſcere nullo modo poſſint, putant„ que ſe iiſdem auribus audiri ab omnibus, quo fervoris impetu dicunt. „ Partim etiam contingit doctis, ſed confuſis plerumque & moroſis ho„ minibus, qui nunquam ſibi ſatisfaciunt, niſi quicquid mente conceperint, id totum in turbæ circumſtantis aures effuderint. „

dignissimas proponat & commendet. 3.) Multum huc facit, si orator de rebus sacris verba facturus, themata eligit cognitu quammaxime necessaria, adeoque etiam utilia, qualia sunt capitalia religionis & ethicæ christianæ capita, methodo captu facili proposita. Quod si enim orator ad auditorum plerorumque cognitionem rerum divinarum, vel potius imperitiam, respicit, necesse esse videbit, ut hæc argumenta frequenter explicentur, inculcentur & infigantur. Sine horum cognitione religionis notitia manca valde & imperfecta est.

Hinc factum est & adhuc fit, ut in quibusdam ecclesiis Germaniæ, singulis annis symbolum Apostolorum & Decalogus explicentur, & ad usum in publicis concionibus revocentur. Atque hæc nos monent, ut de consuetudine penes nos recepta concionandi, nimirum secundum seriem librorum veteris vel novi Testamenti, aliquid moneamus. Et principio quidem fatemur, laudabili plane instituto morem hunc introductum esse; cum enim tenebris involuta esset religio, & excussus e manibus Laicorum, uti vocabantur, codex sacer, necessario requirebatur, ut Reformatores postliminio novam lucem accenderent religioni, efficerentque, ut in manibus omnium esset sanctissimus liber. Hinc & ipse *Zwinglius* B. M. ut de aliis Reformatoribus nil dicam, brevi temporis spatio, multos libros sacros explanavit, quo factum, ut omnes de thesauro hoc sibi comparando essent solliciti. Scopus igitur ita explicandi sacras Litteras est optimus & laudatissimus; neque probamus eorum inter *Protestantes* concionandi methodum, quæ ad Calendarii leges est exacta. Profecto enim hac ratione nonsolum pigritiæ quorundam concionatorum consulitur, sed & gravissimorum religionis christianæ articulorum exigua habetur ratio. Interim tamen & hoc verum est, consuetudinem integros libros explicandi non eum habere nostra ætate usum, quem viri cordati optarent. Sæpe enim in minutiis hærere debet orator, nec occasionem habet de gravissimis & momentosissimis veritatibus, virtutibus item excellentissimis, vel vitiis passim grassantibus disserendi. Et profecto nisi auditores domi S. Litteras adjunctis brevibus glossis, vel commentatiunculis, legant; non magis per conciones illas S. Litteras intelligunt plerique quam antea, præsertim cum in libro aliquo explicando concionatores plures insumant annos; aut igitur in explicatione textuum

tuum occupati, præter ſcopum loquentis in ſacris Spiritus S. arripere debent occaſionem de maximi momenti rebus diſſerendi; aut data opera graviſſima religionis capita certis occaſionibus, miſſa conſuetudine recepta, explicare & probare debent. *Quarto* denique loco ad finem illum obtinendum maximum præſidium quærendum in *argumentis*, quæ ad hoc vel illud thema probandum requiruntur. His præcipua inſita debet eſſe vis, thema aliquod rite pertractandi, & auditores etiam convincendi. Sine his omnis methodus, omnis ſtyli elegantia, omnes denique rhetorum figuræ nihil plane valent. Argumenta autem hæc debent eſſe *intellectu facilia*, atque adeo *omnium ingeniis attemperata*, *ſolida*, & *ex argumenti ipſius natura petita*. Primo igitur loco dico argumenta debere eſſe *captu facilia*. Cum auditores ſint non ejuſdem ingenii & capacitatis, magis vel minus in meditando verſati, articulorum religionis magis vel minus gnari, patet, eos, qui aut obſcurioribus verbis utuntur, aut difficillima captu & longe petita adhibent argumenta, ſcopo ſuo, reſpectu plerorumque auditorum excidere. *Secundo* debet argumentum eſſe *ſolidum*, id eſt debet vim probandi habere. Nil profecto religioni magis nocivum eſt, quam ſi orator adhibet in materia gravi argumenta imbecilla. Nonſolum enim in animos auditorum nullam vim habent, ſed & doctiores in ſinu rident; illi vero qui ad incredulitatem inclinant, magis magisque in ſuis opinionibus confirmantur. A multis concionatoribus hac in parte peccari experientia ita docuit, ut ſi quando infirmum eſſe argumentum quidam affirmare volunt, dicant; *valet hoc argumentum in concione duntaxat, alibi non item*; ſed malo hoc vitium verbis excellentiſſimi Theologi, cujuſque ſcripta ab omnibus Proteſtantibus Theologis ſummis extolluntur laudibus, quam meis deſcribere. Is eſt ſupra laudatus *Stephanus Gauſſenus*. Hic autem pag. 185. loc. cit. ita loquitur: *Alterum quod ad eccleſiaſtæ mores ſpectat, in eo verſatur, ut eccleſiaſtes, quoad fieri poterit vera, aut ſi id minus licet, vero ſemper quam ſimillima loquatur: Perſuaſionem enim non aliter quam τω πιϑανω obtineri, nos in rhetoricis Ariſtoteles & ipſe ſenſus Naturæ ſatis docet: neque alia videtur eſſe ratio, cur comœdiarum ſcriptores, quorum in natura imitanda tota occupatur induſtria, id maxime ſtudeant, ut quas ſcribunt fabulas, illæ ſimilitudine tanquam fuco aliquo & pigmento colorentur, quæ ſi adſit, ſpectatores inani deluſi umbra*

a falſi

a falsi idea aliquantisper abducentur; si absit, rei insolentia offendentur & actores explodent. Tantus enim est & tam alte impressus a natura veritatis amor, ut etiam in ipsis fabulis, quæ ficti titulo proponuntur, vel veritatis species delectet. Quod si Poëtæ, quorum quidlibet fingendi magna semper potestas fuit, sibi tamen hanc præfixerunt legem, ut nihil unquam fingerent, quod a verisimilitudine discederet; quanto magis id Doctores veritatis facere consentaneum est, qui a Deo in mandatis acceperunt, ut primam omnium veritatum docerent & opera diaboli, qui mendax est ab initio, confutarent. At nullos tamen esse homines, qui ab ea norma magis recedant, quam ecclesiastarum genus, vetus est & de multis non iniqua forte querela: nam quia eum demum putant eloquenter dicere, qui de qualibet re proposita nihil mediocriter, omnia splendide & magnifice loquatur; dum modo de rei summa vera dicat: de cætero in iis quibus veritas ornatur, vel illustratur, veris addere parum iis religio est: unde porro fit, ut quid dicant, non de qua re dicant, attendentes, nullum exaggerandi vel deprimendi faciant modum: sic si quando perversos & in pejus ruentes auditorum mores deplorant, nihil sibi ad summam nequitiam describendam reliqui faciunt, & magno verborum strepitu ea aliquando deblaterant, ex quibus si quis auditorm mores æstimet, paratus sit dejerare, eos esse Thyeste, Busiride & toto illo nefariorum hominum choragio nequiores. Quid plura? Res eo adducta est, ut cum una & eadem sit simplex & immutabilis veritas; verum tamen in id, quod theologice & concionatorie verum est, vulgo distinguant. Hinc factum ut Itali, quando argumentum aliquod infirmum esse asserere volunt, dicant: questo e buono per la predica.

Denique debent illa ex ipsa thematis *natura* repeti. Quid enim aliud intendit orator, quam ut auditor ea, quæ proponuntur, intelligat, eaque pro veris habeat? Jam vero termino aliquo medio, ut cum scholæ Doctoribus loquar, ostendere debet, inter subjectum orationis & inter prædicatum naturalem aliquem esse nexum. Ex quo simul patet, neminem veri oratoris sacri laudem obtinere posse, nisi eum (ut de accuratiore religionis cognitione, & præsidiis hermeneuticis nil dicam) qui *artem cogitandi & loquendi* probe habeat perspectam & cognitam.

VI.

Agitur de methodo concionandi Anglis uſurpata.

Progredimur jam quidem ad methodum ipſam concionandi, viſuri quænam noſtra ſententia ſit omnium *ſimpliciſſima*, ubi tamen antequam ulterius progrediar duo monenda eſſe putamus. *Prius* eſt: nos nemini leges concionandi præſcribere, aut perſtringere velle aliter ſentientes; nedum cum quoquam diſputationis ſerram de hoc argumento reciprocaturos. Imo jam prævideo, me paucos ex noſtratibus in meam ſententiam pertracturum; novi etiam hujus rei cauſas, quas ut detegam hic, neceſſe non eſt. Per me igitur quilibet eam, quam optimam eſſe exiſtimat, ſequatur methodum. Licebit tamen etiam mihi libere animi mei cogitata de hoc argumento in medium protuliſſe. *Poſterius* quod monendum eſt, hoc eſt: nimirum lectorem non a me exſpectare debere, prolixam omnium partium, quibus oratio conſtare debet, enumerationem & explicationem; hoc aliis tractandum permittimus, neque ad inſtitutum noſtrum neceſſario pertinet: hoc tantum faciemus, ut in genere tradamus, quænam perorandi noſtra opinione ſit optima & ſimpliciſſima ratio. Simpliciſſimam autem appellamus eam, quæ aptiſſima eſt, ad intellectum neceſſaria luce perfundendum, & voluntatem ad aſſenſum & obſequium pertrahendam. Eam vero methodum *anglicanam*, quam & multi *Gallorum Germanorumque* ſequuntur, eſſe, ego quidem perſuaſus ſum. Probe hic autem attendi velim, agi hic de methodo, non vero de præpoſtero ejus uſu: novi enim quoſdam horum oratorum, aut nimis ſubtiliter ratiocinari, aut ſæpe prolixiores eſſe in perorando, ſed hoc methodi ipſius bonitati nihil detrahit. Simul tamen in gratiam quorundam monebimus; explicationem capitum graviſſimorum religionis naturalis & chriſtianæ inter ea non eſſe referenda, quæ ad non neceſſariam pertinent ſublimitatem; præterquam enim, quod hæc capita ita poſſint tradi, ut omnes promiſcue auditores, modo ſint attenti, veritatis cupidi, & religionis cognitione inſtructi, ea intelligant; nemo Chriſti genuinus ſectator eſſe poteſt ſine capitum horum cognitione. Videndum ergo eſt breviter, in quo methodus illa *anglicana* conſiſtat. Et 1.) quidem ut plurimum exordia non uſurpant Angli, aut ſi tale adeſt, breve illud eſt, atque momentum rerum dicendarum proponit. Exordia illa ſunt inventa ab oratoribus Græ-

cis

cis & Romanis, qui five verum five falfum perfuafuri, talem initio dicendi rationem ufurparunt, quæ re nondum rite percepta auditores alterutram in partem inclinaret. Qui de religionis christianæ & Scripturæ S. divina origine perfuafus eft, non opus habet, ut ipfi probetur multis rationibus id quod dicendum eft attentione effe dignum, præfertim fi orator thema eligat grave, momentofum & fcitu utile. Plerorumque oratorum exordia aut longe petita funt, aut cum ipfa materia coincidunt, laboremque ipfis faceffunt moleftum. Tuto igitur ea omittuntur, præfertim fi materia fit fœcunda valde, aut fi quid monendum oratori effe videtur, illud breve valde effe debet. (*) 2.) Qui hac methodo utuntur,

(*) Exordia non neceffariam partem effe orationis multi eruditi dudum obfervarunt. Vide ERASMUM de ecclefiafte pag. 270. ROQUES loco citato pag. 389. feq. GAUSSENUS ita de hoc argumento judicat, agens de partibus orationis pag. 155. Edit. Caffel. „ Primo loco numeratur exordium, „ de quo quid fentiam nemo poteft, qui fuperiora audiverit, ignorare: „ Exordium enim plane artem fatetur, nos autem omnia revocamus ad „ naturæ puros & limpidiffimos fontes: & fane qui confuetudinem inter „ & naturam æquus arbiter federit, procemiorum originem Sophiftis ftatim „ adjudicabit: Ecce enim ecclefiaftes prodit, quem locum ex verbo Dei „ explanandum elegerit, prænonet: fe in eum finem fuggeftum afcendiffe „ non diffimulat: verfum mox enarrandum prælegit: audiunt qui adfunt, „ exfpectant dum fidem concionator liberet; & fibi poft illa nefas effe „ putat in caufam invadere, ni prius per flexuofas ambages rem circum„ ducat. Rei autem vanitatem nihil eft quod magis arguat, quam regula„ rum importunitas, quibus magiftri negotium circumfcribunt; omne „ enim exordium promi ex vifceribus caufæ, neque tamen ad caufæ intima „ pertinere; quæ cum invicem conciliari vix queant, hinc eft, quod om„ ne exordium in alterutrum fcopulum impingit, ut vel extra caufam extet, „ vel intra caufam includatur. „ Confentit hac in parte ὁ μακαρίτης cl. VITRINGA in animadverfionibus ad methodum homiliarum ecclefiafticarum pag. 36. „ Exordia five prologi (inquit) non tam ad neceffitatem, quam ad „ εὐπρέπειαν exercitationum homileticarum pertinent: neque adeo vitium eft, „ fi res & occafio fic ferant, ea penitus omittere. Oratoria enim facra in uni„ verfum non ita eft adftringenda præceptis & canonibus, ut in artem tran„ feat. Prudens Evangelii minifter femper habendus eft recte & fcienter „ dicere & fuo fungi officio, fi orationem fuam ita accommodet ad per„ fonas & circumftantias, ut obtineat fcopum & fuadendo perfuadeat, „ etiamfi a communibus oratoriæ S. præceptis difcedat. „ Et pag. 46. „ Commendatio argumenti textus (quo fine adhibenda effe exordia qui„ dam pertendunt) nunc vulgo ufu recepta, minus eft neceffaria; etfi „ nihil etiam vitii habeat. Eft etiam petita ex oratoria humana forenfi aut

tur, textum, quem explanandum ſibi ſumunt, breviter explicant, miſſis operoſis verborum explicationibus, & locorum parallelorum collatione, & ſi quæ occurrat in textu forte originali vel verſione obſcuritas, lucem ſine ambagibus illi adferunt. 3.) Data explicatione, ea quæ in textu probe explicato continentur, in duas aut tres propoſitiones reſolvunt, quas in textu contineri homines non plane ſtupidi facile advertunt, modo orator in themate pertractando, & arte cogitandi probe ſit verſatus. 4.) Propoſitiones illas ſingillatim probant argumentis ex ipſius textus, ut ita dicam, viſceribus petitis, iisque claris & auditorum captui attemperatis. 5.) Denique ad applicationem, uti appellatur, progrediuntur, & argumenta allata in uſum revocant, ſublatis, ſi quæ occurrunt, objectionibus, vel præjudiciis, atque ita orationibus imponunt finem. Atque hæc methodus mihi videtur *ſimpliciſſima*, & omnium auditorum ingeniis quammaxime *attemperata*, idque ſive intellectum ſpectes, qui ſalutari luce eſt colluſtrandus, ſive ad voluntatem reſpicias, quæ in adſenſum eſt rapienda. Nervoſa nempe, brevis & plana textus explicatio lucem præfert intellectui: propoſitiones e textu elicitæ, clariſſimisque verbis expreſſæ, omnibus auditoribus ſignificant, quid tandem orator ſibi probandum ſumſerit: argumenta voluntatem in adſenſum rapiunt, & ſi id non fit, natura tamen ſua ita ſunt comparata, ut hominem veritatis amantem, eaque, quæ allata ſunt rite perpendentem, commovere merito deberent: neque enim miracula præſtare poſſunt oratores ſacri. Plura autem, quam quæ dixi, ab excellentiſſimo etiam oratore poſtulari non poſſunt. Adde quod hæc methodus ſit obſervatu facillima, ſi modo orator noſter in arte cogitandi & argumentis, quæ pertractanda ſunt, ſit verſatus; unde ſæpe miratus ſum & adhuc miror, cur tam pauci vel nulli plane inter nos hac methodo utantur, cum nulla ſit, quæ minus animum oratoris fatiget, nulla contra quæ memoriam magis adjuvet. De cauſis tamen neglectæ hujus methodi plura hic dicere non attinet. Loquimur autem, ut repetam, de methodi ipſius præſtantia, non de eo quod aliquando fieri ſolet. Fatemur enim eos, qui calculo ſuo hanc methodum probant, non tamen ſemper ex-

„ declamatoria, & quodammodo abludit a ſimplicitate oratoriæ ſacræ.
„ Quæ divini argumenti ſunt & ad æternam hominum ſalutem promovendam adhibentur, commendatione opus non habent. „

excellentes esse oratores: Nam ubi orator thema, quod sibi explanandum sumit, non exacte intelligit; quando obscuris verbis sua dicta profert, & quidlibet ex quolibet extundit, quando artis cogitandi est imperitus, aut denique multitudine argumentorum nihil probantium luxuriat, non magis hæc methodus eum juvat, quam quælibet alia. (*)

VII.

Agamus jam de methodo quam *Belgæ* & quidam *Germanorum* & *Helvetiorum* sequi solent. Hi ut plurimum amplis utuntur exordiis. In explicatione singulas etiam notarum rerum voces explicant, singulasque phrases locis parallelis, ubi diversos habent significatus, confirmant; imo sæpe qualis singularum diversis locis oc- Agitur de methodo concionandi Belgica.

 cur-

(*) Qualis illa methodus Anglorum sit, breviter & in compendio ostendit ill. Burnetus in tractatu suo de officio Pastoris: Verba illius in medium produxit cl. & amicissimus Meisterus, pastor ecclesiæ gallicæ Erlangensis, in libello suo cujus titulus: „ Reflexions sur la maniére de précher la plus „ simple & la plus naturelle. „ Verba ill. Præsulis ita sonant, pag. 6. „ Nôtre langage est fort épuré & rafiné, & nous sommes heureusement re- „ venus aux notions claires d'une simple & naïve rhetorique. Nous avons „ un si grand nombre d'excellens ouvrages imprimés en ce genre, qu'un „ homme, qui entend bien la Religion, & qui a le vrai goût du bon „ sens, peut aisément de lui-même se former une idée de leur methode. „ L'impertinente maniere de partager les textes par lambeaux est abandon- „ née; l'exposition inutile des termes de l'Original, & leur comparaison „ avec la traduction receuë, n'est plus de mise. L'ostentation affectée de „ traits d'érudition, & la coûtume d'entasser quantité de passages, où la „ plûpart des auditeurs n'entendent rien, n'est plus admirée ni goûtée de „ personne. Les tours ingenieux & la fade eloquence ont perdu leur cré- „ dit: nos sermons sont réduits maintenant à une exposition claire & nette „ du sens d'un Texte, que l'on éclaircit brievement en montrant la liai- „ son avec la suite du discours, dont il est tiré, & en developant les idées „ qu'il renferme. On établit là-dessus les propositions, qui en resultent, „ selon leur nature, leur verité & leur justesse, & l'on traite ces matieres „ en sorte, ques les auditeurs puissent acquerir par-là des notions claires „ & distinctes des differentes parties de la Religion, & que surtout ils soient „ rendus attentifs à celles qui sont les plus convenables à leur état, & les „ plus proportionées à leur capacité; pour cet effet on accompagne les „ vérités exposées d'applications assorties, tendant à censurer, à diri- „ ger, à encourager & à consoler les auditeurs, selon les diverses occa- „ sions qui se présentent. „

currentium significatus sit, exponunt; postea a vocibus & phrasibus eorumque significatione verbali ad sensum realem deveniunt, quem & *spiritualem* appellant, eumque secundum vocum & phrasium amplitudinem urgent; hinc non potest non fieri, ut in explicatione supra modum evadant prolixi & effusi; in peroratione ut plurimum breves sunt. Antequam vero, quid de hac methodo sentiam, exponam, duo hic notanda sunt. Primum est: videntur mihi quidam ex iis, qui hanc methodum sequuntur, *officium interpretis miscere cum officio oratoris sacri.* Multi concionatores sese appellant S. Litterarum interpretes, at in eo ex parte errant. Hunc titulum sibi vendicare possunt omnes, qui præsidiis philologiæ sacræ & religionis accuratiore cognitione sunt instructi, etiamsi ex ordine sint politico. Ita dum pretium erit litteris, magni existimabuntur *illustris Grotii* commentarii in S. Litteras; de quo Theologus Reformatus nemini suspectus *cl. Vitringa*, in præfatione ad *observat. sacras* ita judicat. *De phrasi biblica optime meritus est Hugo Grotius*, ἐν τοῖς μὲν δόγμασιν οὐ λίαν ἀκριβὴς, *sed eruditionis & limati cætera judicii respectu, haud dubie post Erasmum* ἐν τοῖς *Belgarum* ἀρίστοις *censendus.* Huic adstipulatur *celeb. Moshemius* in dissertat. de interpretatione & emendatione S. Litt. p. m. 166. *Qui ex instituto* (inquit) *eruditionem ad S. Codicis illustrationem accommodavit primus, præcipuus saltim est H. Grotius, immortalium in omne genus Litterarum meritorum vir. Ante hunc quidem* (ait in notis) *Joach. Camerarius, Victor Strigelius, Erasmus Schmidius, duresque alii, ejusmodi laborem susceperunt. Sed præterquam quod illi non tam res, quod Grotius tamen simul tentavit, quam verba explanarunt, qui tanto apparatu, eodemque animo, totum sacrarum Litterarum codicem hoc modo illustrare aggressus sit, ante hunc nullus extitit.* Unde patet, posse quem esse accuratum interpretem, licet concionator & V. D. M. non sit. Verum est, debent oratores sacri domi in suis Musæis eruditos consulere interpretes, eos præsertim, qui commentariis criticis & philologicis S. Litteras illustrarunt; debent solerter in sensum sacrarum Litterarum inquirere, & ubi interpretes ipsi, quod non raro fit, inter se dissentiunt, eam eligere explicationem, quæ sua sese commendat probabilitate; hæc, quæ legit omnia, debet in summam contrahere & plano facilique stylo proponere; non autem postulatur ab eo, ut quæ domi legit, ad criticam, philologiam, & varias

vocum

vocum phrasiumque significationes pertinentia in publico cœtu proponat; talia enim plerique auditorum non intelligunt, hoc unum postulantes, ut quid vox, quid phrasis, quid totus verborum ambitus, hoc in loco & textu, quem orator sibi explicandum sumit, non vero quem alium forte significatum aliis in locis habere vel possit vel debeat. Verbo, hoc unum ab oratore S. postulamus, ut thema, quod tractandum sibi sumsit, rite explicet, veritates in textu contentas probet, denique eas commendet, & quantum fieri potest argumentis perspicuis & solidis, incitamentisque gravibus insinuet. Confirmabo autem sententiam meam cl. virorum, qui de arte homiletica scripserunt, testimoniis, ne forte quis putet, me solum esse, qui huic sententiæ addictus sit. Primo prodeat cl. *Roques.* Hic vero libro citato, ubi de tractatione textus agit, p. m. 412. loc. cit. ita disserit: „ Il n'est pas nécessaire d'étaler tous les sens, „ dans lesquels les Ecrivains sacrés & profanes ont pris le terme, dont „ on veut fixer la signification. Ces discussions grammaticales sont „ également inutiles & ennuieuses. Le Prédicateur doit bien, dans „ son cabinet, se donner tous les soins requis, pour découvrir au „ juste, quelle est la véritable signification du terme ambigu; s'il est „ nécessaire il doit consulter les passages paralleles, les versions & les „ autheurs contemporains à celui, où ces termes se trouvent. Mais „ est-il naturel, qu'il vienne rendre compte à son auditoire de tous les „ livres, qu'il a feuilletés? où il a découvert le vrai sens des termes, „ où il lui est encore inconnu: dans le dernier cas, il doit choisir „ un autre texte; mais s'il a pénétré la veritable signification, il suffit „ qu'il indique & qu'il montre qu'elle convient bien à toute la suite du „ discours de l'autheur sacré. Ceux qui viennent chargés de citations d'autheurs profanes, pour justifier le sens, qu'ils veulent „ donner à un terme, ou qui accummulent quantité de passages des „ Ecrits sacrés, où ce terme se trouve, n'ont sûrement pas en vûe „ d'édifier & d'instruire leur auditoire, ou s'ils ont ce bût, il faut „ qu'ils soient bien-mal partagés du côté du jugement. Et pag. 413. inquit: „ On doit éviter de donner plusieurs sens au même terme, sous prétexte, qu'il les a dans les Ecrits sacrés, mais „ dans différens passages. Il est vrai, que ceux, qui aiment à „ composer de longs sermons, sans beaucoup de travail, s'accommodent assés de cette methode, qui leur fournit un champ vaste de ré-

„ flexions.

„ flexions; mais auſſi ils peuvent être aſſurés, qu'ils n'expliquent „ pas l'Ecriture: c'eſt ſimplement rapporter tout ce qu'elle dit, dans „ tous les endroits, où le même terme eſt emploié; mais ce n'eſt „ pas determiner ce que l'autheur ſacré a voulu dire dans le paſſage, „ qui eſt en queſtion. Il eſt inconteſtable, que le principe de ces „ Theologiens qui croïent, qu'on peut donner aux termes de l'Ecri- „ ture toutes les ſignifications, dont ils ſont ſuſceptibles, ouvre „ la porte aux explications les plus groteſques & les plus déraiſonna- „ bles. Chacun ſuivant ſon tour d'eſprit, peut enchérir ſur le ridi- „ cule, & ce qu'il y a de plus fâcheux, c'eſt qu'on met toutes les ab- „ ſurdités ſur le compte de l'Eſprit ſaint, ſous prétexte, que les ter- „ mes dont il s'eſt ſervi, ont quelque part cette ſignification; qui, „ appliquée au paſſage particulier, qu'on explique, produit pour- „ tant un ſens totalement éloigné du naturel. „ Cl. *Gauſſenus* ita de hoc argumento loquitur, libro cit. pag. 161. „ Noſtri conſilii „ ſumma huc redit, ut quandoquidem eccleſiaſtes ſe Scripturarum „ profitetur interpretem, nihil eorum omnium prætermittat, quæ „ ad loci intelligentiam pertinebunt; de cætero ſe in noſocomeïo „ verſari ſemper meminerit, Scripturam S. panaceam eſſe non huic „ aut illi morbo, ſed omni, cujuſmodi illa ſit, infirmitati ſanandæ „ conſecratam: nullum autem eſſe locum in toto verbo Dei, ut ut „ alias difficilem, qui non poſſit in iis, quæ ad ſenſum grammati- „ calem attinent, intra horæ quadrantem perſpicue explanari, ſi mo- „ do ſupervacanea reſecentur & inanis verborum ſarcina rejiciatur. „ Ὁ μακαρίτης cl. *Reinbekius*, *in dem Vorbericht zu dem Grundriſs einer Lehrart, ordentlich und erbaulich zu predigen*, hæc profert: *Manche haben bey den Erklärungen der Worte die Gevvohnheit, daſs ſie nicht allein alle verſchiedene Bedeutungen, die ein Wort in heiliger Schrift hin und vvieder hat, anbringen, und die Stellen dazu anführen; ſonder daſs ſie auch die verſchiedenen Erklärungen der Ausleger heiliger Schrift ihren Zuhörern vortragen. Es iſt dieſes ein vortreffliches Mittel die Zeit hinzubringen, ohne daſs man ſich vorher ſonderlich Mühe hätte geben müſſen. Man darf nur ſeine Concordanz, ſeine Lexica, Poli Synopſin oder andere ſolche Bücher ein vvenig durchblättern; ſo kann man mit dergleichen Erklärungen bald fertig vverden, und noch vvohl dazu bey unverſtändigen das Lob eines gelehrten Mannes erhalten. Aber in der That richtet man ſehr vvenig Gutes damit aus. Verſtändige Zuhörer vverden verdrüſslich,*

lich, andere sind und bleiben ungevviss, und ich mag den Schaden, vvelcher daraus zu entstehen pflegt, nicht einmahl deutlich heraus sagen. Andere, vann sie über Texte, die den Worten nach deutlich sind, predigen sollen, und meynen, dass sich darüber sonst nicht viel sagen lasse, verfallen, damit sie gleichvvohl ihre Zeit hinbringen auf gelehrte Critiquen, auf Historien, auf Sinnbilder, auf scharffsinnige Sprüche der alten Heiden und Kirchenväter: Oder vann ihnen dieses alles zu mühsam ist, und zu unschiklich vorkommt, auf eine Menge gleichlautender Schrift-Sprüche, die sie nach einander auffschlagen, herlesen, und auch vvohl vvieder auszulegen anfangen. Wenn man hier allerley Redensarten anbringet, um die vielen Sprüche mit einander zu verknüpfen, so kann man schon einige Zeit damit hinbringen. Und vvenn man mit solchen Redensarten geschiklich abzuvvechslen vveiss, vvelches einem, der sich darauf geleget hat, nicht eben schvver ankommen kann, so fällt es auch nicht übel ins Gehör, die Zeit streichet unvermerkt vorbey, und man verdient dadurch vvohl gar das Lob eines Schrifterfahrnen Mannes. Ipsemet auctor *des Grundrißes* consuetudinem illam multorum concionatorum ita false perstrinxit pag. 159. & seqq. *Indem vvir oben* (inquit) *die Erklärung biblischer Redensarten als etvvas nöthiges erfordern, so vvollen vvir darmit nicht alle diejenige Weitläufigkeiten billigen, die unter dem Namen der Erklarung des Textes, sonderlich in der sogenanten Dispositione analytica gevvöhnlich sind. Dann da pflegen die meisten Homileten die ganze Zeit, die zu ihrer Predigt bestimmet ist, mit einer unendlichen Exegesi zuzubringen, alle Theilchen des Textes, bis auf die Sylben und Buchstaben zu zergliedern, und ihre Kentniß der Grundsprachen, die doch mehrentheils nur erborget ist, mit grosser Prahlerey, aber ohne alle Noht, zu zeigen. Sie umschreiben auch die allerleichtesten historischen Texte so vveitläufig, nach den bekanten Fragen: Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando; und dehnen dardurch Erzählungen, die auch ein Kind fassen kann, so vveit aus, daß man sie nicht übersehen kann. Sie erzehlen die vielen Bedeutungen, die manches Wort in der Schrift hat, oder nach ihrer Meinung haben kann, bis der Zuhörer vervvirrt vverden und vvohl gar auf die Gedanken gerahten muß, daß die Schrift eine vvächserne Nase sey, daraus man machen könne, vvas man vvill; andere führen nach dem sogenannten Parallelismo verbali und reali unzähliche Stellen aus der Schrift an, vvo von eben der Sache geredet vvird, oder vvo doch eben das Wort vorkommt. Noch andere*

machen sich mit den verschiedenen Meinungen der Ausleger breit, führen alle Patres und Rabbinen, die neuen Commentatores, die Criticos anglicanos, und den Cornelium a Lapide an: ob sie gleich keines von allen selbst nachgeschlagen, sondern etwa aus einer Medulla Patrum, einem Sternhimmel, einer Aurifodina, oder sonst aus gewissen Prediger-Schäzen und Deliciis evangelico-epistolicis, ihre ganze Gelehrsamkeit erborget haben. Aller dieser unzeitige Kram dienet ganz augenscheinlich, die Zuhörer mehr verwirrt zu machen, als ihnen die biblischen Worte zu erklären. Denn wie die Kraft einer Arzney gleichsam vernichtet wird, wenn man sie in ein gar zu grosses Gefässe voller Getränke tröpflet, so verschwindet auch gleichsam der Nachdruk biblischer Texte, wenn sie gar zu subtil zerlegt, und sylbenweise aus einander gezerret werden. Was nuzet es auch den Zuhörern mit Zungen vorzureden, wenn man weissagen soll; ich meine viel hebraische, chaldaische, syrische und arabische Worter vorzusagen, wenn man ihnen eine unbekannte Sache deutlich machen soll? Warum führt man doch Bedeutungen eines Worts an, die es in diesem Texte handgreiflicher Weise nicht haben kann? Warum überhaüft man die armen Zuhörer mit einer Menge von Sprüchen, die, wenn ihnen das Hauptwort noch unbekannt ist, ihnen eben so unverständlich seyn werden, als der Text selbst, übrigens aber nur die Zeit wegnehmen, die zur Abhandlung der Sache bestimmet ist? Wie müssig sitzen endlich die armen Zuhörer nicht in der Kirche, wenn der Prediger sich mit einem R. Kimchi und Maimonides, Abenesra und Abarbanel herum schlägt, den Erasmum mit dem Brentio, und den Calvinum mit dem Grotio vereinigt? Alle diese dinge hätte er billig zu Hause und in seiner Studier-Stube thun, nicht aber seinen Zuhorern auf der Kanzel damit beschwerlich fallen sollen. Eine kurze Paraphrasin oder Enarration der allernöhtigsten Textworte kann man am allerbequemsten, gleich nach Verlesung derselben, im Eingang machen, noch ehe man das Thema sagt; wie die Alten gethan, und die neuen Redner gleichfalls haben wollen; aber sich in viel philologische Untersuchungen und exegetische Prahlereyen einzulassen, das ist weder nöthig, noch den Exempeln unserer besten Theologen gemäß. Cl. *Salchlinus* in oratione supra laudata, postquam narrasset nimiam illam in explicando textu verbositatem, & adductas varias textus interpretationes conciones præter modum efficere prolixas, aliud malum huic oppositum, at æque præposterum, in medium proponit. Verba ipsius sic sonant,

pag.

pag. 27. hujus orationis: „ At nec hic abusuum finis, dantur adhuc „ alii, qui in suis concionibus ratiocinia ratiociniis superaddunt, ac „ talia in infinitum cumulant: quæ per se satis evidentia, definitionibus illustrare satagunt; ubi de S. Cœna agitur, prius definitio danda, quid sit panis. Post definitiones sequuntur axiomata, „ theoremata, corollaria, scholia: Musæolis suis per multos dies inclusos sese tenent, ut omnia rite consarciant, antequam mercem suam „ venum exponant; qui, ut sæpius dixisse fertur doctissimus l'Enfant, se rendent invisibles tous les jours de la semaine pour se rendre inintelligibles le Dimanche. Se hinc infinitis modis super alios „ extollunt, Empiricorum ad instar novam Alexipharmacorum, „ Theriacorum, Antidotorum, Panacæarum, Elexiriorum compositionem crepitantium, & rusticis omnia juxta artem suam demonstranda esse iterum atque iterum clamitant. Insigniter fallor, aut „ brevi videbimus, nisi mundus promptius sapiat, catechismis nostris compendia logicæ artificialis præmissa, tanquam libros symbolicos, omni veneratione suscipiunda, quibus regulis prius rustici exercendi, antequam catecheticis institutionibus admittantur: „ quam methodum equidem in omnibus scientiis pernecessariam ac „ utilem, in concionibus autem satis inutilem crediderim. Unicuique nunc expendendum relinquo, an talis concionator, cujus „ animus hac methodo scientifica plane ebrius, vel qui tali pletora demonstrativa laborat, brevi tempore exercitium concionatorium componere possit. „ Ita cl. ille Theologus. Ex quo simul constat, male cum ecclesia actum fore, si a solis oratoribus sacris suspensa esset genuina S. Litterarum interpretatio; notum enim est, parum quosdam in hac materia versatos esse, quo ipso tamen negare nolo, posse aliquem eruditum oratorem esse, & simul præstantem interpretem, quod experientia constat.

Alterum, quod hic observandum, hoc est: nimirum solent viri docti, qui hanc methodum probant, inter alia dicere, se hac prolixa oratione vel explicatione effecturos, ut auditores sensum S. Litterarum rite intelligant, & stylum sacrorum Scriptorum probe cognoscant. Sæpius hoc ingeminari audivi; at ego soleo sequentia regerere, quæ prudentis judicio submitto. *Primum* est: Is ipse, qui Anglorum methodum sequitur, data genuina explicatione & repræsentato vero textus sensu, etiam efficit, quantum in se est, ut

auditores omnes ſenſum S. Litterarum intelligant; hoc enim eſt proprium oratoris, qualemcunque methodum ſequentis. 2.) Viri docti, ut audivimus, ſingularum vocum & phraſium ſignificationes e textu originali repræſentant, & ex principiis philologiæ ſacræ ſuas interpretationes repetunt. Jam vero aut credere debent, plebem, & qui plebe meliores non ſunt, quales ſunt utplurimum plerique auditorum, fundamenta harum intelligere, & interpretationis genuinas regulas expendere poſſe; aut id ſibi perſuadere non debent. *Prius* nulla ſpecie veri tueri poſſunt, quandoquidem auditores plerique omnibus illis præſidiis deſtituuntur, quæ a genuino interprete requiruntur; unde fruſtra ſunt tam longæ prolixæque explicationes. Pone quendam oratorem ſibi Evangelium aliquod vel Epiſtolam tractandum ſumere, & per plures annos in eo publice explicando, eamque methodum ſequendo, verſari: perſuaſus ſum, poſt effluxum tot annorum auditores non magis, quæ difficiliora (de iis enim, quæ quilibet ſine longa explicatione intelligere poteſt, hic ſermo non eſt) in his libris continentur, intellecturos, quam antea. Si vero viri docti *poſterius* aſſerunt, videant tandem, quem in finem operoſæ illæ explicationes auditoribus propinentur, & annon præſtaret hac in parte Anglorum methodum ſequi. *Tertium* quod reſpondeo hoc eſt: nimirum ſi plebs debet textum S. rite intelligere, id non tam fieri debet per concionum auditionem, quam vero per frequentem ſacrarum Litterarum lectionem, adhibitis paucis & nervoſis gloſſis. Dices hæc conjungenda eſſe, & privatam illam lectionem efficere, ut ſenſum textus ſacri melius intelligant; non infitior; at ne ſic quidem plebs, & illi ſimiles, artificioſas illas & prolixas phraſium explicationes e principiis philologiæ ſacræ petitas adſequentur; dum inter legendum in id tantum intenti ſunt, ut vocem aut phraſin obſcuriorem intelligant. Ad principiorum vero, quibus nititur illa ſollicita enodatio rerum & verborum, cognitionem, nunquam, niſi exegeticam artem & adminicula philologica adhibeant, linguaſque addiſcant, pervenient. Quod ſi viri docti aliter ſentiant, & me meliora edoceant, ſine mora judicio illorum ſubſcribam.

VIII.

VIII.

Tempus est, ut nostram de hac methodo aperiamus sententiam; faciemus hoc sincere & candide, ita tamen, ut aliis diversum sentiendi lubentes concedamus potestatem. Generaliter de hac methodo loquendo, existimo, eam quod ad *simplicitatem* spectat cum Anglorum comparari non posse, & incommodis variis obnoxiam esse. 1.) Nimia prolixitas vix hac ratione evitari potest. Unde in ejusmodi locis, ubi hæc concionandi ratio locum habet, audias sæpissime concionatores, per bihorium, imo sæpe per trihorium perorantes; & inde natam etiam esse vitiosam consuetudinem puto, ut populus e templo, media in concione egrediatur, & redeat. Et qui ad methodi hujus leges attendit, facile deprehendit, oratorem oportere esse prolixum. Solent etiam omnia verba, etiam tritissima & vulgo nota explicare, varias vocis & phrasium in S. Litteris usurpatarum significationes enumerare; deinde hæc omnia ad sensum realem, vel uti loqui solent, spiritualem, transferre, emphases vocum urgere, omnes allusiones minutatim enodare, ad quod præstandum, ut nemo non videt, multum temporis requiritur. Hinc etiam fieri solet, ut explicationi textus tres partes, applicationi vero utplurimum quartam duntaxat temporis partem concedant.

Judicium auctoris de methodo Belgarum.

2.) Ex hoc ipso attentio auditorum defatigatur nimis; imo docti pariter & indocti quodam audiendi corripiuntur fastidio. Docti etenim ipsi ex Lexicis & commentariis diversam vocum & phrasium potestatem cognitam habent, vel si memoriæ non semper occurrant, domi, sine concionatoris opera quærere possunt: amant illi potius brevem & nervosam textus explicationem: desiderant ab oratore dilucidam argumentorum, quibus sensus Scripturæ S. reconditur, explicationem; exspectant gravissima ad veritatem prolatam vel virtutem commendatam incentiva. Plebs varia illa vocum & phrasium significatione, quæ utrum veræ sint necne ignorat, turbatur, somnus illi obrepit, & ubi ad masculam deventum est applicationem, attentione nimis defatigata, magno cum desiderio tandem finem orationis exspectat.

3.) Prolixa illa cum verbali tum reali explicatione fieri solet, ut propositiones in textu contentæ non satis prolixe, & ad convictionem auditoris probari possint; in quo tamen nervus totius ora-

tionis sacræ consistit. Auditor sapiens quammaxime ab oratore exspectat argumenta solida, quibus veritas comprobetur. Si hæc non adsunt, prolixissima explicatio nihil prodest; non enim sufficit animi sui sensa de significatione horum vel illorum verborum exposuisse, sed necesse est, ut quod asseruit orator clarissimis probet argumentis. Quod si vero orator, qui *belgicam* hanc methodum sequitur, præstare pro dignitate materiæ hoc vellet, vix finem repertura esset ejus oratio. Anglicanæ vero methodo insistenti satis temporis relictum est, ad hæc in medium proferenda.

4.) Ex hoc ipso quartum sequitur hujus methodi incommodum: nimirum animus auditoris tam prolixa explicatione defatigatus, cum ob argumentorum pleniorem defectum, tum succinctam plane adplicationem, vix ad assensum eorum, quæ dicta sunt, rapi potest. Experientia constat, tædium rerum non satis notarum, quales illæ prolixæ verborum & phrasium explicationes sunt, excitare aliquod fastidium; quo semel oborto animus turbatur, & ad omnia magis objecta fertur, quam ad id quod proxime contemplationi objicitur: voluntas vero hoc in statu, nullis ad agendum stimulis excitata, deficit, qua re fieri solet, ut orator utplurimum frustra laboret, successuque felici destituatur.

5.) Hoc malum augetur, si oratores talia themata explananda sibi sumunt, quæ potius ad ostentandam suam peritiam in typicis, emblematicis, propheticis, & ejusdem naturæ materiis, quam vero ad simplices veritates omnium ingeniis attemperatas, explicandas & insinuandas populo christiano faciunt. Jam vero experientia constat, plerosque, qui celeberr. *Cocceji* hypotheses sequuntur, nonsolum his thematibus deliciari, quamvis plebi exiguam plerumque adferant utilitatem, sed & prolixissime sæpe his inhiare, atque variis comparationibus imaginationi repræsentatis, auditores quidem in stuporem conjicere, multa vero dicendo parum efficere. Orator certe, si ad ignorantiam plerorumque hominum, eorumque pigritiam in rebus ad salutem spectantibus attendit, simulque, quid potissimum scitu factuque necessarium sit, rite perpendit, palpare quasi manibus potest, omnia, quæ ad principalem scopum non pertinent, esse resecanda; nonnisi gravia & utilia populo christiano esse inculcanda, eaque tradenda tam populari, perspicuo & claro dicendi genere, ut non possit non auditor dicta intelligere.

Atque

Atque hæc mea eſt de *ſimplicitate* in orationibus ſacris obſervandæ ſententia. Quod ſi cui tamen *belgica*, uti vocatur, methodus concionandi arrideat, illam per me uſurpet, non intercedo; neque invideo: ſed ſimplicem illam eſſe, & omnium ingeniis attemperatam nemo mihi perſuadebit.

IX.

Repræſentantur quædam media generalia & ſpecialia, quæ ad obtinendam illam in orationibus ſacris ſimplicitatem plurimum conferre poſſunt.

Antequam finem huic diſſertatiunculæ impono, in gratiam S. L. cultorum quædam media oſtendam, quibus adjuti, ad nobilem illam in orationibus ſacris ſplendentem *ſimplicitatem* pervenire poſſunt. Regularum forma hæc tradam:

1.) Quando ad orationem ſacram habendam te accingis, noli ſtricte præceptis rhetorum ſacrorum inhærere, quia ſæpius confuſionem pariunt & efficiunt, ut multa in medium afferantur, quæ facile poſſent reſecari. Monuerunt hoc viri, qui de methodis concionandi data opera egerunt. Vir cl. *Stephanus Gauſſenus* de ratione concionandi pag. m. 173. ita de hoc argumento loquitur: *Miramur eorum ſiniſteritatem, qui ſe tum maxime diſertos putant, quando orationem ſuam ad neſcio quas exiles regulas & a vulgi ſenſu abhorrentes accommodarunt: illa enim minuta Magiſtrorum præcepta a plebe devorantur, ab hominibus paulo ſublimioris indolis facile contemnuntur, a tardioribus ne intelliguntur quidem: ipſe Deſiderius Eraſmus, cujus judicium alioqui admiramur, dum hæc omnia libro, cui Eccleſiaſtes titulus eſt, nimis curioſe conquirit, viris cordatis minus ſatisfecit: parum enim abeſt, quin quia rethorum auctoritatem ſequitur, & illud argumentum alieno potius, quam ſuo judicio exequitur, ad ineptias vir minime ineptus delabatur.* Veriſſimum eſſe hoc judicium præſtantiſſimi Theologi de libro *Eraſmi*, quemvis non imperitum harum rerum ipſa lectio edocebit. Idem tamen *Eraſmus* alicubi monet, non ſemper veſtigiis præceptorum rethoricorum eſſe inhærendum. pag. 42. Edit. Baſil. ait: *Rhetores negant quemquam bene dicere niſi dicat apte, etiamſi alioqui dicat ornate, copioſe & ſplendide, & artis præceptiones jubent prudentiæ cedere, quam illi dividunt in judicium & conſilium, quæ præceptis tradi non poſſunt, ſed ex oratoris petuntur ingenio & e negotii circumſtantiis ſumuntur.* Et pag. 43. *In tantum vero non proſunt artis præcepta ſine prudentia, ut quidam Rhetoricam nihil*

nihil aliud esse putarint quam dicendi prudentiam. Prudentia vero quanquam tum institutione, tum usu confirmatur, tamen a natura potissimum proficiscitur. Hinc est, quod vere dicunt, dicendi artem aut cito disci, aut nunquam. Si adsit naturalis illa prudentia, præceptiones agnoscuntur potius quam discuntur. Si non adsit, ars efficit, ut pejus & molestius dicamus. Quemadmodum enim nulli ratiocinantur ineptius, quam ii, qui natura stupidi Dialecticen studiose didicerunt; ita nulli dicunt ineptius iis, qui invita ut ajunt Minerva præcepta rhetorum religiose observant: quum sæpe summa sit ars, artem negligere.

2.) *Diligenter excole artem cogitandi.* Hæc profecto oratori plus præsidii adfert ad rite, id est perspicue & ordine disserendum, quam longæ illæ rhetorum præceptiones; hæc docebit quænam potissimum argumenta sint eligenda, quæ vitanda & resecanda. Profecto ego concipere non possum, qua ratione quis rite defungi possit officio oratoris sacri, sine accuratiore notitia artis cogitandi. Monendum autem est probe, me de homine simul verba facere, qui thema sacrum, quod explicandum & probandum sumit, penitus cognitum & perspectum habet. Tria nimirum postulantur a quovis oratore sacro potissimum; *primum* est, ut stylo puro, perspicuo & rei attemperato utatur; *secundum*, ut thema, quod explanandum sibi sumit, accurrate & si fieri potest plene intelligat; *tertium*, ut ope artis cogitandi, cogitata sua disponere, argumenta vera a falsis discernere, gravissima eligere, eaque auditorum animis insinuare possit.

3.) *De simplicitate sermonis, id est perspicuitate ejus & ordine, quammaxime esto sollicitus.* Hac enim facultate qui est instructus, ille auditorum omnium, modo in cæteris rite thema suum explicet & probet, sibi conciliabit benevolentiam: qui vero vel barbare vel plebeio & humi repente utitur stylo, prudentioribus ludibrio est: idem dixerim de iis, qui exaggerationibus & rhetoricationibus inhiant. Certe a plebe non intelligitur, a doctis vero omnibus, etiamsi non contemnenda immisceat, contemnitur, atque efficit, ut ad res ipsas non satis attendant. (*)

4.) *Lege*

(*) Il est certains esprits, dont les sombres pensées,
Sont d'un nuage épais toûjours embarrassées.

4.) *Lege eos Oratores S. qui sive sermonem spectes, sive ad argumenti tractationem attendas, amabilem illam simplicitatem secuti sunt*, quales sunt v. gr. sermones *Osteruvaldii*, *Werenfelsii*, *Sackii*, & si qui forte alii, mihi non lecti, qui eandem semitam ingressi sunt. Plus certe ex hac attenta lectione ejusmodi sermonum proficies, quam ex tot magistrorum præceptiunculis.

5.) *Ante omnia compara tibi solidam, non scholasticis tricis fœtam, rerum theologicarum, theoreticarum pariter & moralium notitiam.* Profecto sine hac, qualemcunque sequaris methodum orationes habendi, finem, quem intendis, non obtinebis; quo quis accuratiorem divinarum rerum habet peritiam, eo magis est aptus ad res perspicue explicandas & probandas. Accuratioris autem scientiæ theologicæ nomine non intelligo notitiam omnium articulorum religionis, & minutarum quæstionum, quæ in systematibus passim pertractantur. Hæ enim sæpe potius solidæ notitiæ officiunt, tantum abest, ut ad eam comparandam quicquam conferant. Ubi pro rostris talia proferas, non magis plebs te intelliget, quam si ignota loquaris lingua. Neque propterea tamen a pastoribus singulis postulamus πολυμαθειαν, & singularum partium, quibus eruditio theologica absolvitur, cognitionem; sed requirimus saltem, ut quæ scitu quammaxime sunt necessaria probe habeant perspecta. Recte *Erasmus* de hoc argumento verba faciens dixit: *Quemadmodum enim non inscite dixit quidam, eum eruditum appellandum esse, non qui didicerit plurima, sed quæ optima maximeque necessaria: ita non est necesse, ut futurus ecclesiastes in quibuslibet consumat operam atque ætatem, quæ fugax est ac brevis, etiamsi contingat senectus, quæ non ita multis concessa est, sed ea primum & potissimum discat, quæ ad docendi munus sunt accommodatissima.* Et unde tandem factum est, quod tam pauci nomen oratorum præcellentium consecuti sunt, quam quod per vitam omnis generis egregios scriptores non evol-

Le jour de la raison ne le sauroit percer.
Avant donc que d'écrire, apprenés à penser.
Selon que nôtre idée est plus ou moins obscure,
L'expression la suit ou moins nette, ou plus pure.
Ce que l'on conçoit bien, s'enonce clairement,
Et les mots pour le dire arrivent aisément.

Verba sunt Boilavii Art. Poët.

verunt, sed hujus tantum sectæ vel gentis libros adamarunt. Profecto felix est ille studiosus Theologiæ, qui mature satis in præstantissimos rerum theologicarum tractatores incidit, nactusque est doctorem, qui quid in rebus sacris sapere sit, omnium judicio probe callet. Quod de notitia Theologiæ theoreticæ dixi, idem etiam de christianæ Ethicæ accuratiore studio dictum velim; sine hoc vix quisquam animorum humanorum accuratam habebit, notitiam & quomodo hoc vel illud præjudicium sit debellandum, vel hæc vel illa veritas ad commovendos animos sit proponenda & insinuanda perspectum habebit. (*) Multi concionatores ethicæ christianæ & philo-

(*) Quanta sit concionum ethicarum ex limpidissimis rationis & revelationis fontibus petitarum utilitas & necessitas, nuper data opera ostendit vir pl. reverendus ac clarissimus A. F. W. Sackius, potentissimo & sapientissimo Borussiæ Regi a Sacris, in luculenta & nervosa præfatione tomo I. concionum cl. Fosteri præmissa. Inter alia ostendit, ejusmodi conciones ad impediendum & reprimendum fanaticismum in quadam Germaniæ & utinam! in ea tantum parte grassantem, multum valere. Digna sunt verba, quæ hic legantur: „ Durch moralische Predigten, (inquit) es müssen aber „ recht gute moralische Predigten seyn, wird auch auf der andern Seite „ der Schwärmerey am kräftigsten vorgebeuget, indem dardurch der „ Mensch in seinen Pflichten gehörig unterrichtet, der Gebrauch des gesunden Verstands bey ihm unterhalten, und also sein Gemüth vor aller „ Ansteckung des Aberglaubens verwahret wird. Denn der Grund aller „ schwärmerischen und enthusiastischen Ausschweiffungen ligt darinn: „ dass der Mensch entweder zu einer verwirrten Andächtigkeit und Furcht „ vor Gott verleitet wird, darbey mehr Aengstlichkeit und Kopfhängerey „ als wahre Einsicht und Erleuchtung ist, oder dass er den Gebrauch seiner Vernunfft in der Religion vor gefährlich hält, oder auch dass er sich „ verkehrte Begriffe von dem Glauben macht, und denselben an die Stelle „ der Rechtschaffenheit und Tugend setzt, oder solchen Gott anstatt eines gebesserten Herzens und sittlicher guten Eigenschaften als ein Æquivalent anrechnet. Es ist sehr zu zweiflen, ob eine gewisse Schwärmerey, welche in unseren Tagen die Kirche des Herrn betrübt, und zur „ Beschimpfung der Vernunft und des Christenthums ihre ganze Religion „ darinn setzt, keinen gesunden Verstand zu haben, und auch keinen haben zu wollen; eine Schwärmerey, welche der Verehrungs-würdigsten Lehre des Evangelii, zur höchsten Verunehrung unsers göttlichen „ Erlösers, die ärgerlichste und ekelhafteste Gestalt giebt, das Kreutz Christi „ mit denen schmutzigsten Farben mahlet, und in einem Tohne der frechsten Freygeisterey die Sittenlehre ganz ohne Scheu vor eine Plage der „ Thoren ausschreyet; es ist sehr zu zweiflen, ob diese ungeheure Schwärmerey jemals würde seyn ausgebreitet und so viele blöde Gemühter in ihr

philosophiæ studium negligunt, putantes se ex quolibet textu facile practicas quasdam veritates elicituros. Alii nonnisi generalia præcepta & systemata legunt, quæ vix in tanta animorum varietate ad certos casus applicari possunt. Defectum hunc dudum in oratoribus sacris notarunt præstantes Theologi. Audi cl. *Roques* & *Osterwaldium*; prior pag. 290. libri a nobis supra citati ita loquitur: „ Il faut pour traiter heureusement cette partie de la Theologie chrétienne, étudier & connoitre les differens penchans du cœur humain, „ par où il est le plus prénable; quelles sont les illusions, qu'on se „ forme, & derriere quels prétextes on se retranche. Si l'on ne ré- „ monte pas jusques à ces illusions, jusques à ces préjugés, qui sont „ les boucliers du vice & du pécheur, tout ce qu'on lui dit, est inutile. „ Il faut dévoiler le cœur humain, & lui montrer, que les appuis, sur „ lesquels il se fonde, ne sont que vanité. „ Posterioris verba (Source de la corruption T. II. S. 3.) hæc sunt: „ Les généralités ne ser- „ vent pas de beaucoup en matiére de Morale. Prêcher en gros, „ qu'il faut être gens de bien; declamer contre la volupté, ou contre „ l'avarice, cela ne convaince personne. Ce n'est ni en criant, ni en „ envoïant les pécheurs en enfer, qu'on les gagne. Il faut montrer „ plus distinctement, ce que c'est que d'être homme de bien. Il „ faut charactériser les vices & les vertus, en marquer les éspèces & „ les degrés différens; il faut donner à ses Auditeurs des régles parti- „ culiéres; leur fournir des motifs & les conseils nécessaires; dissiper „ les illusions qu'ils se font; prévenir les objections & leurs éxcuses. „ Si l'on n'en vient là, on prêchera avec peu de succès. „ Alios delectat ethica innumeris mysticis expressionibus repleta, quas ne quidem ipsi, nedum auditores intelligunt: Rursus quidam practicam Christianismi, uti loqui solent, urgent, sed omnia ita exaggerant, ut ne optimus quidem & virtutis studiosissimus præcepta illa observare possit. Profecto, qui vitia etiam leviora tanquam atrocissima depingunt, plus virtutis studio nocent, quam ipsimet putant. Ita enim ubi etiam de crassis erroribus & vitiis verba faciunt, fidem oratori, ejusmodi exaggerationibus assueto, non habent: Idem fit ubi de virtute aliqua commendanda & sectanda agitur. Si enim ea ita depingitur,

„ Garn seyn verwikelt worden, wenn man sich mehr auf eine recht gesunde Moral gelegt, und die Glaubens-Lehre mehr practisch getrieben hätte. „

tur, ut manifestum sit cordato cuique, ejus exercitium in hominem non cadere, sed omnes plane ejus vires superare, tantum abest, ut ad ejus observantiam excitentur homines, ut potius ejus studium retardetur, quoniam ad impossibilia neminem obligari posse sciunt, quotquot non plane stupidi sunt. Cl. *Roques*, loco citato p. 432. ubi agit de incitamentis, quæ ad officia præstanda ab auditore adducuntur, hæc habet: „ On doit éviter avec soin, de donner dans l'Hyper-„ bole, en décrivant l'horreur du vice que l'on attaque, ou la beau-„ té de la vertu, dont on presse l'observation. Il suffit de répresenter „ l'objet avec les avantages qu'il produit, ou avec les malheurs qu'il „ traine après soi: Dans la bouche de certains Prédicateurs le moindre „ vice est éxageré, comme si c'étoit le crime le plus enorme. Les „ péchés de foiblesse & de surprise sont foudroiés comme les péchés „ d'habitude & de malice. Toutes les vertus sont mises dans le mê-„ me rang; celle qu'on recommande est toûjours la vertu fondamen-„ tale & l'abregé de toute la Morale chrêtienne. Dès qu'on donne „ dans la déclamation, indigne d'un jugement solide, on perd „ créance; l'Auditeur laisse parler l'Orateur, sans se mettre en peine „ de ce qu'il dit, croïant qu'il ne fait que débiter ses propres imagina-„ tions. Comme il ne faut pas extenuer la laideur du défaut, que „ l'on combat; il ne faut pas non plus l'éxagerer en le peignant de „ couleurs, qui ne lui conviennent point. „ Hi quidem, ubi hanc vel illam virtutem christianam urgent, utuntur stylo S. Scripturæ, sed quia sensum sub verbis latentem non simul detegunt, frustra laborant. Hæc enim ex genuinis interpretationis regulis, ex philosophiæ moralis (non gentilis) principiis, & ex universa christianæ religionis indole & natura sunt eruenda; sed alibi hæc data operà excutienda sunt. Ad solidam comparandam eruditionem theologicam & eloquentiam sacram obtinendam multum etiam facit philologiæ sacræ studium. Multa enim in versionibus emphatica videntur, quæ talia non sunt, si textum originalem inspicias, & vice versa; quod si orator sacer hoc non observet, corollaria multa ex textu colliget, quæ plane ad rhombum nil faciunt, & doctiorum ludibrio exponitur.

6.) *Cogita semper, quales sint auditores tui, & ad nobilem illam simplicitatem observandam vehementer excitaberis.* Plerique auditorum sunt homines plebeji, indocti, manuum opera vitam tolerantes,

rantes, & in rebus theologicis parum verſati: unde facile colligi poteſt, horum potiſſimum ſingularem prorſus eſſe habendam rationem. Quid vero aliud præſtare hic poſſis, quam ut res graves & momentoſas valde perſpicuis verbis ita proponas, itaque explices, ut te concionantem non poſſint non intelligere; ut rationes, quibus uteris, ſint ſolidæ, ſed ſimul omnium ingeniis attemperatæ; ut denique iis utaris incitamentis ad auditores commovendos, quibus plurimam ineſſe vim perſuaſus es. Auditores docti non deſiderant, ut tuam in humanioribus litteris, critica arte, in chronologicis & omnis generis controverſiis peritiam oſtendas; ſed hoc unum exſpectant a te, ut nimirum perſpicuam & brevem thematis explicationem exhibeas; propoſitiones in textu contentas repræſentes; argumentis ſolidis eas adſtruas, rationibuſque ex ipſius argumenti natura petitis, quantum fieri per te poteſt, animos flectas. Quod ſi his accedat ſtylus ſimplex & nativus, gravitati rerum attemperatus, præclari oratoris nomen a doctis obtines, & ita non iis tantum, ſed & promiſcue auditoribus omnibus places. Quando inſuper meminiſti auditorum tuorum, cogita tandem de quibus rebus agas. Profecto hic non quæſtio eſt de rebus levioris argumenti, aut de captanda populari aura, ſed agitur de veritatibus religionis graviſſimis, momentoſiſſimis, viamque ad terreſtrem & æternam felicitatem monſtrantibus. Quid igitur magis æquum, imo neceſſarium eſt, quam ut omnes ingenii vires intendas officio tuo rite defungendi, atque rem tam ſalutarem auditoribus tuis commendandi & infigendi? Hoc autem facilius orationibus ſacris non obtines, quam per laudabilem illam, quam tibi commendo, *ſimplicitatem.*

7.) *Naturam ſequere, arte politam & adfectationem omnem in dicendo fuge tanquam peſtem.* Stoici inter præcepta ſua referebant & hoc: *ſequere naturam:* quo nomine nihil aliud intelligebant, quam obſecundare rationi. Hoc generaliori ſenſu intellectum etiam ſibi dictum putare debet orator. Hic vero naturam opponimus ineptæ cuidam adfectationi, tum in dicendo, tum in explicando & probando. Naturam non ſequuntur, qui aſcititium dicendi genus ſectantur, & declamatorium; qui meteora orationis deamant; qui in voce, ore & univerſa perorandi oratione, hiſtrionicum quid affectant; qui argumenta adducunt longe petita, intellectu difficilia, rariora, & cum argumento, quod tractatur, nullam adfinitatem ha-

bentia. Si naturam ſequi velis, ipſa te facile, ſi arte exculta & perpolita eſt, in quolibet argumento edocebit, quid agendum ſit, & nativam tibi rei faciem repræſentabit. Legat S. Theologiæ cultor eruditiſſimam τȣ μακαρίτȣ *celeb. Werenfelſii* diſſertationem *de Meteoris Orationis*, & ſi nondum ſapit, diſcet, quid ſit in oratione naturam ſequi.

8.) *Ubi perorandum tibi eſt, elige ſemper, quantum in tua poteſtate ſitum eſt, themata cognitu facilia, omnium ingeniis attemperata, utiliſſima & ponderoſiſſima.* Hoc poſtulat auditorum tuorum ratio: plerorumque auditorum ignorantia in rebus cognitu quammaxime neceſſariis tanta eſt, tantuſque ſtupor, ut generalia Theologiæ & Ethicæ chriſtianæ capita non poſſint ſatis inculcari. Tanta inſuper moles eſt præjudiciorum, alte animis Chriſtianorum infixorum, ut ea e cordibus evellendi & debellandi nulla ſit prætermittenda occaſio. Hoc vel ideo præſtandum, quia ea valde ſunt communia & veram menti lucem intercipiunt, imo a via, quæ ad veram felicitatem ducit, retrahunt. Atque neglectus hujus conſilii in cauſa præter alia eſt, cur incitamenta ad pietatis chriſtianæ ſtudium plerumque tam ſint invalida. Adferam eum in finem verba τȣ μακαρίτȣ *celeb. Werenfelſii*, quæ exſtant in diſſertatione, in qua diſquirit cur incitamenta, quæ in S. Litteris reperiuntur, ſint utplurimum tam inefficacia; ex quibus patebit, tum qualia ſint illa præjudicia inſita Chriſtianorum plerorumque animis, tum quid potiſſimum oratori ſacro & Theologo præſtandum ſit. Verba, licet paulo proliziora, attentione tamen noſtra digniſſima ſunt; ſonant autem ita: *Quem v. gr.* (inquit) *eorum efficaciſſima hæc incitamenta ad pietatem compellant, qui doctrinam de juſtificatione per fidem eodem prorſus ſenſu intelligit, ac perditi olim homines, quos tam graviter Jacobus Apoſtolus redarguit? Qui bonorum operum ſtudium ad vitam æternam conſequendam non multo magis neceſſarium arbitratur, atque eſt fumus, qui ignem uſque comitatur, ad cibos coquendos? Cui fides illa, qua juſtificamur & ſalvamur, nihil aliud eſt, quam peccatoris cujuslibet, licet de ſeria reſipiſcentia minime cogitantis, ad gratiam Dei ſemper patentem & meritum Salvatoris recurſus; tantum ut per hunc omnium ſcelerum ſuorum remiſſionem obtineat; minime vero, ut peccatis relictis illi in poſterum vivat, ſeque totum ei tradat & mancipet? Qui propterea hoc ſuo Salvatore non ad aliud uti cupit, quam ut is Sacer-* *dotem*

dotem suum agat, & sacrificio peccata sua expiet; minime vero vult, ut simul sit Doctor suus & Rex, cujus doctrinæ & præceptis sibi obediendum censeat: Qui se per hoc ipsum remissionem peccatorum consequi putat, si modo, quanquam sine ullo fundamento, firmiter sibi persuadet, se hoc beneficium jam esse consecutum: Qui emendationem vitæ, in Scriptura S. toties sibi inculcatam, non considerat ut suum officium, ad quod præstandum omni nisu & conatu, omnibusque viribus sit contendendum, sed ut opus, quod DEO in solidum sit relinquendum: Qui cum redarguitur ob periculosam resipiscentiæ suæ procrastinationem, hanc non magis sibi imputandam autumat, atque iis, qui jam ante multa secula mortui sunt, vitio verti potest, quod nondum resurrexerunt. Hæ & ejusmodi aliæ pestiferæ opiniones, ubi Christianorum animos occuparunt, quam, quæso, vim habebunt, quæ prædicavimus, incitamenta, ad serium & ardens pietatis studium in iis accendendum?

Utinam ii, quibus institutio Christianorum commissa est, omnem navarent operam, ad opiniones tam pestilentes, & alias plures ejusmodi generis, ex eorum animis penitus evellendas! Sane zelum hic suum longe utilius impenderent, quam in debellandis opinionibus innoxiis, atque ex quibus, ut experientia testatur, nullum pietati detrimentum est metuendum. Utinam (detur venia verbis justo fortasse liberioribus) non essent, qui talibus opinionibus sæpe occasionem darent dictis crudioribus, quæ in periculosum sensum sæpe trahuntur, formulis majorum nimis inhærendo, hacque in re magis honorem partium spectando, quam ædificationem! Ipsi sane majores nostri, si viverent, & præsentem rerum faciem cernerent, eosque, cum quibus hodiernis Christi Ministris plerumque res est, qua fuerunt pietate, stylum mutarent, non minus quam Jacobus Apostolus formulas Pauli, ab impiis in perversum sensum detortas, sibi mutandas censuit. Utinam non sæpe intempestive tractarentur dogmata, ad quæ urgenda non easdem, ac olim, causas habemus, & quæ hodie urgere plus periculi habet, quam utilitatis! Utinam non definirentur, præter omnem necessitatem, quorum definitio homines sæpe conjicit in labyrinthos inextricabiles, ut longe satius fuisset in his judicium suspendisse! Utinam non moverentur difficultates, quibus expediendis illi, a quibus motæ sunt, impares postea deprehenduntur! Ita excellentissimus ille Theologus.

9.) Ope-

9.) *Operam nava, ut ex auditoribus tuis cognoſcas, utrum dicta tua, argumenta præcipue in medium prolata, rite perceperint.* Cum oratori ſacro, & V. D. miniſtro non perinde ſit, utrum auditores ſui fructum aliquem ex ſuis concionibus ſacris perceperint nec ne, diligenter inquirere debet, utrum cum explicationem verborum textus, tum vero argumenta quibus thema probatum eſt, rite intellexerint, eaque data occaſione denuo repetere poſſint. Cognoſci hoc facile poteſt vel ex domeſticis, vel amicis familiaribus, quorum fides ſinceritaſque nobis eſt perſpecta. Quod ſi homines illi, religionis cognitione non deſtituti, fateantur, ſe non ſatis vel explanationem thematis percepiſſe, nedum vim argumentorum allatorum ſenſiſſe, imo tandem ſtimulum nullum in animis ſuis relictum; tum inquam ſerio diſpiciendum, ubi tandem cauſa hujus rei lateat. Hæc vero originem habebit, vel in debili horum hominum rerum divinarum cognitione; vel in defectu attentionis; vel denique in eo, quod oratio ipſa ſive ad ſtylum, ſive ad res ipſas attendas, non ſatis ad ſimplicitatem fuit compoſita. Bene autem agit orator, licet vel maxime prima ſive ſecunda cauſa effectus ſit inutilis laboris, ſi hac occaſione in ſemetipſum deſcendat, atque ad ſtylum ſuum pariter, & ad argumenta in medium prolata ſerio attendat, promittens, ſe in poſterum limam additurum ſtylo, i. e. clarius locuturum, & argumenta ſimpliciore & magis perſpicua ratione propoſiturum. Semper enim præſtat in ſemetipſo errorum fontes, quam in aliis quæſiviſſe. Hujus ſolertiæ indicia & exempla inter nos narrantur adhibita fuiſſe *a venerandis eccleſiæ noſtræ Antiſtitibus Bullingero & Breitingero.* Et profecto ſi hæc ad animos revocarent miniſtri & oratores publici, major ſane fructus ex tot numero orationibus ſacris perciperetur. Diffitendum tamen non eſt, multorum auditorum ignorantiam, & defectum attentionis in cauſa eſſe, quo minus orationes ſæpe graviſſimæ, & ad veri nominis ſimplicitatem compoſitæ, cum fructu audiantur. Contra hanc datam regulam frequenter peccare ſolent juniores V. D. Miniſtri plerique, ubi ab exteris redeunt, & ut fieri ſolet, Doctorum, quos audiverunt, præcepta ſequuntur, oſtenſuri, ſe nec tempus neque pecuniam male impendiſſe, ſi quando (quod cito fieri ſolet) officium perorandi illis conceditur, vel ambitioſe quæritur, ſolent talia eligere themata, quæ paulo difficiliora doctis videri

poſſint

possint & intellectu difficilia. Hic textum eligit, in quo suam disciplinarum philologicarum vel novarum hypothesium & controversiarum inter recentiores Theologos agitatarum peritiam ostentare vult, quae oratio non placet magis, quam nova vestis, qua indutus omnibus manifestum facere vult, se apud exteros fuisse. Alius rariorem aliquem typum V. T. vel locum Prophetae, ad novissima, ut ille putat, ecclesiae fata spectantem, coram promiscuo coetu explicat, miraturque novas frondes & non sua poma. Auditores vero non magis haec intelligunt, quam si thema ex *Algebra* petitum proposuisset. Rursus alius novam quandam & musteam analyticae sacrae methodum, a quodam praeceptorum suorum, qui forte per vitam *artem cogitandi* nunquam rite evolvit, edoctus, prima quaque data concionandi potestate utitur his λεπτολογίαις, & eandem methodum per vitam sequitur, licet illa nullis sit superstructa fundamentis, de quo tamen argumento suo loco data opera agemus. Denique sunt, qui recentiorum Philosophorum praeceptis imbuti, incipiunt statim pro cathedra de sublimissimis philosophiae praeceptis disserere, & v. gr. populo christiano persuadere volunt, hunc mundum esse optimum, licet hactenus ignorent, quid in ea, quam elegerunt, vitae ratione praestitu sit optimum. Pessimum autem est, quod ejusmodi homines nullis rationibus a praepostera, quam semel juvenes elegerunt, de rebus sacris disserendi methodo sese abduci patiantur. Hoc certum, ex themate, quod orator explanandum publice sumit, de prudentia ipsius, quam in theologia nactus est, non male posse fieri judicium.

10.) *Denique devotionem in corde tuo ala. Haec enim efficiet, ut probe de rebus gravissimis mediteris, & quantum in te est, stimulos pietatis in animis auditorum excites.* Per *devotionem* vero non intelligo nescio quam animi effervescentiam & fanaticum impetum, vel ardorem, quicquid ad pietatis studium ullo modo facit, nulla habita thematis ratione, effundendi; neque etiam studium in grassantia vitia, qualibet occasione nulla urgente necessitate invehendi; sed sanctam quandam & prudentem meditationem de officii tui gravitate; de scopo orationum tuarum, mediisque, cuncta, quae dicenda sunt, ordine & decenter proponendi, & si fieri posset, altissime animis infigendi. Hoc vero fieri debet, antequam orator ad scribendam orationem animum appellit. Ita enim de stylo pa-

riter & de rebus ipsis, quæ proponendæ sunt, sollicitus est. Et hac potissimum ratione optime sanctam illam observabit *simplicitatem*; fines enim & media hic concordare debent. Finis intendit omnium auditorum, qui præsto sunt, salutem: media igitur ita debent esse comparata, ut omnes auditores de rei propositæ *utilitate*, *gravitate* & *necessitate*, sint persuasi: atque hoc omne est, quod *simplicitatis* ab oratore usurpandæ nomine intelligimus.

Theses

miscellaneæ theologicæ.

I. Romanenses emendationi Sacrorum, quæ per præstantissimos viros Lutherum & Zwinglium facta est, tribuunt communiter, quod tot sectæ in ecclesia christiana postea exortæ sint, eoque nomine mirum in modum exultant, adeo, ut exinde colligant, Protestantium religionem nullis certis esse superstructam fundamentis. Quod si hæc ratiocinatio vera est; quæro cur infallibiles illi, si Diis placet, Petri successores & vicarii Christi impedire non potuerint, quo minus seculo post Christum natum primo & secundo tam portentosæ & absurdæ enatæ sint hæreses.

II. Licet certum sit, Deum salvis virtutibus suis malum morale atque physicum permittere potuisse; negandum tamen non est, nos in hac rerum, qua circumfusi sumus, caligine, omnes rationes administrantis providentiæ divinæ circa hoc argumentum occurrentes explicare, & omnes nodos, ubi ad hæc vel illa individua hominum perventum est, solvere non posse. Id demum eventurum putamus, ubi mentes nostræ æterna luce post hanc vitam erunt illustratæ. Quemadmodum enim in dramatibus, quæcunque intricata ac perplexa sunt, in ultimo actu explicantur; pariter quicquid in orbis administratione negotium nobis facessit, ultimæ diei lux expediet.

III. Cum

III. Cum manifestissimum sit, hominem, sive Reformatæ sive Lutheranæ ecclesiæ addictum, certis instructum esse debere caracteribus, ex quibus de certitudine suæ electionis, justificationis & regeneratio nis judicare, & spem firmam consequendæ beatæ immortalitatis tenere debet; sequi videtur, Theologorum acres de ordine decretorum divinorum, & de mortis Christi amplitudine, minore vel majore efficacia disputationes, non tanti esse momenti, ac vulgo videntur.

IV. Religio naturalis est equidem sufficiens ad hominem officii sui convincendum, non autem peccatorem in gratiam cum DEO reducendum; quoniam solius est arbitrii divini & peccatorem in gratiam recipere, & conditionem, qua intercedente recipiendus sit, præscribere.

V. Pestilentissimus & antichristianissimus eorum error est, qui docent, vel docentibus credunt, hæreticos, hoc est, cum sua ecclesia non consentientes in doctrinis omnibus, esse persequendos & exterminandos. Gignit namque hæc sententia bellum omnium sectarum in omnes cæteras, odiumque civium in cives immortale, & nascituram hinc crudelitatem nunquam intermorituram. Ita verissime pronuntiat *celeb. & amicissimus Heumannus*, *Tomo IV. Dissert. theolog.*

VI. Nihil turpius est confessione *Balsaci*, viri inter Gallos clarissimi (ejusdem viri cl. verba repeto) lib. I. epist. 14. pag. 43. Edit. Paris. 1659. *Ego*, inquientis, *in religione nihil credo, nisi quod accepi a matre & nutrice mea.*

VII. Calculum meum non auferunt, qui tolerabilius eum putant peccare, qui Christum in V. Testamento se videre arbitratur ubique, etiam ubi se non ostendit, quam qui Christum non videt, ubi non clare perspicitur. Alterum indicium esse ajunt animi Christum diligentis, plurimumque & minima vel etiam nulla data occasione de eo cogitantis: Alterum segnem arguere animum, tardumque ad credendum. At vero, qui Christum amplectitur, ubi non est, non Christum sed phantasma am-

plectitur, nubemque captat: longaque fieri poteſt conſuetudine, ut toties confundens phantaſma cum re, tandem ne ipſam rem quidem cognoſcere poſſit, ubi eſt. Nec ſemper amori tribuendum, quod alii cauſæ, curioſitati puta, novitatis & famæ ſtudio, aliorum contemtui &c. nonnunquam adſcribendum eſſe nemo prudens negaverit. Ex amore ſaltem non provenire ipſi viri docti profitebuntur, quod in tot Scripturæ locis antichriſti ſymbola, imagines, veſtigiaque ſe deprehendere ſibi videntur, ubi alii prorſus cæcutiunt. Nimis enim deformem, fœdum & abominabilem Antichriſtum nobis depingunt, quam ut illud animi Chriſtum amantis indicium eſſe queat. Huic ſententiæ a *celeberrimo Baſileenſium Theologo Ludov. Frey, in diſſertatione de officio Doctoris Chriſtiani prolatæ* ex animo ſubſcribo.

MEDITATIONUM
DE
PIA ET CIRCUMSPECTA
In tradendis sanctioribus disciplinis sectanda
SIMPLICITATE
Pars Quarta.

Sect. I.

Quicunque Codicem sacrum diligenter evolvunt, atque eum in finem præstantissimos S. Litterarum interpretes, philologiæ sacræ præsidiis probe instructos, legunt; deprehendunt, eos nonsolum in obscurioribus tantum locis, sed & in iis, quæ attento lectori plana esse videntur, inter se quammaxime dissentire. Quæ res multos a lectione tot interpretum absterret, præsertim si accedat pigritia quædam. Hi, qui ita sentiunt, putant, in generalioribus esse subsistendum, iis nimirum, quæ ad cognitionem dogmatum & præceptorum generalium scitu necessariorum pertinent; reliqua eruditorum judicio esse relinquenda, neque singularem curam eorum habendam. Quid vero de hac sententia sit existimandum, in sequentibus dicemus. Nos vero jam quidem institutum, quod suscepimus, sequemur; & postquam in duabus antecedentibus dissertationibus cum de *Catechetica*, tum de *Oratoriæ* sacræ *simplicitate* rite observanda, pro ingenii modulo, verba fecimus, nunc in hac dissertatione de *simplicitate*, quæ *in interpretatione S. Litterarum* tenenda est, agemus. Sequentibus autem partibus absolvetur nostra dissertatio. *Primo* de *simplicitate* in interpretatione S. Litterarum, in genere obser- Scopus Auctoris repræsentatur.

observanda, verba faciemus. *Secundo*, quid circa explicationem propheticam tenendum sit, exponemus. *Tertio* loco progrediemur ad typorum explicationem; & denique nostram sententiam de *methodo analytica*, quam quidam nostræ ætatis interpretes tantopere deamant, aperiemus. De tribus autem posterioribus partibus succincte duntaxat agemus.

II.

Aperiuntur præcipuæ causæ diversitatis interpretamentorum S. Scripturæ.

Quod si in causas inquiramus, quæ efficiunt, ut eruditi interpretes in explicatione S. Litterarum tam parum sibi constent, & in diversa abeant, duas potissimum reperimus: *prior* posita est in obscuritate ipsius argumenti; altera vero repetenda a certis quibusdam regulis, quas sequendas esse sibi persuadet interpres. Ad obscuritatis causam pertinet, ipsa verborum seu styli obscuritas. Dantur voces in hebraico & græco idiomate, quæ vel semel, vel rarius occurrunt, quæque ex circumstantiis difficulter eruuntur. Ita orta disputatio cucurbitaria inter *Hieronymum* & *Augustinum*. Particulæ ipsæ in utroque idiomate diversis in locis diversimode sumuntur, unde determinatio sensus difficilior redditur. Ita v. gr. particula ἐν Græcorum denotat, *per*, *propter*, *cum*, *ad*, *versus*, *contra*, *ante*, *coram*, *ex*, *sub*, *post*, *apud*, *circa*, *secundum*, *erga*, *loco*. Ita, si Ch. *Noldio* credimus, particula *vau* copulativa 73. habet significationes, quæ diversitas interpretes vehementer exercet. Aliter sæpe sensum reddunt LXX. interpretes, contra tamen sensum, quem aliis in locis suppeditant; ut de aliis rebus, de quibus infra dicendi uberior materies dabitur, nil jam dicam. Posito vero, verba satis clara neque intellectu difficilia ipsa per se esse, argumentum tamen ipsum potest esse obscurum, idque fit quod vel *parabola* occurrat auribus nostris insueta, vel ipsa expressio non tam nitatur evidentia significationis usu receptæ, quam animo versare solemus, quam vero potius *sensatione* ejus, qui simili affectione unquam tactus est; aut *consuetudine* non satis nota; verbi gratia ubi quidam I. ad Corinth. XV. pro *mortuis baptizati* dicuntur; de *scolope* Paulo dato; de pugna cum *leonibus*; vel agitur de *mysteriis* religionis christianæ in genere, in quibus quidem verba ipsa secundum grammaticum sensum intelliguntur, sed ubi res ipsa tamen adhibita omni diligentia,

ligentia cognosci perfecte nunquam poterit. Accedit & hæc difficultas, quod linguæ sibi invicem ἐκ παραλλήλου non respondeant. Vide de hoc argumento *J. Clerici Artem criticam*, & ejusdem dissertationem *de optimo genere interpretandi*, commentario in Genesin præmissam. Vel enascitur difficultas illa ex certis quibusdam regulis, quas sibi sequendas esse putat interpres. In generalibus quidem conveniunt omnes interpretes; at in applicatione a se invicem sæpe longe discedunt: sic v. gr. conveniunt in hisce: attendendum esse ad scopum Scriptoris sacri; probe distinguenda, quæ in argumento, quod tractatur, sint essentialia, quænam accessoria, & quasi in transitu dicta; consideranda probe esse antecedentia & consequentia; attendendum ad nativam vocis significationem, usum receptum, & a significatione tralatitia probe distinguendum: phrases metaphoricas in simplices & naturales esse resolvendas, servata religiose significatione, quam intendit Scriptor sacer: loca obscuriora ex clarioribus, iis præsertim, ubi auctor de eodem argumento data opera agit, esse illustranda, & quæ aliæ sunt leges, quas hermeneuticæ artis scriptores in medium proferre solent. In his & aliis regulis generalibus conveniunt, ubi extra partes positi sunt: at ubi deventum est ad hujus vel illius libri, aut hujus vel illius loci Scripturæ expositionem, quasi illico omnium suorum principiorum dememinissent, a se invicem mirum in modum dissentiunt. Si in caussam mali inquiras, facile ea erit obvia; scilicet *sectæ studium*, & *hypotheses* quædam falsæ vel dubiæ impediunt, quominus interpretes verum cernant; nimirum antequam ad interpretationem S. Litterarum accedunt, systema suum theologicum ante oculos habent, & loca præcipua Scripturæ sacræ, quibus particulares cuivis sectæ opiniones probari solent, memoriæ probe habent infixas: ubi igitur deventum est ad hunc vel illum locum S. Scripturæ interpretandum, regulas æquissimas transgrediuntur, nec de sensu vero a Scriptore sacro intento, sed de *sua*, cui addicti sunt, *sententia* invenienda sunt quammaxime solliciti. Pravum autem hoc studium adeo plerosque interpretes dementavit, ut sanando huic malo vix reperias medelam. Rari profecto sunt illi interpretes, qui sectæ studio sese abripi non patiantur. Lege duntaxat commentarios *Arminiani* alicujus, *Lutherani*, aut *Reformati*, in epistolam ad Romanos, & mox deprehendes verum esse quod dixi. Imo nec hoc sufficit.

Vix

Vix sine periculo potest interpres hunc vel illum locum Scripturæ, ad probandam thesin hactenus adferri solitum, aliter interpretari, quam eo sensu, quem systematum conditores definiverunt; nimirum statim ac quis unum vel duo loca aliter interpretatur, quam systematum fabricatores præscripserunt, clamant zelotæ, te in castra hostium transiisse, vel a B. Majorum explicationibus recessisse; quod tamen iniquum esse, & ipsis principiis Protestantium adversum, cordati Theologi fatentur. Ita *Rivetus* in *commentario in Genesin ait*: *Quis unquam æquus æstimator hæreseos crimen impegit ei, qui veritatem aliquam agnoscens & defendens, non tamen omnia, quæ approbantur a quibusdam, indiscriminatim & sine delectu recipit, sed post legitimum examen, præcipuis contentus, alia vel omittit, vel etiam ingenue ad rem non facere ostendit? quæ certe agendi ratio maxime valet.* Idem repetit *Piscator in Philip. II.* Verum quidem est, Theologos protestantes asserere, Scripturam S. unicam esse normam interpretationis S. Litterarum: at si ad methodum interpretandi certa Scripturæ loca attendimus, manifestum erit, plures interpretes non tam sensum Scriptoris sacri, quam vero potius sensum ecclesiarum, quibus addicti sunt, quærere. Nota quorundam Doctorum ex his cœtibus distinctio, inter *primariam* & *secundariam fidei normam.* Neque ideo adeo explodenda est *Dupinii* Doctoris pontificii sententia, de explicatione Scripturæ juxta sensum ecclesiæ, quæ adducitur a *τω μακαριτη* cl. *Turretino*, *in cogitationibus de variis Theologiæ capitibus.* Verba *celeb. Turretini* ita sonant: *pars est tyrannidis pontificiæ, prohibere ne quisquam Scripturam interpretetur, nisi juxta sensum ecclesiæ:* Conc. Trident. Sess. IV. *Quæ quidem lex ita iniqua est*, inquit *cl. Turretinus*, *omnesque interpretum conatus & profectus ita sufflaminat, ut ne ipsi quidem viri docti inter Pontificios ea se ligari velint; dicantque raro commento latam illam contra novatores, sed non contra se.* Vide *Du Pin diss. prælim. lib. I. cap. X.* Utrum illi inter Protestantes, qui inter *primariam* & *secundariam regulam* fidei in interpretatione S. Litterarum observanda distinguunt, *secundariam* vero ante omnia sequuntur, non in eundem impingant lapidem, doctioribus dijudicandum relinquo. Verum est quidem, prudentes inter Protestantes scriptores, ubi de *analogia fidei* agunt, per eam intelligere fundamentalium cummaxime Theologiæ articulorum, omnibus fere Christianis communium, consensum. V. *Buddeum*,

Ram-

Rambachium, alioſque, de Analogia fidei: at ubi loca explicanda ſunt, quæ de *prædeſtinatione*, *gratia* & *ſacramentis* agunt, de quibus inter ſe diſſentiunt Proteſtantes, reperit quiſque in interpretatione mentem ſectæ ſuæ. Sic *Coccejanorum* ille canon; *Verba Scripturæ ſignificant quicquid ſignificare poſſunt*, cum in finem excogitatus eſſe videtur, ut interpretes imaginationi frena laxare, & multiplices & ſpecie ſublimes ſenſus ubique reperire poſſint; quod vel ipſæ horum hominum interpretationes ſatis ſæpe demonſtrarunt; alias dici poteſt de quolibet ſcriptore ſani cerebri, verba ejus ſignificare quicquid ſignificare poſſunt. (*) Candide & nervoſe errorem interpretum ſectæ ſuæ, & opinionum ſingularium decreta in Sacris Litteris quærentium repræſentavit *ὁ μακαρίτης celeb. Werenſelſius* in *diſſertat. de ſcopo interpretis*; verba ita ſonant: „ Sed pergo ad alteram interpretum claſſem, a recto tramite aberrantium, eorum videlicet quos diximus, *non Scripturæ*, ſed *ſuam ſententiam* in Scriptura quærere.

„ Hac vero in re obſervo, eandem propemodum Scripturæ ſortem fuiſſe, & eſſe etiamnunc, quæ olim fuit *Homeri*; nam cum hujus carmina maximæ omnibus ſeculis admirationi eſſent, factum eſt, ut quolibet in iis quærente, quod ſibi præ cæteris videbatur admirabile, in *Iliade* & *Odyſſea* nihil non cerneretur: ſicque innumera *Principi Poëtarum* afficta ſunt, de quibus ne per ſomnium quidem cogitavit. Simile ſane fatum cum omnes habuerunt libri præſtantes, tum nullus omnium hac in parte pejus eſt habitus, quam liber omnium præſtantiſſimus, *S. Scriptura*. Omnes agnoſcimus, hunc librum eſſe divinum, & merito quidem. Sed quid inde accidit? Quilibet noſtrum reperire cupit, quod ſuo cerebello ante alia videtur divinum. Si cui *ratiocinationes* ſuæ optime cohærere videntur, illas quamprimum in aptum ſyſtema coëgit, quod tanquam divinum adorat: in S. Scriptura nil niſi hoc rationi tam gratum ſyſtema quærit, & quicquid non bene in illud quadrat, non deſinit in omnes partes flectere & torquere, donec

(*) Quid de hac regula ſentiendum ſit, multi doctiſſimi interpretes oſtenderunt. Vide celeb. FREY diſſertat. primam, de officio doctoris chriſtiani. LIMBORCH prolegomena in acta Apoſt. Interpretes Berolinenſes in præfatione, alioſque multos.

„ aliquo modo quadret: qua in re *Faustum Socinum* præcipue peccasse frequens Theologorum querela est. (*)

„ Alius contra φανταστικὸς magis quam λογικὸς fœtus fœcundæ phantasiæ, & nescio quod ædificium, ex his conflatum, cujus miram, ut ipsi videtur, concinnitatem aptamque symmetriam velut θεῖόν τι veneratur, ubicunque potest, in hoc libro reperire studet. *Platonicus* hic captat *ideas* suas, *emanationes divinas*, earumque *syzigias*, *Angelorum & geniorum* varias *classes* & *hierarchias*, omnes denique divini Platonis *meteorismos*. *Peripateticus* metaphysicam principis Philosophi hic aucupatur, nec non & *materiam primam*, una cum *formis substantialibus*, *qualitatibusque primis & secundis*. *Thomista* hic venatur *definitiones Doctoris Angelici*: *Scotista* subtilitates *Scoti*. Et nostra ætate quidam *Cartesii* sequaces non modo hujus *meditationes metaphysicas*, sed & *tria elementa*, *structuram vorticum*, totumque *mundum cartesianum*, ex Scriptura sacra exstruendum putarunt. Imo ne quid desit, & *Alchymistæ* hic se detecturos sperarunt *lapidem Philosophorum* & *aurum potabile*, cujus exemplum in *Fluddo*, *Fratribus Roseæ crucis*, aliisque similis ingenii hominibus habemus. Quid quæris? eo ventum est, ut, quemadmodum olim *Cicero* conquestus est, *nil tam absurde dici*, *quod non dicatur ab aliquo Philosophorum*, conqueri sæpe necesse sit, nihil tam absurde somniari posse, quod non a quibusdam quæratur in ipso verbo Dei. Et, o miræ felicitatis homines! nemo hic exspectatione sua frustratur, nullius audiuntur querelæ, de perdito in quærendo labore: omnes ingeminant, vetus illud εὕρηκα, sibique, quod quærebant reperisse, toto pectore gratulantur.

Tam

(*) Regulæ, quas sibi Socinus in interpretatione Scripturæ servandas esse sanxit, ita sunt comparatæ, ut violentas semper & contortas interpretationes sequi debuerit, Ita enim de Christo part. III. cap. VI. Op. Tom. III. pag. 204. ait: „ Ego, etiamsi non semel sed sæpius in sacris monumentis „ scriptum extaret, Christum divinæ justitiæ pro peccatis nostris satisfecisse; non idcirco tamen rem ita se habere crederem, ut vos opinamini. „ Cum enim id omnino fieri non possit; aliqua, quæ minus incommoda „ videretur, interpretatione adhibita, eum sensum dicerem, qui & sibi „ ipsi constaret, & perpetuo ejusdem Scripturæ tenori non adversaretur. Ibid. „ Ea, quæ fieri non posse aperte constat, divinis etiam Oraculis „ ea facta fecisse in speciem attestantibus nequaquam admittuntur, & idcirco sacra verba in alium sensum, quam ipsa sonant, per inusitatos etiam „ tropos quandoque explicantur. „

„ Tam vero aliena & abſurda cum in divino hoc libro cernan-
„ tur, aut potius cerni putentur, quis mirabitur, ſi hic *ſuam* quiſque
„ religionem invenit, quam a teneris annis, velut divinam, velut
„ unicam ſalutarem, eſt amplexus? Quis mirabitur, ſi filii ubique
„ locorum hic inveniunt dogmata patrum ſuorum, diſcipuli dictata
„ magiſtrorum; ſi quiſque hic reperit opiniones ſectæ ſuæ, ordinis
„ ſui, ſcholæ ſuæ, civitatis & religionis ſuæ, temporis denique &
„ ætatis ſuæ: atque, ut *Verulamius* præjudicia certis nominibus diſtin-
„ xit, ſic alius hic invenit *idola tribus*, alius *idola ſpecus*, alius *idola*
„ *fori*, alius *idola theatri*. Nempe maxima pars hominum non id
„ agunt, ut e Scriptura diſcant, quid ſibi credendum ſit, ſed ut,
„ quod crediderunt ante, ex ea confirment. Rapit hic quiſque ad
„ ſuam ſententiam ſtabiliendam, quicquid ſibi prodeſſe putat: quod
„ obeſt detorquetur, aut neſcio qua diſtinctione eluditur: atque
„ ita παρερμηνεία alia aliam poſt ſe trudente, tantum non ubique ve-
„ rus Scripturæ ſenſus amittitur. „ *Hactenus inſignis ille Theologus*.
Eandem querelam ingeminavit *celeb. Frey*, in diſſert. prima de *officio Doctoris chriſtiani pag.* 31.

Præter immedicabile illud malum, de quo jam diximus, alia ſunt, quæ impediunt, quo minus interpretes verum ſenſum S. Litterarum reperiant. Quidam eruditionem duntaxat ſuam & vaſtiſſimam lectionem oſtentare volunt, & lectoribus manifeſtum facere, quantum in humanioribus litteris profecerint: alii allſuſiones etiam in perſpicuis locis quærunt, ad ritus moresque populorum Orientalium, Græcorum & Romanorum ſpectantium; quidam in lectione veterum Philoſophorum probe verſati, eodem modo ratiocinatos fuiſſe Apoſtolos ſibi perſuadent: rurſus alii omnibus vocibus Scriptorum Sacrorum neſcio quam ſingularem emphaſin ineſſe exiſtimant, apud cæteros Scriptores iiſdem vocibus & phraſibus utentes non reperiundam; de quibus & aliis huc pertinentibus interpretum aberrationibus legatur *doctiſſima diſſertatio celeberrimi Moshemii*, cujus inſcriptio eſt: *Cogitationes de eo quod juſtum eſt circa S. Litterarum ex profanis ſcriptoribus interpretationem & emendationem*. Longiſſime vero a via aberrant illi interpretes, qui allegoricum commentandi genus amant, quod non ſolum olim Patres & pontificii Doctores, ſed & multi *Proteſtantium* ſuperiore ſeculo, imo eheu! & noſtro ſectati ſunt: quæ interpretandi ratio nonſolum

doctis risum movet, & plebi nullam adfert utilitatem; sed & religionem ipsam contemtui exponit, & hostes veritatis in suis, quos fovent erroribus, confirmat. Audi quid de ejusmodi interpretamentis sentiat vir πολυμαθέστατος H. *Hottingerus*, in suo *thesauro philologico* pag. 237. verba ita sonant: „ Pessime Christianismo consuluerunt illi, qui sive veritatem, sive cerebri sui figmenta defensuri, Scripturam sacram misere ad propositum suum interserunt. „ Memores esse debuissent, nec ex quovis ligno fieri Mercurium, „ nec ex quolibet dicto Scripturæ quodlibet exstrui dogma. Unde „ graves Judæorum querelæ de ineptis Pontificiorum explicationibus „ allegoricis. Exempla affatim suppeditat auctor libri Nizz. num. „ 40. 45. 56. 11. 276. & alibi. Indignum profecto est Christianis, „ ad ejusmodi eos confugere allegorias, quibus universa eorum do„ctrina apud infideles in præsentissimum adducitur discrimen. Has „ enim dum illi legunt, eas protinus suscipiunt cogitationes, reli„gioni nostræ male esse prospectum, cum ad ejus defensionem non„nisi conjecturæ quædam & longe petitæ rationes ex S. Scriptura, „ unica fidei nostræ norma & cynosura, in promtu nobis sint. Uti„nam vero & illi, qui bonam alioquin causam tuentur, hic caute sa„tis agerent, & in argumentationibus suis theologicis mysteria reli„gionis christianæ Judæis non propinarent deridenda! Clare utique „ & perspicue Deus in verbo suo voluntatem nobis patefecit, cur „ igitur non illi soli aures subltringimus, cur omnibus præliamur ar„mis adversus Judæos etiam plumbeis mucronibus? & sane, ut olim „ augur Fabius Maximus dixisse fertur, salvis auspiciis ea geri, quæ pro „ Reipublicæ salute gererentur, ita multi præclari viri, Theologi „ etiam veteres (*utinam veteres tantum*) credebant, recte & sa„pienter institui, quicquid pro defensione veritatis tentaretur. Sed „ monendi isti sunt, inquit Calvinus in Genes. cap. I. ut a violentis „ ejusmodi glossis sibi caveant. Selectu profecto opus est in citatione „ testimoniorum, non numero sed pondere & ἐνεργείᾳ verborum „ adversarii premendi, atque in notitiam veritatis deducendi sunt. „ Id vero quam vellemus diligentius in acerrimis cum Antitrinitariis „ dimicationibus observaretur! „ Hactenus celebris ille Theologus. Conferantur cl. *Interpretum Berolinensium prolegomena in N. Testamentum p. m.* 28. *& seq.* Similes de ineptis ejusmodi allegoriis V. D. querelas in medium protulit cl. *Limborch*, in præfat. *ad Acta Apost.*

com-

comparent hic *Calvinus*, *Lutherus*, *Scaliger*, *S. Amama*, *Ligtfootus*, & *Dallaus*, quorum verba lectu digna sunt.

III.

Quaeritur quomodo duplici huic malo aliqua ex parte occurri possit.

Qui duplicem illam causam, quae interpretes impedit, quominus veritates in Sacris latentes deprehendant, attenta mente perpendit, facile animadvertet, eam ita esse comparatam, ut *plene perfecteque* tolli in hac vita non possit. Interim, quantum in hac rerum caligine fieri potest, praestandum, quicquid in nostra potestate situm. Ad priorem causam sublevandam nihil melius, nihil tutius excogitari potest, quam *docta ignorantia* & ἐποχή. Doctam interpretis appello ἐποχήν vel ignorantiam, quando omnibus praesidiis, quae ab erudito viro exspectari possunt, instructus, examinatis singulis partibus horum vel illorum S. Scripturae locorum, collatisque interpretibus accuratissimis, deprehendit, se lucem illis adfundere posse nullam, tantisper nihil alterutram in partem pronuntiat. Quid enim aliud tum temporis praestare potest sapiens interpres, quam ingenuam hanc confessionem edere, se, qualis sensus horum vel illorum locorum S. Scripturae sit, ignorare. Cumque in aliis multis disciplinis eodem officio defungi debeat vir eruditus & veri amans; cur hic idem non praestet causa adest nulla: vel an non praestat hoc facere, quam ingenium frustra torquere, conjecturas conjecturis addere, ne perpluant, & pro verbo Dei venditare incertas hypotheses vel cerebri lusus? profecto tam fervidus quaelibet, obscurissima etiam, interpretandi pruritus, & inde enatae tot discrepantes sententiae effecerunt, ut nonsolum Deistae materiem amplissimam inde ceperint Christianos perstringendi; sed & ut multi, imbeciliore ingenio instructi, in varias dubitationes inciderint. Neque possum non hic laudare cordatum institutum *cl.* & *doctissimi Francofurtensis ad Moenum Rectoris*, *J. G. Albrechti*, qui scriptis aliquot eruditis dissertationibus, *de necessaria interpreti in explicandis S. Litteris* ἐποχή, multis adductis virorum doctorum testimoniis, huic argumento magnam attulit lucem, necessitatemque hujus ἐποχῆς allatis pluribus exemplis solide ostendit: neque dubito quin omnes, qui ἄτερ πάθων eas examinant, album illi adjecturi sint calculum.

Et profecto ante hunc, hoc ipsum, quod pluribus exemplis adstruxit cl. *Albrecht*, agnoverunt viri doctissimi. 'O *μακαρίτης cl. Werenfelsius*, Theologus acutissimi ingenii, hanc thesin opusculorum suorum pag. 104. posuit: *Cognitio linguarum orientalium, veterum historiarum, consuetudinum, rituum, opinionum, non tanta hodie comparari potest, quæ sufficiat omnibus Scripturæ locis intelligendis, omnibus difficultatibus & dubiis solvendis, omnibusque apparentibus contradictionibus conciliandis.* Neque operosa hujus theseos elucidatione opus est, dum nonsolum eruditissimorum interpretum lectio quemvis de ejus veritate convincere potest, sed & natura rerum ac stylus ipse. Non adeo perspectas nobis esse omnes voces & phrases hebraicas in S. Codice occurrentes manifestum est, cum ex versione *τῶν* septuaginta, qui scire eas debuissent, tum ex aliorum orientalium dialectorum & versionum collatione id patet: neque habemus Scriptores Mosis & Prophetarum ætati coævos, eodem idiomate utentes, ex quibus linguæ hujus paulo accuratiorem notitiam nobis comparare, & voces phrasesque obscuriores intelligere possemus. *Jobum* quidam æque bene ex *chaldaica*, ac alii ex *arabica* dialecto interpretantur: & difficile est determinatu, an non voces & phrases in tanta humani ingenii diversitate, mutatione linguarum, & migratione gentium, longe aliam significationem acceperint ac primitus, dum iisdem linguis vel dialectis utebantur homines, habebant: sæpissime etiam contingit, ut significationi verborum vel plures subjiciamus ideas, quam scriptor sacer voluit, vel aliquas demamus. Audi, quid de hoc argumento judicet *vir linguarum orientalium & artis interpretandi S. Litteras callentissimus J. L. Frey, Professor in Academia Basileensi longe celeberrimus*, in dissertatione prima *de officio Doctoris Christiani* pag. 16. *Forte* (inquit) *perpaucæ sunt Scripturæ explicationes, de quibus asseverari potest, illas ita præcise mentem Scriptoris exhibere, ut nihil, ne minimum quidem, ei addant demantve: cujus ratio est, quod nulla verba reperiantur adeo apta & idonea, adeo ab omni ambiguitate libera, præcipue in lingua sacra, quæ tantum idearum numerum nec plus minusve semper repræsentent. Unde & id liquet, non modo tum nos a mente Scriptorum aberrare, cum pauciores ideas verbis subjicimus quam Scriptor subjecit; sed & cum plures ideas* subjungimus quam *Scriptor conjunxit: ut proinde peccet interpres, non modo verbis nimis angustum, sed & nimis augustum*

gustum amplumque tribuendo sensum; neutri enim præcise eædem, quæ Scriptori observantur ideæ. Placet nobis ingenua confessio celeb. *Clerici*, qui animum ad interpretationem V. Testamenti adjuncturus, differt. II. commentario præmissa sequentem in modum differit: *Sed cum sæpe dubitaremus, an rem acu tetigissemus, cumque aut nullus satis perspicuus sensus, solius grammatices aut critices ope, aut plures æque probabiles invenirentur, in paraphrasi aut commentario dubio ac suspenso stylo usos nos lectores deprehendent. Forte etiam frequentiores dubitandi rationes & dubii animi plura indicia, quam in plerisque hujus generis scriptis occurrent. Sed cum quisque sibi credat ac dubitet, hac mihi meique similibus scripta, doctiores, qui omnia exploratoria habent, existiment, & sibi ipsi dilucidam cognitionem, eorum quæ alios fugiunt, gratulentur. Errandi metu nos intra dubitationem continuimus, quando nec aliorum auxilio, nec nostro Marte, graviores judicandi rationes invenire poteramus: unde non sequitur ab aliis inventum non iri, quod adfirment. Ut longe absumus ab eorum sententia, qui nihil patere in Scriptoribus sacris putant, ope solius Grammaticæ, nisi Traditio adjungatur; ita nec omnia clara atque aperta censemus, certe nobis non sunt. Ubi autem non liquebat, conati sumus cohibere semper, & ab omni lapsu continere temeritatem, quæ tum esset insignis, si aut falsa, aut incognita res adprobaretur, neque hoc quidquam esset turpius, quam cognitioni ac perceptioni adfirmationem adprobationemque præcurrere.* De veterum historiarum monumentis idem dicendum. Habemus equidem virorum doctissimorum, *Usserii*, *Prideaux*, *Schukfort* aliorumque scripta, in quibus ex antiquissimorum scriptorum profanorum λειψάνοις lux affunditur S. Litteris; at quo historia sacra V. T. antiquior est, eo major est inopia monumentorum veterum; hinc ex conjecturis sæpe meris, inter se invicem parum consentientibus, constant illæ narrationes. Adde nomina & res gestas exoticorum scriptorum tantæ obscuritati esse obnoxia, ut difficillimum sit ea contulisse cum iis, quæ in sacris Pandectis narrantur. Veterum Ægyptiorum notitiam habemus ut plurimum ex scriptoribus græcis & romanis, qui minus accurate nobis eorum ritus, religionem, opinionesque repræsentarunt. Controversia certe, quæ occasione doctissimi *Spenceri* & *Marshami* de origine rituum ægyptiacorum orta, satis ostendit, quam sit nostra cognitio circa has res arctis inclusa cancellis; unde & simul colligi

colligi poteſt, quam ſint certæ alluſiones quædam propheticæ ad hos illosve eventus, conſuetudines, ritus, & parabolas: profecto ut plurimum ad conjecturas meras in hiſce recurrendum eſt. Quanquam igitur ſolerter viris doctis, qui philologicis commentariis S. Litteras, inprimis V. Teſtamentum explicare aggrediuntur, in hæc omnia, de quibus dixi, ſit inquirendum, nullique labori parcendum, modus tamen ingenti veri inveſtigandi ſtudio eſt ponendus, poſtquam ſatis ſuperque longo examine interpretes defatigati deprehenderunt, fieri non poſſe ut altius in verum ſenſum dictorum penetrare poſſint. Præſtat ſæpe illud, *non liquet* vel *ignoro*, ingeminaſſe, quam fruſtra ſeſe torſiſſe. Neque exiſtimandum hanc ingenuam ignorantiæ confeſſionem detrimentum allaturam religioni, aut hoſtibus, *Deiſtis* ſcilicet & *Pontificiis*, triumphandi materiem ſuppeditaturam. *Primo* enim per naturam rerum fieri non poteſt, ut perfectam omnium phraſium, quæ in utroque codice occurrunt, notitiam habeamus. Conſentaneum igitur eſt, ut ſæpe aut noſtram rotunde confiteamur ignorantiam, aut aperte & cordate aſſeramus, nos præter conjecturas, ſpeciem aliquam probabilitatis habentes, afferre poſſe nihil.

Secundo: tum autem demum, uti dixi, ad hanc ingenuam confeſſionem properandum eſt, ubi ante omnia ſingillatim loca & ſingulas περιςάσεις diligentiſſime excuſſimus, omnesque in partes ingenium verſavimus, neque tamen verum detegere potuimus. Certe qui hoc præſtitit, uti ab omni ſpecie alicujus turpis inertiæ, ſic etiam a culpa temeritatis immunis eſt.

Tertio: Proteſtantes omnes in eo conveniunt, omnia, quæcunque ad ſalutem cognitu ac præſtitu ſunt neceſſaria, in utroque Fœdere ſatis & ſufficienter conſtare. Aliis ſectis addicti, ipſi etiam Pontificii hoc, velint nolint, fateri tenentur. Neque enim aliis præſidiis inſtructi ſunt ad S. Litteras interpretandas quam illi, qui ab eccleſia romana ſeceſſionem fecerunt. Ridemus merito eccleſiæ romanæ Doctores, quando infallibili judice demum admiſſo omnia in S. Litteris aperta eſſe dicunt, cum tamen nullis argumentis, e philologiæ ſacræ ſcriniis petitis, Pontifex lucem afferat obſcuris locis, ſed Dictatoris ad inſtar, pro lubitu vel aliter ſentiendum decernat; quod præſtare poteſt quilibet Doctor umbraticus.

Quarto:

Quarto: quod ad Deiſtas ſpectat, illi ut plurimum omnem revelationem reſpuunt, neque propter obſcuriora plurima loca S. Litterarum id ſe facere aſſerunt; ſed potiſſimum ob myſteria, miracula, totamque Gratiæ in Evangelio revelatæ doctrinam. Doctiores ex hoc grege facile vident interpretum diverſitatem non ſufficiens argumentum eſſe, ad univerſam religionem chriſtianam impugnandam; neque igitur ingenua *ignorantiæ* confeſſio circa loca quædam V. & N. Teſtamenti, eos in *Deiſmum* præcipitare poteſt.

Quinto denique: viri, qui accuratiorem religionis cognitionem perſpectam habent, probe ſciunt, id quod præcipuum eſt in religione non niti obſcuriore quorundam rituum, hiſtoriarum &c. majore vel minore notitia, ſed cognitione veritatis, quæ eſt ſecundum pietatem, & præſtatione ſedula eorum præceptorum, quæ Chriſtus & Apoſtoli injunxerunt. Hi certe non curant curioſas eruditorum diſquiſitiones, & plebs ipſa veritatibus in catechiſmis contentis contenta eſſe poteſt, quia illæ in N. Teſtamento tanquam ſcitu neceſſariæ repræſentantur, quo ipſo tamen illi commendanda eſt lectio S. Scripturæ, inprimis N. Teſtamenti, adhibitis paucis gloſſis ſi ad manus ſunt. Neque docti ipſi in vita & morte aliud præſidium inveniunt, quam in certa de his articulis perſuaſione, conjuncta cum præſtatione eorum officiorum, quæ cum articulis illis neceſſario conjuncta eſſe debent. Addendum hic eſſe puto prudens monitum τȣ μακαριτȣ *cl. Werenfelſii*, quod corollarii ad inſtar, cogitationibus ad varia loca N. Teſtamenti adjecit. Sonat autem ita: *Potuiſſet Spiritus S. artem ſcribendi tam perfectam divinitus infundere, ut de quibuslibet rebus ita proprie, perſpicue, & diſtincte locuti fuiſſent, ut nulla in verbis obſcuritas eſſet & ambiguitas, quæ interpretem morari, aut ſenſum dubium reddere potuiſſent: ſed hoc facere noluit, ut eccleſia ſemper cognoſceret, qualibus inſtrumentis Deus fuerit uſus ad chriſtianam religionem per univerſum orbem diſſeminandam, & ita grande hoc opus non humanæ eloquentiæ adſcriberetur; tum vero ut diligentiam noſtram & attentionem in legenda S. Scriptura acueret; negligentibus & indignis ſenſus ſalutares occultaret. Quod ſi & piis lectoribus etiam poſt non levem diligentiam adhibitam ſenſus Scripturæ nonnunquam ambiguus videtur, idque in rebus non parvi momenti, poteſt & hæc ambiguitas ipſis ſæpe utilis eſſe; cum v. gr. ambigunt hæc an illa virtus in aliquo loco commendetur, hoc an illud vitium prohibeatur,*

hactenus quidem judicium suspendere debent, ut de sensu loci nihil certi statuant. Sed quando alterutrum horum commendari aut prohiberi certum est, ipsa ambiguitas pios stimulat, ut ita vivant, ac si utrumque horum aut hic praeceptum, aut illic prohibitum foret.

IV.

Quaeritur, quomodo alii impedimento occurri possit.

Quaeritur autem, quomodo alteri malo, quod in interpretatione S. Litterarum ut plurimum locum obtinere videmus, occurri aliqua ratione possit, si illud penitus tolli non potest. Atque hic omnibus perpensis ad tria potissimum attendendum esse putamus, sine quibus quomodo scopus, quem intendit interpres, obtineri possit, non video. *Primum* est, ut quis animum ad interpretationem S. Litterarum conversurus certissime sibi persuadeat, verum alicujus loci sensum non posse serio quaeri, sine depositione praejudiciorum sectae, cui addictus est. Supra diximus, quamlibet sectam, licet in communibus religionis articulis adquiescat, privos tamen sibi articulos vendicare, ex quibus constet v. gr. utrum quis *Lutheri* vel *Zwinglii* &c. addictus sit partibus. Jam vero cum singulae sectae probe perspectum habeant, ad articulos illos probandos opus esse disertis Scripturarum locis, ea ut plurimum non solum junioribus inculcantur, sed in systematibus, sive probent quod probandum est, sive non, sedulo adducuntur, & in examinibus publicis ea testimonia requiruntur. Idem *secundo loco* dici potest de diversis hypothesibus, quibus imbuti sunt interpretes, & quibus adjuti existimant, se accurate sensum S. Litterarum exhibituros, & facilius his vel illis locis Scripturae lucem allaturos. Sunt, qui ope hypothesium quarundam philosophicarum id se praestituros putant: quam feliciter docuit experientia. Dantur, qui nescio quam insolitam hebraicae linguae peritiam sibi vendicent, & hujus ope restaurare textum, atque ita verum sensum explanare velint. Notum quae promiserit & tentaverit vir alias doctissimus *Meibomius*. Alius facillimam viam esse putat verum sensum S. Litterarum reperiundi, si ubi difficultates reperit haud facile solvendas, falce critica medelam statim afferre, aut misso textu masorethico huic vel illi versioni album calculum adjicere conatur. De canone *celeb. Cocceji* jam supra diximus: alii, specie pietatis inducti, omnem sensum

ſum optimum, i. e. intentioni Spiritus S. convenientiſſimum eſſe putant, ſi is pietatis quædam incitamenta ſuppeditet, & amplam materiem ad populum verba habendi exhibeat. Quidam in Vet. Teſtamento ubique Chriſtum quærendum eſſe dicunt, & potius eſſe abſolvendum illum, qui Chriſtum reperit in loco aliquo V. T. ubi de eo non agatur, quam illum, qui non videt de Chriſto agi, ubi tamen Scriptura ad eum reſpiciat. Denique multi, ubi litteralis ſenſus nimis macer eſſe videtur & ſimplex, ad myſticum ſtatim ac allegoricum confugiendum eſſe putant. Qui his vel ſimilibus hypotheſibus & opinionibus imbuti ſunt, & eaſdem ſemper & ubique ſectandas & obſervandas putant, ſæpe a ſenſu vero recedunt; ex quo colligitur, *ad tertium tandem*, ſi huic malo medela afferri poteſt & debet, recurrendum eſſe aliquod præſidium: nimirum ſequendum, ſaltem inveſtigandum ſenſum *ſimpliciſſimum*, *nativum*, & *vero quam maxime conſentaneum.*

V.

Quæritur, quomodo ſimplicitatem genuinæ interpretationis interpres reperire poſſit.

Omnis vero labor in eo conſiſtit, ut oſtendamus, in quo tandem *ſimplicitas* illa interpretationis conſiſtat, & quibus mediis obtineatur. Cum vero vox *ſimplicitas* non unam involvat notionem, ſed idea ſit complexa, nonniſi aliquot attributorum enumeratione, quid illa ſit, explicari poteſt. In genere hæc ſimplicitas opponitur obſcuro, contorto, ad rem nihil facienti, longiſſime petito, meris ſectæ vel hypotheſium precariarum principiis innixo, a ſcopo alieno & parum veriſimili. Dices hoc idem tandem eſſe ac veritatem ſenſus in S. Litteris occurrentis. Sine dubio hanc ſolam quærere debet interpres; ab ea tamen diverſa eſt illa ſimplicitas, quia per hanc veritas obtinetur. Videndum ergo, quibus viis & mediis ad illam ſimplicitatem perveniatur. Ita vera poteſt eſſe alicujus loci interpretatio, per longas ambages quæſita, in ſe ſpectata, quæ tamen facilius longe reperiri potuiſſet, ſi interpres breviorem viam, & magis compendioſam calcaſſet. Hic vero quædam *mittenda* eſſe cenſeo interpretibus; alia vero *præſtanda.*

Et *primo* quidem, quod antea dixi, cavere ſibi debet interpres a *ſtudio ſectæ*, & temere *arreptis hypotheſibus.* Hæc ubi animos occupant, fruſtra non ſolum omnia monita, & regulæ optimæ, ſed

& omnis eruditionis apparatus, quo instructus est interpres, irritus plerumque erit. Vident enim ubique tales interpretes, quod videre cupiunt. Atque malum hoc adeo alte omnium fere, qui ad Scripturas sacras interpretandas se accingunt, animos occupavit, ut dubitem, utrum id expelli unquam possit.

Secundo, quod de *studio sectæ* diximus, idem etiam de supra notatis hypothesibus dictum volumus.

Tertio, nimium studium exquisitam eruditionem & lectionem variam ostentandi, ut plurimum magis officit veræ interpretationi, quam eam promovet; animus enim a vero unice inveniendo retrahitur, & potius aliarum rerum, quam quod quærendum est, desiderio impletur.

Quarto, quamvis pietatem, vel affectum potius pium in interprete maxime laudabilem esse putamus, si cum sinceritate animi adhibitaque singulari Numinis reverentia ita sit conjunctus, ut sciens volensque nihil Deo in verbo suo loquenti tribuat, quam quod veritati & pietati consentaneum esse putat; nihilominus tamen credendum non est, *pietatem solam* sufficere ad officia veri interpretis præstanda. Quilibet Christianus debet omnem impendere operam, ut, quæ in Scriptura credenda proponuntur, pro animo admittat, & quantum valet ingenio, in cognitione salutaris veritatis crescat; dubiumque etiam nullum est, quin quantum pro statu suo necesse est, omnia illa reperturus sit, quæ ad salutem suam promovendam facere possunt: at hæc non sufficiunt, ad interpretis officium rite præstandum. Plura contra requiruntur, quæ singulari diligentia sunt ediscenda, nimirum *linguæ*, *ars grammatica & critica*, *idiotismi linguarum*, *historia & antiquitates*; sine his præsidiis nemo interpretis nomen sibi vindicet: quivis rusticus in sua versione intelligenda occupatus, & affectu pietatis commotus, præstare id potest quod ad pietatem facit; sed aliis de vero sensu sollicitis frustra regulas genuinæ interpretationis aliqua cum probabilitatis specie tradet. Hoc contra illos monendum, qui identidem jactitant, non eruditos, sed pios potius sensum S. Litterarum optime intelligere, quod auxilio Spiritus S. adjuti sint. Certe si de *veritatibus* tantum *moralibus*, de quibus gustum aliquem habent, & experiundo talia didicerunt, quæ passim viri sancti sibi tribuunt, ageretur, nollem illis controversiam movere, quanquam hic primo, in quo vera & mascula

ma fcula pietas confiftat, accurate effet definiundum, cum fæpe anilis fuperftitio perfonam pietatis inducat. At ubi de aliis rebus agitur, quæ nonnifi intelligentia linguarum, & notitia præfidiorum hermeneuticorum obtinentur, virum vere eruditum aptiorem effe puto pio homine, omnibus præfidiis accurati interpretis deftituto. Quo ipfo tamen non negatur, pietatem interpreti erudito fæpiffime lucem afferre. Interim & hoc verum eft, fæpe fuperftitionem exegeticam pietatis fpecie deludere interpretem. Qua ratione hi homines in interpretatione S. Litterarum verfentur pulchre oftendit *cl. Stemlerus*, in differtat. *de interpretationibus S. Scripturæ piis fed minus accuratis*. p. 15. *Interpres*, (inquit) *hac labe & macula adfperfus, omnium fcientiarum principia in S. Scriptura putat effe recondita, quafi hæc humanarum quoque artium thefauros nobis exhibeat. Deinde ubique myfteria quærit & miracula, ubi talia ne fagaciffimus quidem fcrutator omni diligentia indaget. Ad minima faftidiofe difcutienda anili fere folicitudine & cura fertur, & rebus, quæ nullæ funt, movetur inaniter. Philofophiam & reliqua ex ingenuis artibus fubfidia periculi plena effe vociferatur; etiamfi moderate & fapienter ea adhibeas. Traditiones Judæorum veterum omnes ex finibus hermeneuticæ facræ profligat. Illuftrationem facrorum ex profanis omnem, fuis quoque limitibus caute circumfcriptam, damnat. Si, quis hujus vel illius difficilis loci fenfus fit, indicandum eft, credere mavult quam judicare. Itaque ad aliorum fe confert auctoritatem, nec probat nifi quod multis jam feculis invaluit, magnorumque interpretum fuffragiis munitum eft; quafi nihil omnino ignoraverint veteres ecclefiæ Doctores, & ampliffimum hunc campum plane emenfi fint: quafi tutius fit alieno rem facram judicio, quam fuo metiri, majorumque placitis fe ita addicere, ut fi quæ vera, hoc folo nomine quod nova, vera minus habenda effe videantur. Errare ergo mavult, & fententias ab aliis acceptas pugnaciffime defendere, quam fine pertinacia, quid melius ftatuendum fit exquirere. Dum pius effe ftudet in Scriptura ab omni dictionis vitio vindicanda, & omnes ex illa ellipfes, pleonafmos, fynchyfes, hypallagas, enallagas, eliminare cogitur, in contraria currit & fe in difficultates vix fuperandas incauta pietate conjicit.* Ita doctus ille vir. Iidem interpretes falfa pietatis imagine abrepti, emphaticas locutiones in ipfis verfionibus quærunt, fi quando illæ ftudio pietatis nefcio cujus fpeciem præbent, licet apertum fit, in textu originali

nullam emphasin reperiri. Clamant insuper, veri nominis interpretem Christum ubique in V. T. quærere debere, & ex hoc studio ubique Christum reperiundi de pietate interpretis esse judicandum. Ego vero pro simplicitate mea semper existimavi, interpreti hoc unum incumbere, ut sensum verum S. Litterarum, id est mentem S. Scriptoris quærat. Qui in Scriptis V. Test. agi putat de Christo, ubi de eo sermo non est; & is, qui, ubi de eo agitur satis dilucide, de alio sermonem esse putat, pariter mihi errasse censendi videntur; neque causam video, cur is, qui Christum ubique in V. T. reperit, etiamsi perperam, majore pietatis studio incensus esse dicendus sit, quam is, qui veritatis amore compulsus existimat, in his vel illis locis de Christo sermonem non esse. *Calvinus* v. gr. multis in locis V. T. de Christo, vel de Trinitate non agi putat, secus ac alii existimant interpretes. Quis vero sani cerebri homo exinde colliget, eum amore Jesu Christi sincero tactum non fuisse? profecto ex aliis potius notis, quam ex interpretationibus hisce de pietate interpretis judicandum est.

VI.

Exponuntur uberius regulæ, quæ ad simplicitatem hermeneuticam inveniendam requiruntur.

Postquam quid in hoc argumento cavendum sit exposuimus, nunc paulo uberius ostendemus, quantum nobis cognoscere datum est, quid in interpretatione S. Litterarum ad *simplicitatem* & veritatem obtinendam requiratur; ubi tamen in antecessum monemus, nos omnes artis hermeneuticæ regulas hic minime expositaros, quoniam hæc alibi quærenda sunt, neque ad scopum nostrum spectant. *Primo* igitur ante omnia interpreti attendendum est ad *scopum*, quem intendere debet S. Litteras explicaturus. Is autem (verbis utor *cl. Werenfelsii*) *non alius est, quam positis omnibus alienis affectibus, & præjudicatis opinionibus, genuinum cujuslibet loci sensum candide & sincere indagare, eumque repertum sine detorsione, additione & detractatione, aliis exponere, & quam fieri potest clarissime demonstrare.* Hunc scopum semper ante oculos habere debet interpres, præsertim si impetus aliquis novas & insolitas quærendi locorum significationes eum incessit; atque hoc ipsum manifestum facit, debere interpreti inesse *sincerum veritatis eruendæ amorem. Secundo* autem huc conferet, si quis artis grammaticæ & idiotismorum probe sit peritus.

Opti-

Optimus Grammaticus (ſi modo hac arte ſola in vita contentus non ſit) eſt etiam optimus interpres: ſaltem primum officium interpretis eſt, probe hanc artem perſpectam habere. Scio quidem hodie malam in partem ſumi appellationem *Grammatici*, quia multi ex hoc numero per vitam nihil aliud egerunt, quam ut omnes angulos hujus diſciplinæ perreptarent; quia ſæpe nobiliores diſciplinas contemnunt, de rebus nihili tanquam de rebus maximi momenti vehementer diſputant; quia multi ex iis moroſis moribus aliis moleſti ſunt, & omnem eruditionem hac una cognitione abſolvi ſibi perſuadent. At propterea ars ipſa grammatica contemnenda non eſt, quippe cognitu quam maxime neceſſaria, & noniſi ab imperito ſpernitur. Qui alias diſciplinas excolunt, ſæpe etiam præfidentem ſibi fiduciam ſumunt; non neceſſaria & parum profutura vehementer urgent; in cœlum tollunt laudibus ineptias; ſeque ita agendo magna eſſe Reipublicæ litterariæ ornamenta putant; tales dantur inter Philoſophos, Theologos, Medicos, Juriſconſultos &c. nemo tamen propterea ſani cerebri has diſciplinas ſpernet. Verbo dicam, nemo linguam aliquam rite callet ſine grammatica: atque cum hoc in univerſum verum ſit, tum multo magis locum habet in linguis, quæ antiquatæ ſunt, nec hodie in uſu. Ita videmus ſæpe legendo doctiſſimos interpretes S. Litterarum, eos omnium maxime nobis ſimplicem & genuinum ſenſum repræſentare, qui ad minutas etiam grammaticæ regulas attendunt. Ita ſæpe in *Druſii* commentariis reperias, quæ alibi fruſtra quæras, quoniam diligens eſt vocum hebraicarum ruſpator. Vide quæ de uſu grammaticæ in interpretatione S. Litterarum dicta ſunt ab *Eraſmo*, in præfat. ad ſuas annotationes in N. T. Cum hac peritia artis grammaticæ inprimis conjungenda eſt cognitio *idiotiſmorum*. Quantum hæc ad verum ſenſum alicujus ſcriptoris cognoſcendum facere poſſit, nemo ignorat. Defectus hujus cognitionis præcipue in Codice hebraico ſæpe impedit, quo minus multas ſententias auribus noſtris inſuetas, vel alio plane ſenſu ſumtas, quam qui inter Europæos locum habet, intelligamus; ita quid phraſi *pedes comprimere*, vel ad *parietem mingere* denotetur, haud ita facile intelligitur, neque inter ſe per omnia conſentiunt interpretes. Ita ſi cognoſceremus ſtylum mulierum nobilium, in aulis regum hebræorum degentium, certiſque gnomis & conſuetudinibus utentium, forte rectius quam nunc intelligeremus Canticum Canticorum.

Tertio,

Tertio, ut argumenta *a tuto* petita non ſunt uſurpanda, ſic neque temere textus ipſe, niſi maxima adſit neceſſitas, mutandus. Argumentantur *a tuto* interpretes, quando hærentes circa ſenſum dubium, neque facile explicandum, receptam hactenus, veritati licet non conſenteneam loci interpretationem, retinendam tamen clamant, propterea quod certis quibusdam ab ipſis receptis opinionibus faveat. Ita memini me legiſſe Al. *Morum*, virum alias doctiſſimum, interrogatum, utrum magis ipſi placeret ſyſtema *Cappelli* in critica ſacra prolatum, num vero *Buxtorfii*; reſpondiſſe, *Cappelli* ſententiam *vero magis conſentaneam eſſe*, *Buxtorfii* vero *tutiorem.* Quoniam vero jam in antecedentibus diximus, evitandum eſſe ſectæ ſtudium, & hypotheſes nullis certis regulis innixas, argumentationes vero *a tuto petitæ* huc pertineant, nihil addendum eſſe cenſeo.

Quemadmodum vero argumentationes *a tuto* nihil valent, ita ab altera parte tamen a temeritate mutandi textum ſacrum cavendum eſt interpreti. Non ego is ſum, qui credam, Codicum deſcriptores, inprimis ταχυγράφυς, neque in punctis vocalibus aut litteris nunquam errare potuiſſe, ad tale enim ſtatuendum opus eſſet perpetuis miraculis, quæ hoc in caſu ſtatuere ἄτοπον eſt. Imo τὸ *Keri* & *Chetib* probat in hunc vel illum codicem aliquando errorem potuiſſe irrepere. Celeb. *Hottingerus* pater, in *Theſauro philologico* ad quæſtionem, utrum injuria temporis, Judæorumque malitia, ſic moderni codices corrupti, ut pro judicibus controverſiarum vix amplius poſſint haberi, inter alia ſic reſpondet pag. 124. *Non ſermo eſt de leviuſculis quibuſdam erroribus, qui injuria temporum, tum ante abſolutam Maſoram in plura, tum poſt ejus editionem in pauciora exemplaria irrepſerunt: quod ipſum tamen cum Reformati concedunt, authentiæ veritatis hebrææ nil prorſus derogant. Videantur A. Riveti Iſagog. ad Script.* p. 106. *Amama Antibarb. Bibl. lic.* 1. *cap.* 1. *Glaſſii Philol. S. part.* 1. *lib.* 1. *Haeſpan.* p. 257. *quibus Joh. Morinus in Exercit. biblicis p.* 62. *non paucos adjicit alios, Druſium puta, Mercerum, Bertramum, Pagetium, Cappellum, Piſcatorem, Buxtorfium, Junium, qui ſemel atque iterum, vulgato Hebræorum codice valere juſſo, aliam codicis Heidelbergenſis antiquiſſimi lectionem fuit ſecutus, ut videre eſt in II Chron. XXVI. v.* 5. & *cap. XXXV. v.* 3. *Scaligerum in notis ejus ad Elench. chronol. p.* 26. 27. *Nec aliter Judæi, qui non tantum*

tum varias orientalium & occidentalium lectiones קרי וכתיב, *lectum & scriptum, sed & aliorum post Masoretas scriptorum exemplorum diversitatem, vel ad marginem Bibliorum, vel in commentariis ostendunt. Vide Bibl. Basil. Genes. XIX. v. 13. Genes. XXV. v. 3. & alibi; quam tamen differentiam veritati hebraicæ nihil detrahere prorsus ipse Simeon de Muis, homo pontificius, Censur. in Exercit. Mor. cap. V. p. 17. & cap. VIII. p. 162. & deinceps it probatum. Vide etiam cl. Buxtorfium de punct. antiq. & orig. p. 20. 22. 351. 353. 277. 275. præsertim* 281. *Hacspan. l. c. p. 305. sic Danielis cap. II. v. 11. pro* אחרן *alius R. Saadias legit* אהרן *Aharon, & pag. 212. ait, supra diximus non eam in omnibus codicibus esse* ἀναμαρτησίαν *& harmoniam, ut ne apice a se invicem differrent.* Hactenus ille vir. (*)

(*) Huic testimonio adstipulantur viri in ecclesia reformata doctissimi. Duos tantum adferam in eorum gratiam, qui auctoritate potius quam argumentis ad ita vel aliter sentiendum moventur, testes. Prior est celeb. BOCHARTUS, de cujus orthodoxia & eruditione singulari nemo dubitat. Hic vero in eruditissimo opere, PHALEG inscripto, libro II. cap. XIII. de hoc argumento ita pronuntiat: „ Licet eandem Scribis ἀναμαρτησίαν quam Scriptoribus sacris non tribuam, non tamen inde sequitur, quod nonnulli subinde oggerunt, actum esse de fide & doctrina salutis, & in ea nihil esse certi. Quis enim in aliis ferat sic argutantem? In Livii & Suetonii scripta quidam errores irrepserunt: ergo in historia Romana nihil est certi, & in iis, quæ de Hanibale aut Julio, aut Augusto leguntur, nulla fides. Aristotelis græci codices sunt alicubi mendosi; ergo quid ille senserit de rebus philosophicis certo scire haud quaquam possumus. „ Posterior est J. Hasæus, Bremensis Jctus, linguarum & artis criticæ callentissimus, in ipso flore ætatis erudito orbi ereptus. Hic in dissertatione de Glossematibus quorundam locorum N. Testamenti, quæ textui, causa explicationis adscripta, hinc in ipsum verborum ordinem intrusa esse existimantur, Biblioth. Brem. fascic V. insertæ, ita mentem suam aperit: „ Qui eruditorum (inquit) virorum in varios Scriptores utriusque linguæ animadversiones sedula cura perlustrarunt, facile in memoriam revocabunt, sæpius eosdem monuisse de interpretamentis ex ipso Scriptore, quæ quod Codicum margini viri docti adleverant, ab imperitis aut incautis saltem amanuensibus in ipsum ordinem verborum Scriptoris falso admissa sint. Quin hoc ipsum innumeris in locis contigerit, non est quod dubitemus, ex quo id abunde tot exemplis a doctissimis viris evictum est, & pluribus, si quidem nunc id ageremus, evinci posset. De his inter cæteros egit de industria clariss. Clericus in utilissimo libro de Arte critica, part. III. sect. I. cap. VII. Hoc vero Glossematum ruspandi studium, eousque nupera ætate adolevit, ut & iis quibusdam in locis non immunem esse Codicem sacrum

Neque integritati S. Codicis magis obest modesta hæc crisis, quam aliorum librorum. Quod si sensui ipsi, antecedentibus & con-

„ viri quidam summi & in rebus criticis acrioris cæteroquin judicii existimaverint. Neque ego adeo morosus sum, ut quidam hac ætate, quin, „ quod in aliis scriptis contigit, idem & in divinæ erga nos voluntatis interpretibus contingere potuisse concedam perlubenter. Eam enim non capio subtilitatem, qua hic inter cæteros libros & Sacrum Codicem distingui volunt. Quasi de ipso Codice ageretur (quem certe omnibus præstare monumentis secularis eruditionis nemo negabit) non vero de ejus Codicis descriptione. Quasi non Codices sacrorum æque ac profanorum Scriptorum, toties ab imperitissimis hominibus & Monachis utriusque sexus, calligraphiæ potius quam verborum rerumque studiosis, scripti & formati essent. Eos itaque Notarios ab errore in scribendo ubique locorum immunes facere, cum tot passim ex Mscr. collatione deprehendantur, hoc est pessimis auctoritatibus plus habere fidei, quam oculis & rationi. Cum itaque nullo modo, quin hi homines errare potuerint, queat vocari in dubium, ita cum & quando erraverint, quod res facti sit, id ubique locorum comprobandum est. Nam ipso opere plurimas glossas adscriptas fuisse textui N. T. quæ dein ut verus textus in ipsos Codices Mscr. imperitia amanuensium, qui eas inter verum verborum ordinem posuerunt, irrepserint, neminem latere potest, nisi qui nunquam variantes N. T. lectiones excussit. Rectissime proinde doctissimus Millius in nota ad 1. Petri III. v. ult. & in Prolegom. S. 844. censet; verba Vulgatæ quæ adduntur: deglutiens mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficeremur, & in variis libris leguntur, esse scholion studiosi, qui illa ex 2. Tim. I. v. 10. ad oram textus adlevit, & postea scribæ in textum receperunt. Hujusmodi plura possent produci, si id nunc operæ nobis dedissemus. Vide tamen cl. Millium ad Gal. V. 23. Hebr. XII. v. 32. 1. Petri IV. v 13. Matth. XXIII. v. 25. & passim. „ Ipsi b. m. Reformatores sibi hanc sumserunt libertatem. BEZA ad Act. cap. VII. v. 14. ubi pro πέντε, πάντες esse legendum putavit, hæc adjecit: „ Neque vero hujus erroris observatio quemquam debet offendere, vel in dubium vocare verbi divini authoritatem: cum ex hebræa veritate emendetur, & salva nihilominus tum doctrina, tum etiam historiæ fides permaneat. Et res ipsa clamat, non uno loco, temporis injuria, persecutionum acerbitate, adversariorum veritatis fraude, hæreticorum audacia, pastorum denique inscitia & oscitantia, numerorum notas labefactari & alia periculosiora in sacros libros invehi potuisse: quæ tamen eruditi & sancti homines tum ex aliorum locorum collatione, tum ex fidei analogia, partim animadverterunt & emendarunt, partim etiam posteris observanda & corrigenda reliquerunt; sic prospiciente ecclesiæ suæ Domino, ut quamvis integri non pauci libri interciderint, & errata quædam irrepserint, tamen salutis doctrinam totam his libris certissime & verissime comprehensam habeat ecclesia, & ad finem usque seculorum sit habitura. „ Vide etiam CALVINUM ad Matth. XXVII. Act. VII. 16.]

consequentibus recepta lectio plane contraria est, facilique mutatione alicujus puncti vel litteræ, præsertim si antiquissimarum versionum auctoritas accedat, lectioni consuli possit, non quidem in textu ipso, sed in notis infra textum ponendi modestis verbis id indicare licet. Hinc inde *Cappellus* integro capite *in Critica S.* monuit, textui ipsi masoretico, prouti hodie extat, nullam inferendam mutationem. Interim & hoc verum est, doctissimum *Cappellum* sæpissime in applicatione suarum regularum peccasse, & sine necessitate hic illic textum mutare voluisse, quod non solum ipsius adversarius cl. *Buxtorfius*, & qui eum secuti sunt, ostenderunt, sed & illi ipsi, qui sententiæ *Cappelli* addicti erant, ab ipso sæpe recedunt; v. gr. *J. Clericus* in suis commentariis. Concessa moderata hac & docta κρίσει, non solum S. Literarum locis multis, sed & profanis Scriptoribus lux accensa est: non uno specimine inter recentiores ostendit hoc *Battierus*, *linguæ græcæ olim Professor in Academia Basileensi clarissimus; Heumannus insuper Göttingensis Academiæ Professor longe celeberrimus*, & plures alii. B. Reformatores nostri, ut notum est, & ad quos etiam doctissimus *Cappellus* in suis scriptis provocaverat, tam caperata fronte non erant, ut propterea doctis viris hanc artem modeste exercentibus insultarent. Hinc *Erasmi* & *Bezæ* scripta, uti merentur, magni æstimabantur, & adhuc in pretio sunt, licet sibi libertatem sumserint, a lectione recepta non semel recedendi. Postquam vero, inter nos pariter & Germanos, Theologi exorti sunt, qui nimio metu compulsi sub omni lapide scorpium latere (quanquam simul negandum non sit, quorundam audaciam in corrigendis his vel illis S. Literarum locis multum huc contulisse) putabant, emendatio, innocentissima licet, captu facilis & necessaria, pro grandi crimine habita, & publicis scriptis hæc libertas fuit proscripta, indignantibus iis omnibus, quibus veritas cordi est. Hic certe valet illud *Darii* apud *Curtium*. *Deerunt qui suadebunt, si suasisse periculum sit.*

IV. Ad obtinendam illam *simplicitatem* & verum sensum S. Literarum eruendum, multum facit, si ad consuetudines ritusque gentium, resque tum temporis, quo hoc vel illud scriptum est, gestas, animum convertit interpres. Probe attendendum, omnes gentes cujuscunque ætatis & loci, habere privas quasdam consuetudines, parabolas, ritus in sacris & profanis negotiis. Dum igitur de his vel claris satis verbis, vel tecte loquuntur scriptores sacri, videndum

interpreti, an non ex certis indiciis earum cognitio haberi possit: quod si auctoribus S. coævos, & eodem sermone utentes, consulat scriptores, feliciter sæpe sensus loci invenitur; quod si vero coævi scriptores desunt, & ex iis sapiendum, qui post longum temporis decursum ea, quæ in gente sua recepta sunt, explicant, tuto semper fidem iis adhibere non possumus. Sic merito dubitatur non raro, utrum Rabbini, sequiore ætate viventes, ea, quæ tempore non dicam Mosis, sed Prophetarum gesta sunt, ritus item consuetudinesque Hebræorum exponunt, vero semper consentanea sint. Sic si quis mores ritusque Helvetiorum tempore Julii Cæsaris viventium explicare vellet ex iis, quæ nostra & patrum nostrorum memoria gesta sunt, moresque & ritus veterum Helvetiorum ex nostris æstimare vellet, dubium non est, quin multiplices commissurus esset errores. Præstari tamen hoc in negotio debet quantum potest. Idem dictum volo de historicis monumentis. Collatio certe eorum, quæ eodem tempore in natione quadam gesta sunt, cum narratione alius populi, cujus fata in Sacris repræsentantur, multum lucis Scriptoribus affundit. Ita ea, quæ Scriptores græci & romani, Josephus inprimis, de Imperatoribus R., familia Herodum, statu populi Judaici, sectisque Judæorum &c. narrant, mirifice confirmant ea, quæ in N. T. a Scriptoribus sacris memorantur; quibus præter doctissimos interpretes non exiguam affuderunt lucem D. *Lardnerus* in libro bonæ frugis plenissimo, cui titulus: *Fides historiæ evangelicæ*, & alii bene multi: ita etiam fidem eorum, quæ a *Luca* in Actis Apostolorum dicta sunt, ex coævis Scriptoribus doctissime confirmat præstantissimus *Biskoe*. Interim quod ad ritus consuetudinesque Gentilium tempore Christi & Apostolorum viventium attinet, nullus dubito, quin interpretes sæpe fallantur, quando in omnibus phrasibus Apostolorum allusiones quærunt, ad ritus Gentilium spectantes, cum Apostoli natione Judæi, & de majoribus per vitam solliciti, vix totum Gentilismi apparatum, omnesque Sacerdotum & Philosophorum minutos ritus, eorumque arcanos significatus, perspectos habere potuerint. Omnes homines in vulgari sermone certis vocibus & phrasibus utuntur usu receptis, licet dum eas adhibent nil minus cogitent quam de ritibus aliarum gentium. Vide pluribus de his agentem *cl. Moshemium* loco citato. Insignem autem præprimis utilitatem afferre interpreti, & multum ad *simplicem*

plicem & verum ſenſum reperiundum conferre poſſe, accuratiorem cognitionem particularum, in utroque Codice occurrentium, & earum legitimam applicationem ad hæc vel illa loca connectendi, vel ſeparandi, omnibus ita notum eſt, ut pleniore hujus argumenti deductione opus non ſit. Certe vel minimæ particulæ ſæpe impediunt, quo minus interpres ſenſum quem quærit reperiat. Vide *cl. Albrecht* in diſſertationibus, *de minimis in exegeſi ſacra non negligendis.* *Quinto:* neque parum huc facit, quando interpres in primis in N. Teſtamento, epiſtolam aliquam ſine capitibus & verſiculis legit a capite ad calcem; ad præcipuum ſcopum & ad propoſitiones principales attendit, eaſque a propoſitionibus incidentibus, & ad præcipuum ſcopum nihil facientibus, probe diſtinguit. Hanc viam legendi epiſtolas Apoſtolorum ingreſſos viros doctiſſimos P. *Bauldri* & *Lokium* ſatis conſtat. (*) Et mirum eſt, pleroſque interpretes non idem facere, cum tamen, ſi veterum & recentiorum epiſtolas legunt, hoc facere ſoleant. Quamvis enim Apoſtoli methodum aliquam philoſophicam, ſive illam *ſyntheticam* appelles ſive *analyticam*, ſecuti non ſint, ita tamen locuti ſunt, ut palam ſit, quid potiſſimum in ſuis ſcriptis intenderint, & quid magis vel minus ante oculos habuerint, de qua tamen re in ſequentibus plura dicemus. Legendæ autem epiſtolæ illæ, quaſi nobis hactenus ignotæ eſſent, neque recurrendum ad alios licet doctiſſimos interpretes, niſi ubi perpenſis omnibus & lectione reiterata conſulere nobis amplius non poſſumus. Atque hic ſi neceſſe ſit, illi potiſſimum audiendi, qui omnium judicio omnes philologiæ ſinus perreptarunt, & in arte critica & grammatica verſati ſunt; interpretatio enim, quæ his præſidiis ſuperſtructa non eſt, ut plurimum ſuſpecta eſt. Ingenium ſolum, judiciique acies, plurimum quidem valent; at ubi comites non habent philologiæ præcepta, ſæpius in avia potius interpretem abducunt quam in planam viam. Teſtantur hoc

(*) Clariſſimus VALKENAER, in Oratione de ſacra N. F. critice a litteratoribus non exercenda, laborem STEPHANI, in verſiculos N. T. diſpeſcentis, appellat malam ſedulitatem, qua vulnus ſanctiſſimis libris inflixerit nullo unquam ævo ſanabile. Cæterum vide de hoc argumento differentes BLACKVVALLIUM in Critica ſacra pag 492. PRITIUM in introductione ad N. Teſtamentum, cap. XXVII. FABRICIUM in Bibl. Græca Lib. IV. cap. V. L'ENFANT in proleg. ad N. Teſtamentum, & alios.

tot male ſani interpretes, qui magis imaginationis ſuæ vim, quam peritiam artis interpretandi monſtrarunt. *Sexto*: Interpres S. Litterarum, qui *ſimplicitatem* ex animo quærit, bene facit, ſi Apoſtoli vel Prophetæ perſonam induat, atque ſibi perſuadeat, ſe eodem ſeculo, quo viri illi ſancti vixerunt, in terris comparuiſſe, eoſdem ritus & conſuetudines uſurpaſſe, linguaque eadem & proverbiis iiſdem uſum eſſe: ita enim facilius mentem virorum ſanctorum, quorum dicta explicare vult, repræſentabit. Regula hæc adeo æquitati & rationi eſt conſentanea, ut eam doctiſſimi quique artis hermeneuticæ ſcriptores calculis ſuis comprobarint: audi cel. *Frey*, Theologiæ apud Baſileenſes Profeſſorem *doctiſſimum*, in diſſert. I. de officio Doctoris Chriſtiani, ita de hoc argumento diſſerentem, pag. 16. *Ut itaque* (inquit) *quam proxime ad mentem ſcriptoris accedas, depoſitis omnibus præjudiciis atque ante captis opinionibus, colloca te, quantum fieri poteſt, in eum plane ſtatum, in quo fuit ſcriptor, aut ille de quo ſermo, aut ad quem verba facta ſunt, omnibus ſuis circumſtantiis veſtitum. Finge animo, te eodem tempore, eodem loco, quo illa dicta ſunt, vivere, te illum eſſe, cui aliquid dicitur, aut qui alteri aliquid dicat: Finge te Judæum, ſi Judæus; Gentilem, ſi Gentilis loquatur, aut ad illum verba fiant: indue quantum potes totam ejus hominis perſonam: aſſume ejus mores, vultum, linguam, &c. tum conſidera quis in animo tuo ſuboriatur ſenſus. Hoc quamvis difficile, & ſi omnia ſpectes, impoſſibile, certiſſimum tamen medium eſt, genuinum eruendi ſenſum. Dubium enim nullum eſt, Scriptores S. ab illis, quibus ſcripſere, vel in totum vel ex parte ſaltem intellectos fuiſſe: (eum enim in finem ſcripſere) horum ergo ſi induas perſonas, a te illos intelligi poſſe planum eſt.* Idem obſervandum eſſe monet ὁ μακαρίτης ven. *Oſterwaldius*, *Traité de ſource de la corruption, Part. II. p.* 259. *Le Commentateur* (inquit) *doit, par manière de dire, ſe transporter dans les lieux & dans les tems, auxquels vivoient les Autheurs ſacrés. Il doit ſe mettre en leur place, & ſe répreſenter, quel étoit leur deſſein en parlant ou en écrivant; à quelles perſonnes ils avoient à faire; quelles idées, quelles connoiſſances, quelles coutumes on avoit en ce tems.*

Neque tandem (*ſeptimo*) parum huc conferet, ſi interpres, ſimplicitatem genuinæ interpretationis S. Litterarum omnibus præſidiis linguarum, artis criticæ & grammaticæ munitus, quæſiturus, id, quod ſibi penſitatis omnibus, veriſimillimum videtur, in inter-

interpretando ſequitur, non conſultis ſemper tot diſſentientium inter ſe interpretum opinationibus. Quemadmodum enim in negotiis civilibus, ubi certæ ſunt inter cives lites & contentiones, facilius longe, ſi juris naturæ & civilis regulas ſolerter expendis, negotium componis, quam ſi univerſam cauſidicorum turbam conſulas; ita pariter ſe res habet, ubi S. Litteræ in locis etiam obſcurioribus interpretandæ ſunt. Atque hac in parte præ cæteris mihi eminuiſſe videtur M. *Grotius*, in primis in interpretatione N. Teſtamenti: ſæpe tribus verbis majorem accendit huic vel illi loco lucem, quam multi loquaciſſimi & in cæteris doctiſſimi viri, qui variis adductis interpretum ſententiis, turbant ſæpe potius animum, quam lucem ei afferunt. Pertinent huc, quæ de negotio alio agens in medium protulit *Lokius*, ſubtiliſſimi ingenii vir, in libro de *Intellectu humano*, Lib. III. cap. X. S. 12. Edit. Baſ. ita differens: *D'où vient, qu'on entend ſi facilement les Princes dans les ordres communs, qu'ils donnent de bouche, ou par écrit, & qu'ils ſont ſi peu intelligibles dans les loix qu'ils préſcrivent à leurs peuples? N'arrive t-il pas ſouvent, qu'un homme d'une capacité ordinaire, liſant un paſſage de l'Ecriture, ou une loi, l'entend fort bien, juſqu'à ce qu'il ait conſulté un interprête, ou un Advocat, qui après avoir employé beaucoup de tems à expliquer ces endroits, fait enſorte, que les mots ne ſignifient rien du tout, ou qu'ils ſignifient tout ce qu'il lui plait.* Atque hæc quidem in genere de *ſimplicitate interpretationis S. L.* dicta ſunt; ſpeciales vero interpretum leges apud hermeneuticæ S. ſcriptores quærendæ. Et hactenus quidem inſignem eruditis utilitatem attulit *Glaſſii Philologia ſacra*, cum quo tamen plures alii ſcriptores recentiores conferendi ſint.

VII.

Poſtquam pro inſtituti ratione ſatis de ſimplicitate theologica in interpretatione S. L. diximus, tempus eſt ut pergamus, & paucis monſtremus, quæ ratio ſit ſimplicitatis obſervandæ circa interpretationem *prophetiarum* & *typorum*. De Simplicitate in prophetiis explicandis agitur.

Principio quidem manifeſtum eſt, de prophetiis rite interpretandis eam potiſſimum ob cauſam ſollicitos eſſe debere interpretes, ut oſtendant, ea quæ de Meſſia in *Novo Teſtamento* narrantur, conſentanea iis eſſe, quæ Prophetæ dudum de Eo in Veteri Teſtamento præ-

prænuntiaverant. Hoc enim ni esset, auctoritate Christi & Apostolorum inniti non possemus, ad probandum contra Judæos, Jesum Nazarenum esse verum Messiam. Eum igitur in finem veritas primo & divina origo N. Testamenti est demonstranda, id est, res facti est probanda; probandum nimirum, vere gesta fuisse miracula Christi; ea non causis naturalibus tribui posse, sed Deum solum eorum auctorem esse; hoc demum facto, tuto progredi potest interpres ad collationem doctrinæ Jesu Christi, miraculorum ab eo præstitorum, mortis, resurrectionis & ascensionis in cœlum, eaque cum clarissimis oraculis V. Testamenti conferre, atque ostendere, hæc in Jesu Nazareno vere impleta esse. Dico autem cum *clarissimis*, quia non omnes citationes locorum, quæ in N. Testamento occurrunt, diserte semper id probant.

Quam difficilis vero ille labor sit, norunt omnes, qui non solum doctissimos interpretes consultare solent, sed & libros data opera de hoc argumento scriptos cum cura expenderunt. Non sine magno labore scriptus est cl. *Surenhusii* liber de hoc argumento, sub titulo βίβλος καταλλαγῆς; at in eo argumentatur ut plurimum adversus Judæos κατ' ἄνθρωπον, formulis utens quas ipsimet admittunt, S. Litteras interpretaturi: quod quidem Judæorum respectu non exiguam vim habet, sed omnibus veri amantibus promiscue non satisfacit. Certe ad Deistas de religionis christianæ veritate persuadendos minus apta esset hæc methodus. *Junii*, *Drusii*, aliorumque recentiorum scriptorum inprimis methodi citationes locorum V. T. cum N. conferendi, mea opinione præstant; quanquam sæpius ad ita dictas *accommodationes ipsimet* confugiant. Inter alios hoc in argumento palmam aliis præripuisse videntur *Kidderus* & *Limborchius*: prior in *demonstratione*, *quod Jesus sit Messias*; alter in *amica collatione cum erudito Judæo*. Potest interim sine vaticiniorum ope, veritas religionis christianæ probari, cum ex testium, id est Evangelistarum & Apostolorum, *qualitate* & *quantitate*, *miraculis* item, quæ a Christo & Apostolis gesta sunt. Specimen hujus demonstrationis dedit cl. *Clericus*, binis dissertationibus, libello de *causis incredulitatis* adjectis. Hoc ipso tamen non negatur, ex prophetiis V. Testamenti de Messia validissima posse desumi testimonia, ad probandum Jesum esse Messiam; cum enim Christus pariter & Apostoli ad oracula V. Testamenti provocent, gravissimos religionis chri-

christianæ articulos probaturi, causa non est, cur iis, tanquam solidis argumentis non utamur, adversus incredulos divinam originem religionis christianæ impugnantes, modo omnia illa antea allata sint, quæ ad fidem habendam religioni christianæ postulantur.

Secundo, observandum ante omnia, stylum propheticum multis *impropriis & hyperbolicis* scatere locutionibus, quod nullus interpretum S. Litterarum negare potest. Loca plurima interpretum adduci possunt, quæ collegit *Stakhouse* in sua Theologia. Verba cl. viri, quæ extant Tom. IV. Theologiæ *theoretico-practicæ*, ita sonant: *Toute personne, qui sera tant soit peu versée dans la lecture de l'Ecriture sainte, se sera d'abord apperçuë, que de tous les Livres sacrés il n'y en a point, qui abondent autant en expressions figurées, que les Ecrits des Prophêtes; les figures rendent naturellement le discours obscur, & difficile à entendre; on ne sauroit même en bien saisir le sens, si à quelque savoir on ne joint encore une grande application, & une attention soutenuë. Il s'y trouve tant de metaphores hardies & d'expressions hyperboliques, tant d'allegories & de paraboles, tant de vivacité, de feu, & d'élèvation, tant d'allusions à des lieux, à des faits, & à des coutûmes particulières, dont ces mêmes Livres ne nous donnent que de foibles indices, tant de changements de personnes, tant enfin de transitions si brusques & si imperceptibles, qu'il ne faut nullement être surpris, si les Interprêtes ont plus varié dans leurs opinions sur cette partie de l'Ecriture, que sur aucune autre. En effet, les figures y sont si communes, qu'en quelques endroits on ne sauroit s'attacher au sens litteral, sans s'éloigner visiblement de l'intention de l'Autheur, & que dans d'autres on ne sait lequel on doit preférer, du sens litteral, ou du sens figuré, surtout quand ils sont l'un & l'autre vrais, raisonnables & conformes aux principes de la saine Doctrine. Dans les similitudes, & dans les paraboles, chaque circonstance est quelquefois à tout prendre significative, & merite qu'on y fasse attention; quelquefois la plûpart de ces circonstances ne servent qu'à orner le discours, & on ne doit s'arrêter qu'au bout principal & à la substance. Mais il y a encore plus d'incertitude dans les transitions des Prophêtes. Quelquefois* (*vide* Esajæ VII. 10. 18.) *ils parlent d'évenemens prochains, quand tout à coup un mouvement du St. Esprit les élève vers d'autres, qui sont beaucoup plus nobles & plus éloignés: Ensuite, sans en avertir le Lecteur, ils reviennent sur leurs pas, & s'arrêtent à l'objet le plus proche &* le

le moins important, qui par quelque rapport, qu'il avoit avec le plus éloigné & le plus sublime, a été cause, qu'ils ont parlé de ce dernier. Quelque-fois ils parlent en leur propre nom: quelque-fois en celui de Dieu: & quelque-fois au nom de l'Eglise. S'ils font mention d'une personne, ils en parlent quelque-fois (*vide* Esaj. XLIII. 44. 49. Jerem. XXX. 9. Ezech. XXXIV. 23. 24. Hos. III. 5.) *sous le nom & le caractère d'un autre, qui a quelque ressemblance avec elle. Quelque-fois enfin des royaumes, des pays & des peuples entiers, désignent dans leurs Ecrits non seulement les lieux & les personnes, dont ils portent les noms, mais encore d'autres, qui dans la suite des temps leur ressembleront en quelque sorte, par rapport aux circonstances, & à la nature de leurs péchés.* Hisce in medium allatis cl. auctor ostendit causas, cur prophetiæ ipsæ de futuro Messia aliquando obscuriores esse videantur. Similia imo plura adfert de obscuritate Prophetarum reverendissimus *Chandlerus*, in defensione religionis christianæ, in introductione, qui tamen, ut & *Stakhousius*, in sequentibus solidis argumentis adversus Deistas nostri temporis probat, vaticinia Veteris Testamenti, cum testimoniis Christi & Apostolorum rite collata, sufficienter demonstrare Jesum Christum verum esse Messiam. Ita viri veritatis amantes & candidi agere solent: ab una enim parte non diffitentur dubia, quibus thema aliquod obseptum est; ab altera vero solidis argumentis ostendunt, his non obstantibus, satis præsidiorum adesse ad veritatem probandam & vindicandam. De hyperbolicis locutionibus, quæ Prophetarum scriptis passim insertæ sunt, vide etiam cl. *Deylingium*, Observat. S. parte tertia pag. 166. & rever. Episcopum Kidderum, in *demonstratione quod Jesus sit Messias*, lib. III. cap. IV. p. 804. versionis cl. *Rambachii*. *Vitringam in Typo doctrinæ propheticæ, part. III. cap. I.* Qua ratione vero hyperbolicæ illæ locutiones ad simplicem sensum sint reducendæ, servata semper Scriptoris sacri mente, difficilius est negotium, quam prima fronte existimatur. Quæ sua opinione in hoc negotio observanda sint, monuit cl. *le Cene*, *dans le projet d'une nouvelle version françoise de la Bible*, *cap. III.* Hæ locutiones sæpe efficiunt, ut dubitandum sit, quousque hæc vel illa verba phrasesque sint extendendæ, simul tamen obligati sumus nihil significationi a Deo intentæ detrahendi, nihilque addendi: hoc promiscua lectio Prophetarum quemlibet edocebit. Unde mirum mihi semper visum est, quod multi Theo-

logi,

logi, Apocalypſi Joannis lucem allaturi, varias voces phraſesque ex prophetiis petierint, cum tamen ſæpe illæ non magis claræ & determinatæ ſint, quam illæ, quæ in Joannis libro extant. Vide præfationem *Interpretum Berolinenſium* in Apocalypſin, *Hammondum*, alioſque. Magis incerta redditur interpretatio hæc & dubia, ſi obſcuriores loquendi rationes Prophetis uſurpatæ, adhibentur ad hypotheſes quaſdam Apocalypſeos, ejus filum, tempora & periodos determinanda, vel ea etiam uſurpanda ad errantes, v. gr. eccleſiæ romanæ Doctores perſtringendos. Ego quidem cum *illuſtri Tillotſonio* ſentio, & puto, ſi Pontifices romani non ſint Antichriſti, non ovum tamen ovo magis ſimile eſſe, quam ea quæ Paulus epiſtola II. ad Theſſalonicenſes de Antichriſto narrat. Ad me quod ſpectat, ex Apocalypſi adverſus eccleſiæ romanæ Doctores diſputare nollem. Qui dogmata religionis pontificiæ, cultumque quem ſequitur, & intolerabilem tyrannidem rite & ἐκτὸς παθῶν perpendit, veræque religionis accuratiorem notitiam habet, abhorrebit ab hac ſecta, etiamſi haud improbabiles ſint rationes, quibus Theologi probare volunt, præter alia etiam fata eccleſiæ romanæ in Apocalypſi delineari. Vide quæ ad epiſtolam II. ad Theſſal. commentati ſunt de hoc argumento cl. viri, *Turretinus* & *Michaëlis*. Sed hæc in tranſitu. (*)

(*) Nuper allud agens incidi in cl. BERNARDI Nouvelles de la République des Lettres, atque hic vidi ad annnum 1705. breve compendium exhiberi commentarii cl. VITRINGÆ in Apocalypſin. Placuit præfatio recenſioni libri præmiſſa, quæ ita ſonat: „ On peut dire, que le St. Eſprit en a uſé envers „ les hommes à peu près comme les Mathématiciens en uſent envers leurs „ diſciples Ils employent d'abord leur tems à remplir leur eſprit de con„ noiſſances utiles, qu'ils leur expliquent avec beaucoup de netteté & de „ préciſion. Ils finiſſent en leur donnant quelques problémes difficiles, „ mais moins utiles, qui ſervent à les exercer, & que ſouvent ils ont bien „ de la peine à reſoudre. Le St. Eſprit a de même inſtruit les hommes dans „ les S. Livres de toutes les vérités, qu'il leur eſt néceſſaire de ſavoir, „ pour les rendre parfaitement heureux, & il les leur a expliquées d'une „ maniere ſi claire, qu'il n'y a que ceux, qui veulent s'aveugler eux-mêmes, „ qui ne les y apercoivent pas. Après ces inſtructions ſalutaires il leur a „ donné l'Apocalypſe comme un problême difficile à reſoudre, afin d'exer„ cer leur foi & les reveiller en quelque ſorte par la difficulté de ces Myſté„ res prophétiques. Auſſi voyons nous, que depuis que ce livre a été „ écrit, il s'eſt preſque toujours trouvé des gens qui ont tâché à ſoudre

Tertio, quid hic ſimplicitas theologica requirat breviter dicendum. Nimirum ſæpiſſime prudenti ἐποχῆ opus eſt. Rigidiſſimi interpretes, id eſt tales, qui ubique ſeſe videre putant genuinum S. Litterarum ſenſum, ſuam tamen hinc inde fateri tenentur ignorantiam.

Quarto, circa oracula, quæ ſi omnem verborum amplitudinem urgere velis, nondum impleta videntur, nihil facile determinandum; aut ſi Scriptores N. T. certo quodam in caſu impleta dicunt, poſſumus & debemus in allatis acquieſcere, licet negari non poſſit, Deum aliis temporibus & locis ſimilia patrare poſſe. Exemplo eſſe poteſt prophetia *Joelis*, quam Petrus Act. cap. II. mirabili illi eventui, qui tempore Pentecoſtæ evenit, applicat: in qua explicatione Petri tuti ſubſiſtimus, licet ſimul non negemus, Deum ſingulari ratione in his vel illis oris plura & inſolita ad Evangelii propagationem præſtare poſſe. Hactenus tamen experientia conſtat, eos, qui ad Americæ, Africæ, Aſiæque populos mittuntur, linguarum dono non eſſe exornatos, vel ſi eas intelligant, prius improbo labore & ſtudio addiſcere debent, neque miraculis illuſtres ſunt; quæ enim a *Miſſionariis*, religioni romanæ addictis, narrantur portenta, pro meris figmentis, imo mendaciis habentur, quod facile patet, ſi circumſtantiæ horum miraculorum rite perpendantur: obſervandum tamen ſemper eſt, hyperbolicas locutiones omnes non ſemper urgeri poſſe. Vide *Clerici artem crit. de emphaſi vocum.*

Quinto, abſtinendum a temeraria obſcuriorum miraculorum V. Teſtamenti, ad hunc vel illum eventum recentioris ætatis, vel etiam futuri temporis determinandum, applicatione. Periculoſum enim valde

„ ce problême difficile. Y en a-t-il qui en ayent trouvé la ſolution? Cette „ queſtion eſt trop difficile pour moi. Peut-être que ce problême tient le „ même rang dans la Théologie, que la Quadrature du Cercle, ou la Duplication du Cube dans les Mathématiques. Ce que je puis aſſurer, & „ dont apparemment tout le monde conviendra, c'eſt que le nombre prodigieux de ſolutions différentes, qu'on a publiées juſques ici, fait aſſés „ voir, que le problême eſt difficile Tous les Commentateurs de l'Apocalypſe réuſſiſſent à merveilles à refuter les opinions les uns des autres. „ S'il y en avoit un, qui réuſſit auſſi bien à établir la ſienne, on auroit „ tout lieu d'être parfaitement ſatisfait de lui. „ Vid. cl. viros Turretinum & Michaelis in ſuis adnotationibus ad poſteriorem Pauli ad Theſſalonicenſes epiſtolam.

valde est, tam audacter de talibus, quæ evidenter probari non possunt, pronuntiare; religio enim ipsa empectarum cachinnis objicitur. Quid *P. Jurieu*, aliisque obtigerit notum est. Neque ulla necessitas urget, ut quæ caliginosa nocte premit Deus, nostris hariolationibus in apricum velimus protrahere. Sufficit, quod religio christiana sufficientibus sit argumentis suffulta, quodque videamus, non sine fructu Evangelium inter Ethnicos hinc inde propagari. Quod si vero quis putet, hic vel illic in oraculis Prophetarum latere eventum, nostris temporibus vel Majorum nostrorum ætati attemperandum, ille opinionem suam pro *conjectura* venditare debet, neque inique ferre, si alii aut vehementer de ea dubitent, aut prorsus huc non quadrare illa loca existiment.

Sexto. Ubi implementum sine verborum torsione in ipso V. Testamento reperitur, haud facile ad posterioris ævi tempora descendendum. Verum est *illustrem Grotium*, qui hunc canonem quam maxime observare voluit, aliquando lapsum esse; at propterea mitius fuisset tractandus a Theologis, quia optimus quisque & veri amantissimus interpres labi facile potest in hoc argumento. Certe canones infallibiles in hac materia dari non possunt, nisi accedat auctoritas divina Christi & Apostolorum, vel a Prophetis ipsis tam perspicuis caracteribus persona vel res, quæ demum in N. Testamento implementum suum habuit, sit designata, ut dubitationi ipsi nullus sit relictus locus. Hoc ubi non est, præstat ad ἐποχὴν confugere. Profecto eo majorem causam habere debuissent discipuli celeb. *Cocceji*, *Grotio* & illis, qui eandem calcant semitam, ignoscendi, quandoquidem multi ex ipsis tot frivolas interpretationes & applicationes propheticas in medium attulerunt, quæ non potuerunt non pias aures offendere, & acutioris ingenii hominibus ridendi suppeditare occasionem. *Iliacos intra muros peccatur & extra.*

Septimo: multum etiam in difficultatibus illis, quæ circa interpretationes propheticas occurrunt, emolliendis facit, si observemus, duplicem esse aliquando sensum oraculorum, unum *litteralem*, qui primus intenditur; alterum paulo *sublimiorem & mysticum.* Fuse hoc probarunt doctissimi interpretum: vide *Grotium* ad *Matth. c. II. Turretini opuscula*; præfat. *Vitringæ* ad Jesajam, & responsionem *Clerici* in *Biblioth. selecta.* Tomo XXVI. R. *Simon Lettres choisies Tom. III. Masson Histoire critique*; *Clarkium Tom. III.*

demonstrationis religionis christianæ, & innumeros alios. Fatendum tamen, nos per omnem vitam multorum oraculorum sensum, adhibita omni diligentia, cum ob verborum obscuritatem, tum ob rerum gestarum ignorantiam, frustra esse quæsituros, atque adeo prudentissime facturos, si non raro ad ἐποχὴν, tanquam ad sacram anchoram confugiamus. Quoniam vero, quorundam hominum sententia, multum roboris accedit argumentis quibusdam, si ostensum fuerit, plures eruditos eandem opinionem calculis suis comprobasse, horum desiderio satisfacturus virorum quorundam doctorum idem mecum sentientium suffragia in medium producam. Primus est Ch. Math. *Pfaffius*, Academiæ Tubingensis Cancellarius famigeratissimus. Hic in *Introd. in histor. Theolog. litterar.* pag. m. 94. *de studio Theologiæ propheticæ* agens, sequentem in modum pronunciat: *Ut dicamus quod res est, hæc Theologiæ pars nondum exculta satis est, nec ejusmodi formatum systema, quod soliditatis luce niteat, ubi impleta & implenda ex genuina in orbe & ecclesia gestarum dijudicatione rite distincta: ubi vaticinia V. & N. Testamenti in egregiam quandam harmoniam fusa, & præstantissimi canones dati fuerint, juxta quos in vaticiniorum explicatione & applicatione sit procedendum.* Cl. *Driessenius*, Theologus olim Gröninganus, qui præcipuam vitæ partem in studio propheticæ, typicæ, emblematicæ, & apocalypticæ Theologiæ excolendo transegit, in libello adversus cl. *Wetstenium* & *Venema* pag. 187. ita de hoc argumento loquitur: „ Illud quidem teneo, „ veram clavim verbum propheticum exponendi, quod ad Christum „ veramque ejus ecclesiam, omni tempore fuisse, esse, & futuram in „ vera ecclesia: Loquitur id Dei promissio & promissioni respondens „ eventus. Sunt tamen bene multa, quæ ad verum & integrum verbi prophetici systema conficiendum, & sic distincte cognoscendas „ vias Dei, quatenus prædictæ sunt in mundo & ecclesia, ad veram „ cognitionis clavim hactenus desiderantur. Nihil hic affirmo fidentius, postquam jam multos per annos animum versavi per verbum „ propheticum omne, & scriptis commentariis illustravi. Uti, quod „ ad Christum, veramque ecclesiam in verbo prophetico inveniendam, ex divina promissione, a vero non abierunt interpretes in „ ecclesia orthodoxa, ita in reliquo prophetico systemate toto concinnando a veteris ecclesiæ hypothesibus, & sic a vera clave prophetica, si quid video, abeunt „ Vir reverendus J. F. *Burgius*, in

in præfatione ad cl. *Kalinski* vaticinia in P. *Nahum* & *Chabakuk*, in caufas inquirens, cur pauci ex Germanis *Collini* Angli, vaticiniorum propheticorum valorem impugnantis, audaciæ obviam iverint, fequentia in medium producit: „ Aliquas hujus rei caufas aperire non „ nimis eft difficile. Longe majore apparatu hanc ratiociniorum cau„ fam indigere, fi recte & feliciter agi debeat, quam quidem miracu„ lorum vindicias, aliasve caufas contra Antifcripturarios a viris doctis „ egregie peroratas, facile perfpicit unufquisque. Perreptanda quafi funt „ eam provinciam fufcepturo hinc inde diffecta atque obfcura antiquæ „ hiftoriæ rudera, ficco admodum, nec multum animos alliciente „ labore. Gentium dudum exftinctarum nomina, origines, fines, „ confuetudines, moresque; hæc omnia, inquam, ad quæ relatæ „ nonnunquam Prophetarum dictiones, quamdiu ifta ignorantur, „ mera nobis funt ænigmata, ex tenuibus quandoque veterum fcrip„ torum indiciis non tam detegenda funt, quam divinanda. Diffen„ fiones mutuæ Hiftoricorum, etiam paucorum, qui circa remotiora „ fecula adhuc fuperfunt, & quoad maximam partem mutili ad nos „ pervenerunt, inter fe funt vel conciliandæ vel penfitandæ. Tædia „ difquifitionum chronologicarum inextricabilibus fæpe nodis labo„ rantium, lectorique adhuc magis ob rei ficcitatem invifarum, quam „ auctori onerofarum, funt devoranda. Denique obfcuritas, divi„ no quidem ac fapientiffimo confilio, quod præter alios veteres Joh. „ Chryfoftomus integro fermone, de Prophetarum obfcuritate, e„ gregie expofuit, recentiusque viri docti (in margine provocat ad celeb. Angli Roberti *Jenkins* librum, cujus titulus: *Reafonableß and certainty of chriftian Religion*, *Vol. II. cap. VII.*) „ adhuc accu„ ratius differuerunt; ipfi Prophetarum ftylo plane domeftica & pro„ pria, magno quandoque labore adhibito vix quidquam proficienti„ bus, eft fuperanda, & fi ita dicere fas eft, penetranda. Hæc om„ nia quotus quifque eft, qui non fugiat parum jucunditatis haben„ tia? Quotusquifque eruditorum, quibus alioqui nec ingenii faga„ citas nec eruditionis profunditas ad nonnihil præclari præftandum „ deeffet, vel apparatu illo voluminoforum, ex parte etiam rarorum „ & pretioforum operum, quæ heic funt evolvenda, eft inftructus, „ vel fi eo maxime non deftituatur, otio ad has difquifitiones neceffa„ rio gaudet? Quorum alterutro carentes, non mirum eft, fi a tam „ vafto pelago vel pertentando potius fibi abftinendum effe ducant,

„ quam

„ quam ut in eo vires non suffecturas periclitari audeant. Accedunt „ nempe tot naufragia, si ita loqui fas est, a viris alioqui præstantibus & doctis tamen in expositione vaticiniorum Scripturæ, vel jam „ impletorum vel adhuc complementum suum exspectantium persæpe facta. *Et paucis interjectis.* In multis locis propheticis, etiam „ illa, quæ aliquo modo perspicere nobis videmur, tamen similia sunt „ imagini anamorphoticæ (si hoc exemplo uti permissum est) in speculo non satis expolito ac hinc inde rubiginoso repræsentatæ, quod „ quum plura puncta ad perfectionem ejus figuræ necessaria debito „ modo non colligat, obscuram vel etiam dubiam nobis reddit imaginem, multo evidentiore luce corruscaturam, si hæc puncta omnia „ in speculo rectius sese habente concurrerent ad eandem rite exhibendam. „ Vir *doctissimus* & *clarissimus G. Albrecht* supra laudatus, „ in differt. IV. de laudabili in studio exegetico ἰποχῃ pag. 16. & seq. „ ita de hoc argumento loquitur: „ In vaticiniis & oraculis haud „ pauciora esse, quæ nescimus, diffitebitur nemo, qui veritati litare „ volet ingenue. Non dicam rationem, qua Spiritus Dei olim mentibus Prophetarum illapsus eas agitaverit, atque facultate futura „ prædicendi instruxerit, hodie docte a nobis ignorari, qui nec ordinariam Spiritus S. in mentibus nostris operantis gratiam comprehendere valemus. Non minus nobis obscura sunt Prophetarum „ oracula, quæ jam Origenes ὁμολογυμενως αινιγματων πεπληρωμενα „ καὶ λογων τοις πολλοις ασαφων, confessis esse referta ænigmatibus & „ sermonibus non cuivis perspicuis conquestus est. Quin illi ipsi, „ qui incredibili studio per plures annos Vatum sacrorum oraculis „ extricandis operam dederunt, pleraque densis tenebris obsepta esse „ fatentur. Unum appello exegetam illustrem, ven. J. Langium. „ Is quamquam clave sua, quam ubique jactat, apocalyptica, quævis fere Prophetarum oracula, cunctis interpretibus occlusa & abdita, sese reserare posse confidit; subinde tamen ignorantiam fatetur, nec clavem suam omnibus oraculis reserandis aptari posse „ queritur. Et quem pudeat hic fateri nescire, quod nesciat, cum „ ipsi nonnunquam Prophetæ, ut Daniel, Zacharias, Joannes, se „ eorum, quæ ipsis sunt exhibita, significationem non intelligere „ fateantur? „ Agmen testium claudat *eruditissimus Smith*, Theologus Cantabrigiensis. Hic in differtat. de *Prophetia* & *Prophetis*, cap. XIII. ita mentem suam de hoc argumento aperit, dicens: „ Ut

„ omnia

„ omnia prophetica ſcripta recte intelligamus, obſervandum eſt, in-
„ eſſe interdum iis quamdam ἐναντιοφάνειαν, ſi ex regulis logicis ea ex-
„ pendamus, ac proinde nos non debere in propheticis viſis conſtan-
„ tem quemdam ac methodicum rerum contextum, quo inter ſe co-
„ hæreant, quærere. Propheticus Spiritus ſeſe non ſubjicit regulis
„ artis, neque συστηματικῶς, ut ſic loquar, ſua connectit, apte ſin-
„ gula membra inter ſe componens, ac veluti methodi nervis & com-
„ miſſuris omnia vinciens. Hæc omnia humanum & artificioſum
„ inventum potius arguunt, quam adflatum ullum, quem ſequitur
„ raptus mentis, quo durante abruptæ quædam revelationes edun-
„ tur, quæ oſtendunt adflatum revera fuiſſe Prophetam. Non eſt
„ ergo cur quæramus methodicam connexionem rerum in Lege aut
„ aliis propheticis ſcriptis, cum ſæpe ſoleant πέρας ἀρχῇ συνάπτειν,
„ conjungere finem initio, nulla habita ratione temporis. Neſcit
„ tarda molimina Spiritus Sancti gratia: vere etiam de dono Pro-
„ phetiæ dici poſſit. Non invenimus adcuratas tranſitiones, nec
„ ſæpe ullam connexionem temporis inter res memoratas. Res di-
„ verſiſſimæ naturæ, & quæ vaſtis temporum intervallis a ſe invicem
„ diſtabant, in uno eodemque viſo ſunt litteris mandatæ; ut ſæpius
„ obſervatum Hieronymo, qui propterea in hæc verba erupit: non
„ curæ fuit Spiritui prophetali hiſtoriæ ordinem ſequi. Quam
„ in rem obſervat Danielis XI. 2. cum fuerint tredecim Reges inter
„ Cyrum & Alexandrum, Prophetam loqui tantum de quatuor,
„ omiſſis reliquis; quaſi reliqui novem nullam hujus intervalli par-
„ tem impleviſſent. Similia obſervat ad Jerem. XX. 1. ut & ali-
„ bi, ac inductiones, mutationesque tacitas perſonarum (in hanc
„ enim ſcenam propheticam ſubito prodeunt, ex eaque progre-
„ diuntur perſonæ, modo quodam qui non facile animadverti queat)
„ & tranſitiones a ſermone unius ad alterius ſermonem ſine admonitio-
„ ne. Spiritus propheticus, licet ſine ſtrepitu & tumultu in ſuis
„ motibus, attamen celer eſt, tenditque a centro ad circumferentiam
„ & rapide movet, quamvis leniter. „ Hactenus doctus ille vir.

VIII.

Poſtquam pro inſtituti noſtri ratione de obſervanda ſimplicitate in interpretandis prophetiis ſatis diximus; monſtrandum paucis, quid *Expenditur quid*

Simplicitas theologica requirat in explicandis typis.

quid in *Typis* etiam hoc in argumento obſervandum eſſe putemus. Superiore ſeculo & initio labentis in Belgio viri haud indocti omnes ingenii nervos intendebant, ut novos typos non ſolum excogitarent, ſed & frequentiſſime tales auditoribus in concionibus ſacris propinarent. Cum vero plures, quibus hoc inſtitutum vehementer placuit, imaginationis æſtum duntaxat ſequerentur, & cerebri commenta pro *apoſtolicis & propheticis* venditarent interpretationibus, factum tandem eſt, ut non ſolum nullus ex hac typomania emergeret uſus, ſed & ipſa ſanctiſſima religio profanorum exponeretur inſultibus. Hinc viri eruditione & pietate eminentes merito de hoc morbo late graſſante conquesti ſunt, & publicis ſcriptis medicinam illi adferre ſunt conati; ita quidem ut hodienum pauci ſint inter doctiores Theologos, qui tempus in hoc ſupervacuo labore conſumere velint. Et profecto quiſque ſerio cum ad præſentem eccleſiarum ſtatum, tum ad plebis ingenium attendit, probe perſpiciet, non opus eſſe, ut doctrina de typis coram eruditis & plebe publice urgeatur, nedum ut novi typi nullis ſubnixi fundamentis excogitentur. Iis vivimus temporibus, quibus incredulitas paſſim vehementer graſſatur; atque adeo neceſſe eſt, ut miſſis non profuturis conjecturis, & ingenii commentis, religionis chriſtianæ capita fundamentalia, ſive illa theoretica ſint ſive practica, altiſſime animis infigantur, & contra impietatem muniantur. Hoc etiam profecto per novorum typorum repræſentationem fieri non ſolet. Eruditi auditores hæc nauſeare ſolent; plebs vero aut plane hæc non intelligit, aut ſi intelligit, nullum inde uſum habere ſolet. Fac triginta & plures comparationes inter hunc vel illum Typum & inter Antitypum; hæ profecto in hominum animos parum valebunt. Ubi inſuper typus nullis certis fundamentis eſt ſuperſtructus, non poteſt non religio in contemtum adduci. Recte vir quidam doctus, de hoc argumento agens, ita judicavit; „ Illos, qui in „ cathedra eccleſiaſtica conſtituti, populum erudituri, nihil fere niſi „ periodos, emblemata, figuras, vaſa tabernaculi, allegorias, Sanhe- „ drin, appropriationem typicam, aliaque hujus furfuris crepent, „ eaque non ita evidentia, non ita ad populi ædificationem compara- „ ta, non ita certa, quam quidem alia, iis patribus ſimiles eſſe, qui „ liberis ſuis famelicis panem petentibus, loco alimenti hujus neceſſa- „ rii, chartam geographicam propinent, quo animum oblectari „ poſſint. „

Vi-

IX.

Videndum ergo ante omnia, quid etiam hac in parte præstandum sit, si *nobilem illam theologicam simplicitatem* sequi velimus. Hæc breviter absolvi possunt. *Primo* notandum, nihil pro typo haberi posse, quod non a Deo ipso, vel ipsis Apostolis pro tali declaretur. Cum enim neque a voluntate hominis, neque a natura rerum dependeat, ut res aliqua vel persona depingat alteram, necessario, ubi de divinis rebus agitur, ad voluntatem divinam est progrediendum. Cui v. gr. in mentem venire potuisset, ea, quæ Paulus ad Galatas IV. pro typo nobis declaravit, talia esse ex intentione Numinis. Ex quo *secundo* loco patet, quam vana sit excusatio eorum, qui dicunt licitum esse novos excogitare typos, quia Apostoli suo exemplo ostenderint, quomodo illi sint inveniendi; ubi enim nullum certum indicium est, rem aliquam tanquam imaginem alterius rei positam esse; id vel a Deo ipso, vel ab interprete quodam infallibili, cujus de divina missione certis argumentis possumus esse persuasi, nobis est insinuandum; atqui nullus hodie homo, quocunque ingenio præditus, hanc facultatem sibi arrogare potest; ergo frustra ad exempla Apostolorum provocatur, quia sine dubio, divina quadam adjuti explanatione, scire potuerunt, hoc vel illud ex intentione Dei ad aliquid repræsentandum institutum esse. Eadem est ratio Sacramentorum, quæ Typorum: utrobique requiritur plana & diserta institutio a Deo vel Christo facta. Quod si sufficeret quædam inter rem & ejus significationem comparatio, mille Sacramenta & Typi institui possent. Omnis vis argumenti horum virorum huc redit; res hæc vel illa, vel persona hæc vel illa, potest forte esse typus alicujus rei, propter convenientiam quandam attributorum vel qualitatum; ergo Deus tales typos esse voluit. Quis non imbecillitatem hujus argumentationis sentit? In eandem mecum sententiam concedunt viri doctissimi. Unius vel alterius tantum adducam verba. Cl. *Wollius*, vir doctissimus, de typis humana industria repertis passim agit, in sua introductione in *Hermeneuticam N. T.* vide eum p. 118 - 120. p. 128. ubi ita cordate mentem suam aperit dicens: *Rebus omnibus diligenter expensis & circumspectis, Val. Velthemius, Theologus cœtus nostri celeb. nulla*, inquit, *interpretatio Scripturæ S. canonicæ pro sensu mystico venditari potest, nisi*

Quid simplicitas theologica deposcat in explicandis typis.

Spiritus S. hunc sensum mysticum esse a se intentum in Scripturis S. canonicis expresse revelaverit : In dissertatione *de Scripturæ sensu litterali & mystico : Non ignoro*, inquit, *quæ viri quidam eruditi contra hanc sententiam disputarunt, sed debitam, quæ in eruditum cadit interpretem, ratiocinandi accurationem in iis desidero. Fictiones hæ sunt tenues, quas ipsi in sumtionum numero ducunt : auctoritas omnis expers erroris ad expositionem typorum haud opus est : Non omnes typi in N. T. explicati sunt : Doctores N. T. divinitus acti viam nobis monstrarunt, novos adhuc complicatos evolvendi typos, & clavem nobis tradiderunt ad illa abdita reseranda. Ita H. Witsius Oecon. Fœd. Lib. IV. cap. VI. rationes subduxit. Sed typi sunt imagines rerum futurarum a solo Dei arbitrio pendentes; ergo cum sana sibique relicta ratione nullum habent nexum necessarium. Ergo nullæ ex hoc regulæ patent ad quarum normam illi dilucidandi sint. Ergo Deus unus earum ut auctor ita & declarator esse potest Homines, si suo ingenio hic obsequerentur, non possunt aliter quam hoc modo ratiocinari : inter hanc rem, actionem vel personam, & inter Christum aliqua vel magna datur consensio ; Ergo potest fieri, ut illa Christum repræsentaverit. Sed mera possibilitas, ut Philosophorum utar voce, non est veritas : Ergo typi humani, quum tantum possibiles sint, non sunt veri : Ergo ad scopum eruditionis theologicæ inepti, nec ullo modo accommodati : Ergo Deus ad verorum expositionem typorum requiritur : Ergo is, qui est erroris expers. Sed placuit illi per viros a se inflatos nobiscum loqui : Ergo hos typorum a se intentorum interpretes esse jussit. Robora, si vales, hanc præsidiis enuntiationem : non omnes typi in novo Fœdere sunt enodati. Viri divini aut non potuerunt, aut noluerunt enodare omnes. Prius mecum haud admittes ; ac si noluerunt, in dubio nos relinquere ipsis placuit, quippe quos exploratum est scivisse, certam typorum explanationem, ex legibus interpretandi, quas una cultior dictat ratio, nobis haud quaquam patere. - - - Finge tamen, (omnia enim, quæ potero, dabo) Deum aliquos a viris sanctis, per quos nobiscum locutus est, non enodasse typos : anne hinc sequitur, eos nobis ad dissolvendum relictos? Ego vero non perspicio consequutionis necessitatem. Eos nobis declaravit, qui causæ Christi juvandæ inserviunt, cæteros siluit, sine quibus eam salvam fore scivit. Circumscripsit ita nostrum finibus ingenium, & cavit ne speculationibus tribueremus nimium ; in iis nos voluit acquiescere typis, quos ipse nobis enodavit, & quibus carere haud commode posse perspectum*

ctum habuit. Illa exposuit vatum oracula, sine quorum enodatione officium Jesu Messianum, ejusdemque veritas haud patere poterat. Robustiora doctrinæ christianæ firmamenta communicavit nobiscum. Reliqua misit non sine sapientissimis causis. Eo certe consilio typos ipsum intactos reliquisse, quo picturis ingenium pasceremus sanctis, ab ejus sapientia puto abhorrere. Ex fine tota res est pensanda. Veteres typi & vaticinationes eo valent unice, ut Jesum verum Messiam esse demonstrent. Jam vero ea, quæ humanum evolvit ingenium ea carent virtute. Ergo fine cessante medium inane est, hoc est, evolutio imaginum humana. Inanem autem laborem interpretibus impergisse Deum, nemo nisi qui sapientia ipsum valere ignorat, unquam adseverabit. Quæ cum ita sint, non aperuerunt sancti Dei homines novam ingenio nostro typos enodandi viam, nec clavem ei dederunt alios excogitandi, verum omnes luxurianti ingenio, ne elabatur, præcluserunt rimas. Certus ego sum, si ingeniosissimi humanorum typorum æstimatores vim demonstrationis, arti ratiocinandi accommodatam, in tam nobili rectius pensassent argumento, eos aliter hic sensuros & authenticæ sacrorum N. T. Scriptorum, quos a se actos V. T. interpretes ipse Deus esse jussit, auctoritati, suo contra arbitrio ingenioque nihil omnino daturos fuisse. Hactenus cel. ille vir. Vide eundem p. 118. seq. de hoc argumento disserentem. Alterum (quid enim plura afferre juvat?) testimonium est *cel. Basileensium Theologi L. Frey, qui in diss. I. de officio Doctoris christiani* ita loquitur p. 49. *Liceat mihi, dum melius edoctus fuero, huic adhærere regulæ. Is demum locus præter simplicem sensum, typicum, allegoricumque habet, quem talem habere certis & indubiis rationibus ex Scripture ipsa demonstrari potest; nec ulterius ille sensus extendendus, quam quousque in Scriptura extenditur. Tunc vero certis & indubiis rationibus ille sensus typicus demonstratur, si ipsa Scriptura alicubi illum typum clare explicet, ut in epistola ad Hebræos plurimæ ceremoniæ Veteris Testamenti typice explicantur: tum etiamsi verba juxta ordinarium sensum longe plus significant, quam quod in re litteraliter significata reperitur. Posterius hoc innuit, latere sub verbis augustiorem aliquem sensum; quis autem ille sit non explicat: prius facit utrumque: unde multo major cautio in posteriori quam priori requiritur. Tunc autem ulterius extenditur typus, quam in Scriptura, si plures analogias similitudinesque effingimus, quam ex verbis Scripturæ, ubi typus explicatur, aut ex scopo loci necessario deduci possunt. Si qui forte sint, qui nimis angu-*

ſtam reſtrictamque hanc regulam conquerantur, ſciant illi, non ipſis ſed mihi hanc legem fixam eſſe, malleque me quaſdam typicarum explicationum ignorare (quæ quantumvis veræ, nunquam tamen novam veritatem alibi non traditam continent) quam nimium phantaſiæ indulgendo ex Scriptura S. naſum cereum facere.

Tertio: Cum rei alicujus vel perſonæ variæ ſint proprietates, perfectiones & qualitates, multaque ſint, quæ perperam ad antitypum referas, manifeſtum eſt, aliunde ſciri non poſſe, in quo comparationis rationes quærendæ ſint, & quouſque urgendæ omnes rerum & perſonarum relationes: neceſſe igitur eſt, ut a ſcriptore infallibili edoceamur, in quo *tertio* ſit ſubſiſtendum. Ita ſi ponamus *Joſephum*, vel *Simſonem*, typos eſſe Chriſti, quod in exercitationibus S. voluit *Vitringa* probare, non ſolum id ipſum diſerte a Scriptore aliquo ſacro eſt affirmandum; ſed ſciendum utrum omnia horum hominum dicta, factaque ſint typica, vel quænam potiſſimum ex illis: neque hic iterum quilibet interpres excogitare poteſt relationes aliquas pro lubitu; dicenda enim ratio, cur probet ex intentione divina, unum aliquod factum typicum eſſe, alterum non item. Videtur ipſemet celeb. *Coccejus* regulæ noſtræ æquitatem confiteri. In *Commentario* enim ad *Jeremiæ XXII. v. 8.* ita loquitur: *Si Scriptura non indicet graviſſime, debere nos in re una cernere imaginem alterius, etſi res diverſæ a Scriptura explicatæ ſimilitudinem & conformitatem aliquam habeant, non poſſumus tamen aſſerere, hoc illius typum & figuram eſſe, niſi quatenus illa conformitas ex Scripturarum comparatione demonſtratur. Qua quidem demonſtrata pateſcit Dei ſapientia, ſed abſque ea demonſtratione temerarium eſt, a rei præcedentis, tanquam typi forma, ad rei ſequentis formam argumentari.*

X.

Diſquiritur de methodo analytica S. Scripturam interpretandi.

Reſtat tandem, ut noſtram ſententiam dicamus, ſalvo aliorum judicio, *de methodo analytica S. Litteras interpretandi.* Notum eſt, quoſdam viros doctos in Belgio, inter quos eminuit cl. *Van Alphen*, Theologus Ultrajectinus, jam quidem ἐν ἁγίοις, & plures poſt eum, novam S. Litteras interpretandi ingreſſos eſſe viam, atque ſupra modum tanquam novum & pretioſum valde εὕρημα hanc methodum laudaſſe. Ut autem rite de methodo hac nova uti videtur

tur judicemus, de methodo *analytica* proprie ſic dicta agendum eſt, & definiundum quid eruditi per eam intelligant. Solent Philoſophi, inprimis autem Mathematici, duplici methodo in demonſtrandis ſuis veritatibus uti, nimirum *analytica* & *ſynthetica*. *Analytica* in eo conſiſtit, ut theſis aliqua probetur, facto initio a ſimpliciſſima propoſitione aut *axiomate*, eaque deinde per neceſſarium & concatenatum nexum aliarum propoſitionum æque evidentium ita continuetur, ut veritas probanda clariſſime innoteſcat. Pluribus hanc methodum explicant artis cogitandi auctores. Ita a veritate exiſtentiæ hominis, vel contingentia Univerſi probari ſolet exiſtentia Dei. De methodo ſynthetica hic dicendi locus non eſt. Altera methodus eſt *arbitraria* & *naturalis*, per quam univerſa oratio in certa capita majora & minora, prouti id rerum & argumenti ratio poſtulat, dividitur; & hæc utplurimum locum habet in pleriſque, qui ſummam totius argumenti vel etiam libri biblici repræſentare ſolent. Non eſt cur hos reprehendamus, quandoquidem nulla aptior methodus datur ea, quæ in S. Litteris (ut de his ſolis jam agam) continentur explicandi. Noſtri autem *analytici*, de quibus agimus, non contenti ſunt diſtinctionibus majoribus & minoribus, ſed etiam minores eo uſque extendunt, ut tandem deveniant ad ſimplices propoſitiones, & ad ipſum ſubjectum & prædicatum; eamque methodum intendiſſe ipſos Scriptores ſacros v. gr. Paulum, in ſuis epiſtolis afferunt, atque ita ſeſe proxime accedere putant ad Philoſophis & Mathematicis uſurpatam methodum. *

De

(*) De methodo illa analytica S. Litteras interpretandi ſic judicavit exquiſitæ eruditionis vir cl. MOSHEMIUS ὁ νυν εν Ἁγιοις, in Comment. ad utramque epiſtolam ad Timotheum pag. 427. verba ita ſonant: „ Es giebt Ausleger, denen man es nicht ausreden kann, daſs die Gedanken der Propheten und „ Apoſtel ſtets ſo aufeinander folgen, wie es die Regeln der Kunſt oder der „ Vernunftlehre vorſchreiben. Man zeiget ihnen eine Menge von Exempeln aus allen Büchern der Schrift, worinn die ſtrenge Ordnung nicht iſt „ beobachtet worden, worinn, zum Exempel, die Urſachen eines Satzes „ voran ſtehen, und der Satz auf die Urſachen folget, worinn die Bewegungsgründe zum Theile vor der Ermahnung hergehen, worinn die Folgen eines Satzes vorgetragen werden, ehe der Satz iſt bewieſen worden: Man erinnert ſie, daſs die Knechte des Herrn nach den Regeln der „ Kunſt nicht geſchrieben haben: Man führet ihnen zu Gemüthe, daſs in „ einer lebhaften Rede, dergleichen die Reden der Propheten ſind, in „ einem Gedichte, dergleichen die Pſalmen Davids ſind, in einem freund-

De hac ergo non vulgari & trita methodo aliquid dicendum est, quoniam tanquam *novam* & *accuratissimam* eam venditant quidam Theologi. *Primo* igitur dico, methodum hanc qualicunque specie sese commendantem vanam esse, nec quicquam continere, quod majorem lucem explicationi S. Litterarum adferre possit, quam trita & pervulgata interpretandi ratio. Non est illa philosophica methodus, quam Mathematici usurpant; quæ nullibi locum habere potest, quam in iis argumentis, quæ per concatenatam certarum propositionum seriem, sine ullo intercedente saltu, quæstionis veritatem probare possunt. Quæstionis status debet esse cognitus, & nonnisi de rebus agere, quarum perfectam habemus cognitionem, ut in numeris & figuris, aut axiomatibus indubitatæ veritatis. At ubi hæc ad Scripturæ explicationem trahuntur, quam parum hæc methodus apta sit, quilibet, qui methodi philosophicæ naturam perspectam habet, videt. Sumamus unam vel alteram Apostoli Pauli epistolam, quoniam non dubitant hi homines artificiosam illam methodum Apostolis tribuere, & asserere, ab ***Alphenio*** & sequacibus feliciter illam inventam, & in apricum productam esse. Nemo non, qui Apostolorum scripta ἄνευ πάθων legit, videbit, eos, uti decebat, eorum cœtuum rationem habuisse, ad quos scribebant. Hinc hæc vel illa dogmata commendabant; ad constantiam in fide pios adhortabantur; abusus in vita taxabant; quæ huic vel illi cœtui cognitu & factu essent necessaria insinuabant; Pseudapostolorum doctrinam & mores increpabant; erroribus & vitiis in his vel illis cœtibus grassantibus salutaria opponebant media; statum suum sive

„ schaftlichen Unterrichte, dergleichen die Briefe der Apostel sind, auch
„ unter den Gelehrten nicht einmal die Gesetze der vernunftmäsigen Be-
„ redsamkeit beobachtet werden. Alles dieses überführet sie nicht; Sie
„ fahren immer fort, einen kunstmäsigen Zusammenhang in dem Vortra-
„ ge der Propheten und Apostel zu suchen, und wollen lieber unnatürlich
„ und gezwungen erklären, als glauben, dass Paulus, Petrus, Esajas die
„ Gesetze der philosophischen Schreibart nicht erfüllet haben. Dieser irri-
„ gen Meinung ist die Einbildung derjenigen verwandt, die es als gewiss
„ annehmen, dass die Verfasser der Offenbahrung ihre Lehren und Er-
„ mahnungen nie unterbrochen, nie etwas in dieselbe hineingeschoben,
„ vielmehr alles, was zu einer Lehre und Ermahnung gehöret, nach ein-
„ ander und in einer Ordnung vorgetragen haben. Man bestreitet diese
„ Meinung durch hundert Exempel: Allein, hundert Exempel sind nicht
„ mächtig genug eine fest gewurzelte Meinung auszurotten. „

five triftem five lætum repræfentabant; & quæ alia funt ejufdem generis, pro temporum, circumftantiarum, perfonarumque ratione inculcabant: at quis hic, oui nota eft methodus philofophica, vel veftigium demonftrationis, ad analyticæ regulas exactæ, in his epiftolis reperiet? Diverfiffimæ illæ res non poffunt ex uno fimplici principio peti, nedum per certam & evidentem propofitionum feriem ad unam veritatem probandam adhiberi. Sed objiciunt Apoftolos tamen ordine fcripfiffe; at quæritur quid fit ordine fcribere? Quivis, qui in epiftola ea ad amicos fcribit, quæ illorum fcire intereffe putat, omniumque eorum meminit, quæ ad eos certiores reddendos facere poffunt, five nova quædam afferat, five eos ad quædam præftanda hortetur, five afflictis folatium adferat, five denique rationem familiæ fuæ reddat, is ordine fcribit; poftulare, ut Apoftoli ad cœtus nuper plantatos fcribant methodo philofophica, ineptum plane eft & ridiculum. Quod fi negent ftudii hujus analytici amatores, fe analyticam fuam methodum pro *philofophica & mathematica* venditare, fatendum iis erit, fe *arbitraria* methodo cum vulgo interpretum uti, neque caufam habent, cur hanc tantopere tanquam *novam* deprædicent, & tanquam *rarum arcanum* fibi fervent. Eadem methodus eft, qua olim Scholaftici ufi funt, & quam ad Scripturæ S. elucidationem adhibitam docti quique naufearunt femper. Præterea habet hæc interpretandi ratio hoc incommodum, quod ubi ad fubjectum & prædicatum devenerunt tales interpretes, cogantur verba & res tritiffimas explicare, quod ridiculum aliquando effe nemo non fentit. Infolita enim illa methodus, quam fibi finxerunt, poftulat, ut v. gr. explicent, quid fit *ambulare*, *comedere*, quid *mons*, quid *vallis*, quid *caper* vel *fus* fit, quod non poteft non cum indignatione legi & audiri. Audivi homines prædicantes, fefe mathematice epiftolarum Paulinarum fenfus explicaturos. Quodfi boni viri hoc vellent, demonftrata veritate religionis chriftianæ, articulos præcipuos religionis non minus certo probari poffe, quam veritatem religionis in genere, non effet caufa cur maximopere repugnaremus. At cum volunt eadem methodo, qua incedunt Mathematici, quorum tamen demonftrandi rationem ut plurimum ignorant, veritates theologicas ab Apoftolis probatas fuiffe, ridiculi funt. Præterquam enim quod natura rerum, de quibus agitur, hoc minime patiatur, ex Chrifto & Apo-

ſtolis efficiunt Philoſophos in ſcholæ umbris educatos, ineptos ad ea præſtanda, quæ pro temporum ratione inculcanda & facienda erant. Intercedit autem hic ὁ μακαρίτης cel. *Lampius*, in *Proleg. ad comment. ſuum in Joannem* hæc ingeminans p. 277. ſeq. *Methodus qua in expoſitione textus uti conſtitui, eſt ANALYTICA. Sunt quoque, qui eam naſo adunco ſuſpendant. Illos ex eodem principio hoc ſtudium culpare ac deſpectui habere, ex quo diligentiam in efficaciſſimo Scripturæ ſenſu eruendo eos exagitare modo ſect. II. monebam, nullum mihi hæret dubium. Quid enim magis a ratione abludit, quam eorum conatus traducere, qui Spiritum S omnia quæ ſuis amanuenſibus inſpiravit, juſto ordine diſpoſuiſſe oſtendunt, eumque ordinem indagant & illuſtrant? quodſi improbationem meretur, tum alterutrum neceſſario verum erit, aut ordinem illum non poſſe, aut non debere a lectoribus obſervari. Si non poteſt, id inde erit, ſive quia Scriptores S. nullum ordinem tenuerunt, ſive quia illum ita occultarunt, ut in vanum ingenii nervi ad illum detegendum adhibeantur. Prius qui ſtatuit, maxime in ipſum S. Litterarum auctorem injurius eſt. Ille ne, qui in omnibus operibus ſuis, per ſummam, qua pollet, ſapientiam, eo ordine conſtanter procedit, ut præfixum ſemper habeat convenientem perfectionibus ſuis ſcopum, mediaque ita diſponat, ut ſecundum naturam illis inditam idonea ſint, ad ſcopum illum attingendum, unde licet a priori hic ordo in obſcuro ſit poſitus, a poſteriori tamen in eventu ipſo ab attendentibus agnoſci, atque ita propterea laus Deo referri poteſt; ille, inquam, ſui ipſius ita oblitus eſſet, quando ad homines loqui voluit, ut neque ſcopum in loquendo habuerit, neque talia protulerit, quæ illum feriebant? Ille ne, qui omnia ad gloriam ſuam & ſingillatim propter ſapientiam ſuam in eccleſia celebrari vult, illam in ſermonibus ſuis exerceri neglexiſſet? aut ſi forte organa, quibus uti voluit, ad doctrinam ſalutis manifeſtandam, per ſe plane ad præſtandam hanc neceſſariam in omni docente virtutem inepta; an non in ipſius Spiritus S. hos homines ignaros atque rudes dirigentis contumeliam id trahi potuiſſet, niſi hanc ineptitudinem ſua illuminatione correxiſſet, atque per ipſam hanc correctionem ſpecimen dediſſet, non illos eſſe, qui loquebantur, ſed Spiritum S. per eos loqui? Quare impium plane eſſet, eam perfectionem Scriptis divinitus inſpiratis denegare velle, quæ non facile ſcriptis humanis denegatur: quia hæc negatio ſemper ad dedecus ſcriptoris pertinet, vitiumque in eo ponit, quod ab omni culpa excuſari nequit.*

Qui-

Quicunque enim ad ſcribendum animum applicat, ille cenſendus eſt, ſi confuſe ſcribat, aut ex ingenii mediocritate non poſſe, aut ex attentionis & diligentiæ defectu, non velle bonum ordinem ſervare. Poſterius notam habet negligentiæ, quæ in eo major eſt, quo major eſt dignitas materiæ, quam tractat: Prius autem arrogantiæ, dum aliquid intendit agere, quod vires ejus ſuperat. Quemadmodum autem ex his indubitato ſequitur, verba Spiritus Sancti pro cœleſti ejus ſapientia ita prolata eſſe, ut certo ſcopo ſemper ſubordinata ſint, ita æque planum eſt, quod noluerit hunc ordinem ita occultare, ut a legentibus, adhibita etiam debita diligentia, nihilominus non poſſit detegi. Ad quid enim ſuam ſapientiam impendit, niſi ut illa agnoſceretur & celebraretur? Experientia quoque docet, illos qui otium ingeniique nervos intenderunt, ad ordinem ſingularium partium Scripturæ inveniendum, laborem ſuum non perdidiſſe, ſed actu ipſo deprehendiſſe, illa quæ primo intuitu temere diſpoſita eſſe videbantur, nexu ſuaviſſimo inter ſe cohærere, ſcopoque auctoris, ex circumſtantiis detecto, egregie omnia inſervire. Quod ſi ſtat, non inſuperabilem eſſe diligentiæ humanæ hanc arcem, ut ſtructuræ ſingulorum Scripturæ librorum juncturas detegat, tum inde facile deducetur, debitum & officium boni interpretis eſſe, ut illam partium connexionem tum inter ſe invicem, tum cum ſcopo tam ſpeciali quam generali monſtret, id quod analytica interpretandi methodus *intendit. Neque enim omnem Spiritus ſapientiam, quæ poterat detegi, detexiſſe, qui hoc negligit, cenſendus eſt. Neque de ſenſu Scripturæ recte percepto gloriari poteſt, qui ordinem hunc non obſervat. Singulæ enim voces phraſesque ſingularem a ſcopo dicentis emphaſin nanciſcuntur; ſi quæ illis ambiguitas adhæret, uti certe plurimis adhæret, quæ latiorem ſignificatum habet, illa tum demum erit ſublata, ſi demonſtratum erit, ſenſum, quem præferimus, ſcopo auctoris eſſe convenientiſſimum. Innumeri ſunt loci, quos hæreticorum vanitas & audacia in alienum ſenſum detorſit, ſed qui ab eorum ϛρεβλωσει feliciſſime ac faciliime vindicantur, ſi nexus tantum & ſcopus ſingulorum dictorum expendatur.* Hactenus celeb. *Lampius.*

Sed ipſe vir venerandus hac ſua oratione oſtendit, ſe hic non intelligere veram illam methodum analyticam, quam Philoſophi uſurpant, ſed eam duntaxat, quæ *arbitraria* eſt, quaque inprimis *Alphenius*, multique poſt eum uſi ſunt, nimirum Evangelium vel Epiſtolam in majores & minores partes ſecando, & minores iterum in minutiores partes redigendo: non quæritur utrum ſingulis phra-

ſibus & vocibus lux ſit accendenda, de quo nulla quæſtio eſt; ſed utrum methodo philoſophica uſi Scriptores ſacri, data opera more Mathematicorum ex una aliqua propoſitione ſimpliciſſima, per neceſſarias & evidentes conſecutionis leges, tandem theſin ſuam probarint. Hoc vero naturæ rei, de qua agunt Scriptores ſacri, conſentaneum non eſt. Pone omnes quatuor Evangeliſtas temporum ordinem exactiſſime ſecutos eſſe, & quid ſingulis diebus a nativitate Servatoris ad aſcenſionem ipſius geſtum fuerit fideliſſime expoſuiſſe; nihil tamen hoc faceret ad probandum, eos analytica methodo uſos fuiſſe. Nam exponunt nativitatem, vitam & fata Jeſu Chriſti, referunt varia ipſius dicta, & parabolas: Doctrinam ejus variis occaſionibus habitam & inculcatam repræſentant: Judaici populi, Pharisæorum inprimis & religionis Antiſtitum ignorantiam rerum divinarum: traditionum falſarum amorem: eorundem hypocriſin & deteſtandas, quibus ad eum neci tradendi uſi ſunt, artes: Pilati Præſidis Romanorum in Judæa in hoc negotio agendi rationem deſcribunt: narrant denique varii generis miracula, in his vel illis locis geſta, mortis tandem genus, ſepulturam, reſurrectionem, & aſcenſionem in cœlum exponunt. Hæc omnia diverſi generis res eſſe quis non videt? neque quæritur, an hæc omnia, quæ referunt, tendant ad ſapientiſſimum finem. Nemo hoc negat; at finis ille poteſt obtineri ſine uſu methodi analyticæ. Ita ſi quis vitam fataque viri alicujus eruditi, aut de Republica optime meriti deſcribere vellet, ſine dubio optimum intenderet finem; at qui ſcriberet hanc vitam methodo analytica Philoſophis uſurpata, omnium riſui ſeſe exponeret. At, inquit cl. vir, Evangeliſtas & Apoſtolos, inſpiratione divina ornatos, ſine dubio ſapientiſſimum in ſcribendo ordinem ſecutos eſſe. Sed an inde ſequitur; ergo illi in ſcribendo methodum adhibuerunt analyticam, id eſt mathematicam? Pone per momentum, viros illos ſanctos, ſine inſpiratione, vitam fataque Chriſti conſcribere potuiſſe; ſane aptior nulla methodus poterat eſſe ea, quæ ſecundum ordinem temporis res diverſiſſimas aut brevius aut prolixius exponit. Jam vero accedente inſpiratione divina modus narrationis & rerum geſtarum hiſtoria non mutatur, ſed certitudini duntaxat eorum, quæ narrantur, aliquod accedit præſidium. Viri docti ſibi fingunt aliquam methodum inſolitam plane, & tantum non divinam, quam optimam & præſtantiſſimam eſſe putant; tribuunt

tribuunt verbis ipsis nescio quam majestatem, ab ea, quæ singulis linguis inest, distinctam, cum tamen non major sanctitas insit vocibus hebræis & græcis quam gallicis & germanicis. Eam vero in eo consistere putant, quod ea posita omnia nexu quodam inseparabili inter se connexa & copulata sint. Hanc deinde methodum ad Scriptores sacros applicant, & ibi, quia ita volunt, eam reperiunt. At non cogitant, quemlibet Scriptorem, pro rerum de quibus tractat, ratione & natura scribere debere. Mathematica methodus, sive illa synthetica appelletur, sive analytica, est sine dubio accuratissima, quia agit de rebus quarum adæquatas habemus ideas, in qua, insolubili nexu, quemadmodum in Arithmetica, omnia necessario sunt copulata; at ubi de talibus rebus agunt scriptores, qualia sunt ea, quæ exponunt Evangelistæ & Apostoli, methodum talem adhibere non potuerunt, quemadmodum ipse cl. vir in ultima sectione hujus capitis fatetur. Accedit denique, quod, mea saltem opinione, per hanc methodum res potius obscuratur quam elucidatur. Ut nihil dicam de variis novis *signis* & *asteriscis*, quibus utuntur illi, qui hac methodo delectantur, lector multivariis illis distinctionibus & subdistinctionibus turbatur & fatigatur; certe lectores minus versati in S. Litteris non sine nausea tales commentarios legunt. Paraphrasis vero perspicua, cum adjecta explicatione difficiliorum locorum, magis omnis generis lectores adjuvabit, quam hæc ita dicta methodus analytica. Confer commentarium *Alphenii* in II. ad Corinthios cum commentario, quem in priorem ad Corinthios epistolam elaboravit cel. *Moshemius*, vel in minores Pauli epistolas cl. *Michaëlis*, & *Doddridge* paraphrasin in N. T. & ni fallor mox erit manifestum, quænam interpretandi ratio ad instruendum lectorem magis sit apta. Hæc vero non eo animo scripsi, ac si virorum illorum, qui methodo ita dicta analytica delectantur, eruditioni quicquam detractum velim, a quo longissime absum; sed ut ostendam, partim non iis argumentis esse superstructam eorum sententiam, ut ea necessario interpreti sit adhibenda: partim ut manifestum faciam, in quo etiam hac in parte interpretandi vera *simplicitas* consistat. Methodus illa analytica, quæ tanquam *novum phænomenon* repræsentatur & laudatur, Majoribus incognita fuit. Est fructus philosophiæ *Ramisticæ; Ramus* enim dialectologiam suam in omni studiorum genere applicandam esse voluit:

voluit: quibusdam illa, ut erant illa tempora, valde placuit; meliore vero philosophandi ratione reperta rursus cœpit negligi. Hinc & mature satis illa dialecticæ ad Scripturam S. applicatio displicuit doctissimis viris. Quoties in eam invectus est Magnus *Erasmus* in suis scriptis? *Stephanus Gaussenus*, Theologus acuti naris, & magna Scripturæ S. veneratione tactus, studiosis ad meliorem intelligentiam S. Litterarum perveniendi commendat lectionem commentatorum, sed qualium? audi (de studii theol. ratione p. 34. „ Cæterum cum commentatores dico, eos intelligo, qui Scripturam „ brevibus, & ad sensum litteralem accommodatis observationibus illustrarunt: non qui occasione Scripturæ scholias suas (quas „ vulgo locos communes vocant) in medium protrudunt; quibusque adeo libri sacri non tam sunt commentationum argumentum, „ quam præjudiciorum loci quidam atque indices: vel qui Scripturam S. per analyses, juxta Dialecticorum regulas, artificialiter „ resolvunt; nihil enim aliud sunt illæ analyses, (ὡς ἐπὶ τὸ πολλυ „ dico, nam & hic exceptio suum locum inveniat) quam ut Josephus Scaliger scite solitus erat dicere, portus ignorantiæ, inanis „ loquacitatis campus, & αὐθαδείας pabulum. Nam qui quemque „ vel clarissimum versum in prædicatum & subjectum & prædicati „ & subjecti adjuncta, tanquam in fila tenuissima diduxerunt, „ sibi aliquando belli homines videntur, cum sint saperdæ meri: „ quod enim tanto conatu, tanta circuitione verborum vix duodecim paginis concluserunt, id vir cordatus sæpe verbo expediat. „ Propheta evasisse videtur *Gaussenus*, si ad quorundam ætatis nostræ interpretum scribendi rationes attendas. Mirum insuper est, tot eruditos *Anglos*, *Gallos*, *Germanos*, omnibus præsidiis ad interpretationem S. Litterarum instructos, singulare illud mysterium analyticæ S. quod auro contra carum est quibusdam interpretibus, deprehendere non potuisse. Viget in *Anglia* non solum litterarum humaniorum, sed & orientalium linguarum studium; in deliciis illis est ars critica; omnes philosophiæ angulos perreptarunt; neque tamen arcanum illud (quamvis quid sit analysis in mathematicis cognitum perspectumque habeant) analyticæ sacræ detegere potuerunt. Imo sunt inter recentissimos eruditos, qui putant hoc studium analyticum, a quibusdam deamatum, tenebras potius, quam lucem interpretationi S. Litterarum offundere. Vide cel. viri Joh. A. *Ernesti*

neſti proluſionem: de vanitate philoſophantium, *in interpretatione librorum S.* *Cl. Wollius*, vir in arte interpretandi S. Litteras verſatiſſimus, in ſuis ad *Blackwalli Criticam* S. obſervationibus pag. 327. ita de hoc argumento loquitur: „ Sacri N. F. codices hiſtorias & epiſtolas, & unicum vatidicum continent ſcriptum. In hiſtoriis temporum habetur ratio. Epiſtolæ eum in modum ſunt interdum enarratæ, quem ſibi poſcunt epiſtolæ ad Familiares: neque enim elaborationis ſunt plenæ, ut ſunt de rebus eruditis ad doctos homines ſcriptæ. Quocirca longius a meta recte illas explanandi diſcedunt, qui logicam ubivis connexionem quærunt. Quid vero in epiſtolis, quas ad familiares ſcribimus, ſolemnius accidit, quam ut, nulli logicæ normæ nos alligantes, variis de rebus amicos reddamus certiores? Hoc animo qui ad ſacras epiſtolas accedent enodandas, eorum propoſitum in multis quidem locis ſucceſſu haud carebit. „ Dudum eſt, ex quo viri doctiſſimi veritatem religionis chriſtianæ demonſtraturi, ad Evangeliſtarum & Apoſtolorum ſacra tradendi methodum provocarunt atque oſtenderunt, eos rhetorum & ſophiſtarum diſſerendi methodo poſthabita, ſimpliciter doctrinam Jeſu Chriſti, ejuſque dicta & facta repræſentaſſe. Vide quid Paulus de ſemetipſo fateatur I. ad Corinth. cap. II. & ibi ad verſum quartum J. *Clerici* commentationem. (*) Quod ſi neſcio qua analytica methodo, paucis cognita, uſi ſunt, qua perſpecta demum primi chriſtianæ diſciplinæ ſectatores ratiocinationum nexum deprehendere poterant, non amplius ſunt ἰδιωται λογω, ſed Philoſophi: quod

ne

(*) Verba doctiſſimi Viri ita ſonant: „ Senſus ergo Pauli eſt, ſe non eloquentia & ratiocinationibus fretum, ut ſolebant Philoſophi, veniſſe, ſed inſtructum donis inuſitatis linguarum, ſimilibusque, & poteſtate curandorum ægrorum. Ne Corinthii ſibi crederent, quaſi Philoſopho probabilia adferenti, ſed ut Dei præconi, qui mandata ſe a Numine accepiſſe, ut diceret, quæ prædicabat, non ratiocinando ſe inveniſſe, oſtendebat miraculis, quibus rem extra dubium omne collocabat. At ſane ſi Paulus eloquentia ac eruditione, quales fuere in Platone aliiſque Philoſophis, inſtructus fuiſſet, ſuſpicati eſſent Græci, inventorem eum ejus doctrinæ fuiſſe. Hæc fuit ratio, cur Spiritus Dei ejuſmodi donis Apoſtolos non ornaverit. Non ſunt ergo hæc Pauli verba ita intelligenda, quaſi modeſte tantum eloquentiæ & eruditionis græcanicæ laudem declinaret, quamvis iis ornatum ſe eſſe probe ſciret; ut ſolent interdum facere vel maximi Oratores. Hæc ſunt intelligenda, prout jacent; mirumque eſt homines eruditos aliter potuiſſe ſentire, cum res ipſa contrarium doceat. „

ne ipsi viri docti, qui hac methodo delectantur, admittent. Si vero Evangelistæ & Apostoli non *arbitraria*, *naturali*, & rerum, quas narrabant, circumstantiis *accommodata* methodo usi sunt, neque methodum etiam analyticam Mathematicis & Philosophis usurpatam adhibere poterant, necesse est, illam methodum tantis laudibus elatam, nonnisi privilegio quodam plane inusitato, id est divino, comparari posse: Et videtur hoc ipsum statuisse *ὁ μακαρίτης celeb. Lampius.* Capite enim VII. sect. II. pag. m. 271. in causas inquirens, cur quidam interpretes hanc methodum aspernentur, inter alias & hanc ponit: „ Aut denique invidiæ æstro contra illos sunt „ perciti, a quibus se in studio doctrinæ & eruditionis post terga re„ lictos vident, unde cum eos assequi desperent, eos deridere, quam „ honeste æmulari, aut saltem majorem in Scripturis potentiam, a li„ berrimo suorum charismatum diribitore illis concessam, humiliter „ agnoscere satius ducunt. „ Multis in hæc verba commentari possem, si limites dissertationibus ejusmodi positos transilire vellem. Sed brevis ero. Durum mihi videtur iis interpretibus, quorum magnus est numerus, eruditionis & doctrinæ laudem eripere velle, propterea quod analyticam illam aspernentur methodum. Ego profecto cognovi homines, omnibus præsidiis, quæ genuino interpreti inesse debent, destitutos, qui valde tamen hanc methodum laudarunt eamque sectati sunt. Quod si notitia hujus methodi donum est extraordinarium, paucis interpretibus concessum, cur vituperantur alii, qui hoc privilegio destituti sunt? Et cur tandem non in medium proferunt regulas insolitæ & cæteris interpretibus ignotæ hactenus ἀναλύσεως, si ea tanti est momenti ad S. Litteras rite interpretandas? Quæ enim hactenus vidimus, aut precaria sunt, aut cum methodo, quam interpretes docti omnes sequuntur, conveniunt. Quinam vero illi hæretici sint, qui ope novæ illius methodi analyticæ conversi, vel solide refutati sint, fateor me ignorare. Hactenus ego pro mea simplicitate credidi, hæreticos, ad loca Scripturæ provocantes, omnium optime ope linguarum, grammaticæ, artis criticæ, solida religionis cognitione, scopique & nexus sermonis sacri attenta consideratione, refutari posse. Sed plura de hoc argumento addere nolo.

ME-

MEDITATIONIS
DE
PIA ET CIRCUMSPECTA
In tradendis ſanctioribus diſciplinis ſectanda
SIMPLICITATE
Pars Quinta.

Sect. I.

IN antecedente diſſertatione, thema, quod incepimus de *ſimplicitate theologica*, perſecuti ſumus, & de ſimplicitate *interpreti Sacrarum Litterarum* obſervanda egimus; ſequitur jam, ut de *Theologia thetica*, vel dogmatica agamus. In anteceſſum autem moneo, me de fatis Theologiæ dogmaticæ prolixe haud acturum eſſe, partim quod nimis prolixa futura eſſet oratio noſtra; partim quod viri docti data opera hiſtoriam illam & varia fata hujus diſciplinæ excuſſerint. Vide cl. virorum, *Buddei Iſagogen in univerſam Theologiam; Stollii hiſt. litt. Theologiæ;* Alphonſi *Turretini orationem de fatis diſciplinæ chriſtianæ, alioſque.* Hoc certum, neque Chriſtum, neque Apoſtolos, data opera aliquod ſyſtema Theologiæ adornaſſe, ſed cum viva voce, tum per epiſtolas, ea diſciplinæ chriſtianæ alumnis tradidiſſe, quæ ſcitu cognituque ad ſalutem erant neceſſaria. Sequentibus proxime ſeculis poſt exceſſum Apoſtolorum nulli erant inter Doctores chriſtianos, qui data opera ſyſtema theologicum conſcripſerint, quamvis ex monumentis primorum Doctorum facile pateat, eos præcipua fidei capita amplexos fuiſſe. Succeſſu demum temporum introducta philoſophia, partim platonica, partim ſcho-

Scopus Auctoris, & argumentum diſſertationis repræſentatur.

ſcholaſtica, de componendis ejuſmodi ſyſtematibus erant Doctores ſolliciti, quo cum ſucceſſu jam quidem non diſquiram. Poſt tempora Reformationis inter omnes fere ſectas, in quas Chriſtiani ſciſſi ſunt, extiterunt multi Doctores, qui ſcribendis ſyſtematibus animos adjecerunt, quorum numerum inire difficile eſſet.

II.

Laudabilis eſt & neceſſarius labor eorum, qui ſyſtemata adornarunt, quæ tamen ſua etiam habent commoda & incommoda.

Quin laudandi ſint illi, qui ſyſtemata theologica primi ſcripſerunt, dubium non eſt. Quæ neceſſitas eſt conſcribendorum catechiſmorum, quibus prima rudimenta articulorum religionis chriſtianæ traduntur, eadem fuit capita religionis difficiliora & majoris momenti proponendi & argumentis confirmandi. Cum Revelatio unicus ſit fons, ex quo veritates cœleſtes hauriuntur, neceſſe erat, ut viri ingenio præſtantes ſtudioſe inde eruerent ea, quæ ad cognitionem veritatis & ad officia pietatis delineanda & inculcanda facere poterant. Non cujuſvis autem eſſe, propoſitiones ejuſmodi hinc inde in S. Litteris latentes colligere, atque ordine perſpicuo inter ſe conjungere, nemo non videt. Vix fieri poſſet, ut ſimpliciores ex lectione S. Litterarum ſyſtema aliquod rite coagmentatum brevi temporis ſpatio conficere poſſent, quanquam ad ſummam rerum quod ſpectat, ex ſedula illarum lectione ea, quæ ad ſalutem cognitu eſſent neceſſaria, facile cognoſcere poſſent. Et cum omnium diſciplinarum Profeſſores ejuſmodi ſyſtemata confecerint, cauſam non video cur Sacrorum Miniſtri de ejuſmodi conſcribendis ſolliciti eſſe non debuiſſent. Interim diffitendum non eſt, habere hæc ſyſtemata, uti cum rebus humanis comparatum eſt, ſua commoda & incommoda. (*) Præcipuæ cauſæ hujus rei non adeo

(*) Faſſus hoc eſt (ut alios plures ſilentio tranſmittam) ὁ μακαρίτης cl. WEISMANNUS Inſtit. Th. dogmat. pag. 27. dicens: „ De methodo ſyſtematica „ & artificiali certum eſt, eam habere ſua commoda & incommoda. Commoda eſt docentibus & diſcentibus collectio veritatum ad certa capita & „ locos, & ipſius nexus veritatum inter ſe inſpectio. Incommoda vero & „ mala ſunt hujus methodi, cum nimis quæſita eſt & affectata; cum magnam „ farraginem curioſarum & inutilium quæſtionum admiſcet; cum terminis „ & phraſibus ſpinoſis ſimplicitatem & perſpicuitatem Theologiæ turbat; „ cum denique vel nullam vel non ſufficientem habet rationem diſcentium, „ gradatim ad veritates revelatas deducendorum, ac nimia ſua vaſtitate

adeo ſunt obſcuræ, ut vir rerum divinarum peritus eas cognoſcere non poſſit; repræſentabo hic paucis præcipua incommoda ſyſtematum theologicorum.

Primum eſt: poſtquam in ſectas itum eſt, quilibet hypotheſes, aut a Majoribus acceptas, aut a ſe inventas, tanquam ſalutaria religionis dogmata repræſentat & tuetur; qua re fit, ut non tam dogmatum in S. Litteris contentorum, quam vero ſuarum opinionum rationem habeat: lege omnium ſectarum ſyſtemata, & ubivis hunc ſcopum eorum præcipuum fuiſſe magis vel minus deprehendes.

II. Pro ingeniorum diverſitate, quæ talia ſyſtemata conficiunt, religionis chriſtianæ capita repræſentantur: multi, leve a momentoſo diſtinguere non valentes, nullum diſcrimen faciunt inter id quod fundamentale, grave & ponderoſum eſt, & inter opiniones minus momentoſas & leviores; hinc ſæpe quæ graviſſima ſunt, & ſine quibus religio chriſtiana ſtare non poteſt, breviter abſolvunt, opiniones vero exigui momenti prolixe ediſſerunt.

III. Cum ad ſyſtemata præcipuarum veritatum theologicarum requiratur cognitio accuratior textus originalis, ex quo ſolo robur ſolidum accedit veritati revelatæ, quidam vero in his parum ſint verſati, aut loca nihil probantia adferunt, aut ſequuntur rationes a Majoribus adductas, leviſſimas licet & ineptas, a quibus tamen recedere propter Ὀρθοδοξίας ſemel introductæ legem non licet.

IV. Admiſcentur religionis articulis leves controverſiæ inter eruditos agitatæ, quæ neque ad ſolidam eruditionis theologicæ peritiam, neque ad pietatis ſtudium quicquam faciunt. Sic quælibet ſecta non ſolum opiniones privas ſuæ ſententiæ, ſed & aliarum memorat.

V. Religio ſæpe ita repræſentatur, ac ſi cum virtutis ſtudio nullam haberet connexionem, & quiſque, quo magis eſſet opinionibus in ſyſtemate traditis addictus, eo eſſet magis religioſus, virtute relicta.

VI. Hypotheſes ſingulares cum articulis religionis copulantur, adeo quidem ſæpe, ut putes eas majoris eſſe momenti & magis æſtimandas, quam dogmata capitalia. Nota ſunt ſyſtemata Theologorum reformatorum, *carteſianas* & *coccejanas* hypotheſes in ſuis ſyſtematibus vehementer commendantium, earumque pretium quammaxime extollentium. Hodie idem agunt, qui ill. viri *Wolfii* Philoſo-

„ & amplitudine diſtrahit eorum animos, nondum ſæpe in minoribus fideles „ & exercitatos. „

losophiam sequuntur. Eadem semper sub diversis titulis luditur fabula. Christi & Apostolorum placita secundum Theologorum & Philosophorum nutum debent componi. Hæc avidis dentibus & ore arripiunt adolescentes nondum satis disciplinis exculti; in his omnis sapientiæ proram & puppim repositam esse putant, & sæpe, qua sunt imperitia, pretiosas illas scilicet opiniones, publicis cœtibus admoti, populo christiano, qui his hypothesibus si hos audias mire pascitur, propinant, rejectis sæpe vel neglectis iis, quæ ad vitam vere christianam vivendam necessario requiruntur.

VII. Partium studium, & animus odio erga alios Christianos incensus, manifeste in iis ut plurimum deprehenditur. Vix unquam dissentientis verus sensus repræsentatur, aut argumenta, quibus nititur, sine ulla truncatione exhibentur. Neque ab odiosis consectariis, quæ omitti & possent & deberent, abstinent. Unde plerumque juvenes lectis solis suis systematibus evadunt superbi, & adversus alios zelo inepto incensi, imo sæpe ad finem usque vitæ permanent disputaces, cedere nescii, & vanis opinionibus capti.

VIII. In multis ejusmodi systematibus gravia & momentosa ad pietatem incentiva & consectaria, ex ipsius religionis christianæ principiis desumta, aut silentio involvuntur, aut leviter, & quasi aliud agendo, tractantur; quasi in meris speculationibus & minutarum opinionum cognitione & pertinaci defensione præcipua pars religionis consisteret, & pietatis studium nonnisi *accessorium* quid esset: Ita dicere solebat cl. *Hoadly*, Episcopus: *La Religiòn signifioit autrefois la vertu; présentement on entend par là tout ce que l'on veut, excepté la vertu seule.* Silentio denique alia multa involvo; nil dicam de stylo scholastico, phrasibus sæpe nihil significantibus, distinctionibus levibus, quæ omnia simul sumta efficiunt, ut de omnibus promiscue systematibus magnifice sentire non possis.

III.

Quæritur, an non satius esset, loco systematum so-

Perspectis hisce incommodis quæritur, an non salutaria Religionis capita, missis ita dictis systematibus theologicis, ex solis sacris Litteris edoceri possent. In summam contraham ea argumenta, quæ pro hac sententia afferri possent.

Pri-

Primum est: Ab omnibus protestantibus Theologis concedi, Scripturam S. unicam credendorum normam, & nullis articulis religionis revelatæ subscribendum esse, nisi ii vel diserte, vel per evidentem & legitimam consequentiam in S. Litteris reperiantur: tutius autem ex ipso fonte quam ex rivulis bibi. Atque hoc eo magis præstandum quidam existimant, quod experientia constet, in systematibus multa reperiri, de quibus S. Litteræ altissimum servant silentium, ad quæ tamen credenda Doctores publici sint obstricti, adeo quidem, ut qui a receptis distinctionibus & hypothesibus recedant, nonsolum pro heterodoxis habeantur, sed & sæpe tanquam publica statione indigni de gradu suo dejiciantur. Notum est, dari varias credendi formulas, ad quas, postquam in partes itum est, rigidiores V. D. M. & Theologi, quorum semper major turba est, tanquam ad *lydium lapidem* in religionis negotio provocent. Ubi vero omnia prudenti & hermeneuticis regulis superstructa interpretatione niterentur, nemo ad aliquid quod vel sensui communi vel genuinæ interpretationi repugnaret, ad ita vel aliter sentiendum obligari posset. Constare insuper (ajunt) quod quidem protestantes Theologi pleno gutture clament, Scripturam unicam esse credendorum normam; at ubi ad controversias deventum sit, & promiscuas concertationes, tandem omnia huc redire; nimirum hæc vel illa dogmata, hujus vel illius ecclesiæ communi consensu, a multis retro annis esse recepta, adeoque articulis receptis esse subscribendum, aut aliorum castra esse sequenda. Interim notandum est, hos ipsos, qui loco systematum S. Litteras pro norma systematis habendas putant, hæc præstruenda esse putare. *Primum* est: Ea, quæ per rectæ rationis leges sine aliqua revelatione cognosci possunt, ante omnia tanquam firma, & extra dubitationis aleam posita, principiorum loco ponenda esse, licet passim etiam in S. Litteris postea ea confirmentur. *Secundum*: veritatem religionis christianæ argumentis solidis munitam tanquam articulum certum admittendam, quia sine hoc interpretationi ipsi, ex qua articuli religionis repetuntur, nulla constaret vis & efficacia. *Tertium*: generalissimas veritates, quæ in catecheticis institutionibus reperiuntur, & quæ ubique in S. Litteris, si modo nihil alieni illis admixtum sit, reperiuntur, & in quibus etiam plerique Christiani consentiunt, tanquam primarias veritates interpretibus omnibus communes esse admittendas.

lam usurpare Scripturam sacram.

II. Ut vero in compendio ſuam hanc ſententiam repræſentent, dicunt: Sumamus v. gr. *Epiſtolam ad Epheſios*, in qua ſumma religionis chriſtianæ capita & pietatis officia repræſentantur, eaque ſecundum genuinos interpretationis philologicæ leges explicemus, & generalia inde capita, tanquam certa & creditu neceſſaria inde petamus: Primum inde commodum enaſceretur hoc, quod ſyſtema illud non ſit *humanum*, ſed *divinitus inſpiratum*; ſecundo loco nemo ex alienis principiis huic vel illi ſectæ privis, nedum ex incertis ſcholarum hypotheſibus, ſed ex hoc libro vel ſyſtemate divino ſecundum genuinas philologiæ & grammaticæ regulas ſapere deberet. Cumque Theologorum omnium conſenſu Scriptura ſacra neque repugnantia, aut ſibimetipſis oppoſita tradat, reliquorum Apoſtolorum dogmata, in Epiſtolis contenta, ad hunc lydium lapidem eſſent exigenda. Omnes (inquiunt) controverſiæ redirent non ad placita Theologorum, diverſa ſyſtemata ſequentium, ſed ad auctoritatem epiſtolæ, quæ communi conſenſu pro divina habetur, & ad certas interpretationis grammaticæ leges, in quibus harum rerum periti conveniunt, & quibus ſtare debent interpretes omnes.

III. Poſito hoc & conceſſo, omnes Studioſi Theologiæ cogerentur ad philologiæ ſacræ ſtudium rite excolendum animos inducere, quod tamen ſtantibus illis ſyſtematibus ut plurimum friget & negligitur. Legunt paſſim ſyſtemata, ex illis ſapiunt, & tanquam eſſent æternæ veritatis axiomata, quicquid proponitur, arripiunt. Quod ſi veritas aliqua uno vel altero teſtimonio S. Litterarum confirmatur, vix eadem inſpiciunt, ſed etiamſi infirma ſæpe ſint, nulliuſque ponderis, memoriæ tamen tradunt, credentes, ipſas ſyſtematis theſes ſatis per ſe tutas & firmas eſſe, Theologorum utpote auctoritate munitas, & longa annorum ſerie confirmatas. Quod ſi vero liber Scripturæ ſacræ pro norma ſyſtematis haberetur, & omnis probatio articuli alicujus nonniſi ex principiis philologiæ S. repeteretur, arbitrariæ illæ theſes theologicæ ex philoſophia, vel ingenio, vel auctoritate Majorum petitæ exularent, omniſque argumentandi vis ad genuinos interpretationis fontes revocaretur.

IV. Pergunt (qui ita ſentiunt) atque dicunt, proſcriptis illis ſyſtematibus, ad artis regulas exactis, & contra admiſſo libro divinitus inſpirato, exularent tot miſeræ diſtinctiones ſcholaſticæ, tot quæſtiones e veterum & recentiorum Sophorum cerebris potius, quam

quam ex genuinis rectæ interpretationis fontibus repetitæ. Abessent tot formulæ Apostolis ignotæ; tot minutæ controversiæ, quæ cum sanctissimis veritatibus turpiter miscentur, & quæ misere S. Litterarum cultores fatigare solent. Omnia nonnisi ex divino repeterentur libro, sive principia, sive consectaria spectares. Systema interim maneret semper θεόπνευστον, & ad illud recurri semper posset & deberet, sine ullo erroris periculo.

V. Cum systemata de religionis articulis systematibus aliis opposita sint, atque ita materies æterna disputandi suppeditetur, studiosisque diversa, non sine animorum commotione, principia instillentur, admissa sola Scriptura sacra loco systematum forte fieri posse, ut Protestantes traditionibus omnibus rejectis, simul vero in sacra Scriptura tanquam unica credendi norma adquiescentes, tandem in unam redigerentur familiam, & controversiis illis inter ipsos agitatis felix tandem imponeretur finis. In utroque Reformatorum & Lutheranorum cœtu fuisse & adhuc esse viros in philologia sacra versatissimos, negabit nemo, qui historiæ litterariæ peritus est. Quod si Scriptura S. pro unica credendorum regula haberetur, & unus aliquis liber N. Testamenti pro systemate theologico agnosceretur, vix fieri posse credunt, qui ita sentiunt, ut in tot diversas abirent sententias viri sapientes. Saltem putant vix eos deprehensuros, Apostolos, auctores systematum verorum Theologiæ, data unquam opera de recentioribus controversiis aut levioris momenti opinionibus egisse, atque acerrime de iisdem disputasse, sed probe intellecturos, potius lites illas omnes ut plurimum ex nimia Doctorum quorundam reverentia, philosophicis hypothesibus, & nescio cujus male sanæ orthodoxiæ studio enatas esse. Studium autem linguarum & rectæ interpretationis regulas, lites illas, si non composituras, saltem vehementer suppressura esse. Et profecto si Protestantes, post secessionem a romana ecclesia feliciter factam, missa Patrum, inprimis *Augustini*, auctoritate, Aristotelisque aut aliorum Sophorum principiis, concorditer in sola explicatione S. Litterarum præsidium veræ religionis quæsivissent, nunquam tot inutiles controversiæ & dissensiones inter ipsos exorituræ fuissent.

VI. Pergunt, qui ita sentiunt, atque dicunt, primitivæ ecclesiæ Doctores nulla habuisse systemata Theologiæ, & successu demum temporis exortum esse symbolum Apostolicum; contentos vero

fuisse

fuiſſe præſtantiſſimos eccleſiarum Antiſtites S. Litterarum cognitione, & ex iis depromſiſſe, quæ ad eccleſias ſalutari luce perfundendas, hoſtesque religionis chriſtianæ retundendos, facere poterant. Jam vero eccleſiam tum temporis fuiſſe omnium fere Chriſtianorum conſenſu florentiſſimam, ſi ad veros & genuinos Chriſtianorum reſpicias characteres; per hanc Scripturæ ſacræ culturam, plures etiam ex infima plebe aptiores factos, ad conſtantiam in fide ſervandam, & martyria quævis obeunda, quam per omnia ſyſtemata etiam *ſcientifica methodo* elaborata. Hodiernos Chriſtianos ſyſtematum ſuorum gnariſſimos, vix paſſuros propter religionem periculum leve; ſaltem manifeſtum eſſe, nullum detrimentum paſſam eſſe primitivam eccleſiam, ſyſtematibus theologicis, ad artis regulas inſtructis, deſtitutam. Facile igitur & noſtræ ætatis homines iis carere poſſe. Accedit (inquiunt) quod v. gr. in eccleſia Tigurina tempore emendationis ſacrorum præclari viri, in linguarum & philologiæ S. ſtudio probe verſati, miſſis ſyſtematibus textum hebræum ſollicite cum LXX. virali interpretatione contulerint, & per genuinas interpretationis regulas S. Litteris lucem accenderint; progreſſu demum temporis B. *Bullingerum* ſyſtema Theologiæ nervoſum, breve, ab omnibus philoſophicis diſtinctionibus liberum, & nonniſi momentoſa complexum confeciſſe; ſucceſſu vero temporis duntaxat, orta inter Chriſtianos de quibusvis certandi prurigine, & odio mutuo, ſyſtemata multiplicata eſſe. Fateri hoc ipſum illos, qui ſyſtemata confecerint. Vide *Witſium* in dedicatione ſyſtematis ſui (*).

VII. Quamvis (ita pergunt) forte Theologi & interpretes in S. Litterarum, atque adeo in explicatione Epiſtolæ ad Epheſios, quæ ſyſtematis loco habenda eſſet, in diverſa abirent, in iis tamen, quæ ſatis clara ſunt, eos conſenſuros eſſe, neque diſputaturos, utrum cum his vel illis formulis aut ſyſtematibus, verus ſenſus Scripturæ, hujus

(*) Verba præſtantiſſimi viri ſic ſonant: „ Ea nunc vivimus tempora, quibus „ ſub librorum mole fatiſcit propemodum orbis, certe ingemiſcit eccleſia; „ cui nunquam melius fuit, quam quando ſua ſe involvens credendi undique ſancta ſimplicitate, procul omni vitilitigandi prurigine, ab unius „ Domini ore pendebat, caſtamque veritatem ex illis ſolum ſcriptis hauriebat, quæ & Davidem ſapientiorem fecere omnibus Doctoribus ſuis, & hominem Dei perfectum reddere poſſunt ad omne bonum opus perfecte inſtructum. „

hujus vel illius capitis vel versiculi conveniret; sed utrum ad genuinæ interpretationis leges & ad grammaticæ normam exactus, hanc vel illam interpretationem admittere posset. Diversitatem non igitur aliam interpretum locum habituram, quam quæ etiam locum habet inter Grammaticos & Criticos, quæ salva amicitia locum obtinere potest; cum contra, ubi Theologi semel loca quædam, tanquam certa & firma, in suis systematibus ad hanc vel illam sententiam probandam posuerunt, res ad lites, controversias, & ad malignas suspiciones revocetur. Necessitatem hujus methodi jam ante plures annos vidisse ajunt *Liberium de sancto amore, i. e. J. Clericum*, qui systematis Theologiæ ideam repræsentaturus monuerit, eam instituendam secundum S. Scripturam, atque a *Mose* incipiendum, & ita ad finem usque Novi Testamenti pergendo, singula cum dogmata tum præcepta, promissiones &c. in unam massam esse conjicienda, & iis, quæ perspicue in S. Litteris contenta sunt, firmissime, missis omnibus inventis humanis, esse insistendum. Doctissimum *Stollium* in *hist. litt. Theologiæ* exoptasse, ut aliquis eruditus ad componendum ejusmodi systema animum adjungeret (*). Hæc sunt præcipua argumenta, quibus utuntur illi, qui vellent systematum loco substitui S. Litterarum interpretationem.

IV.

Ut de hac sententia judicium candide & sincere aperiam postulat necessitas. Quin honestissima ea sit optimoque fine instituta oratio nullus dubito; optandumque esset, ut in tanta ingeniorum & de religionis articulis discrepanti judicandi diversitate, per eam viam, quam commendant, malo huic occurri posset. At ut verum dicam, prouti hodie cum rebus humanis, inprimis autem publicis scholis & academiis comparatum est, hæc methodus malo huic occurrendo neque apta est satis, neque utilitatem systematum tollit, sed hoc unum probat, systemata ad majorem *simplicitatem* & *ordinem* esse redigenda, de quo sapiens nemo dubitat. Hoc autem ut pateat, presso pede

Expenduntur, quæ pro hac sententia in medium sunt prolata.

(*) „ Diu antequam celeb. CLERICUS hoc consilium dedisset, hanc viam calcandam esse, quam & ipsemet secutus, Theologus præstantissimus cl. HYPERIUS in bonæ frugis plenissimo libello, cujus titulus: de Theologo, seu de ratione studii theologici, monuit. „

pede iis argumentis insistam, quæ a viris præstantibus in antecedenti thesi ad sententiam suam probandam sunt allata.

Primo loco recte dicitur, unicam credendorum normam esse S. Scripturam. At hoc non inficiantur illi, qui pro systematum necessitate & utilitate stant, licet, ubi adversarii thesin a systemate recepto abhorrentem tuentur, sæpe non tam ad Scripturæ sacræ, quam vero ad theses publice receptas, communique Majorum calculo probatas, provocent, quod tamen, ubi de re majoris momenti agitur, probari non debet.

(II.) Illi qui Scripturam S. systematum loco substituere volunt, impedire tamen non possunt, quo minus interpretes singulares quasdam sequantur hypotheses & explicationes S. Litterarum. Notum enim est, in catechismis paulo prolixioribus non tantum generalia religionis christianæ fundamenta tradi, sed iis etiam admisceri articulos sectæ cuivis privos. Hos juvenes imbibunt mature, antequam ad S. Litterarum explicationem animos adjungunt. Unde fieri aliter non potest, quam ut, ubi ad hæc vel illa loca Scripturæ deventum est, quilibet reperiat, quod thesi suæ semel receptæ congruum videtur. Præter hæc interpretes ipsi, uni eidemque systemati addicti, in omnibus tamen concordare non possunt, quod satis ostendit, si vel maxime Scripturæ S. canon pro systemate haberetur, dissensum penitus tolli non posse.

(III.) Ponamus, pro systemate Theologiæ haberi Epistolam Pauli ad Ephesios, eventurum tamen crediderim mox, ut dissensus in explicatione exoriturus esset; v. gr. occasione electionis in Filio, quam quidam a solo beneplacito divino repetunt; & de gratia vel *sufficiente* vel *efficaci*; non enim fieri potest, ut Interpres vel Theologus ignoret, qualis sit suæ sectæ de his sententiis opinio. Unde in ipsa hac epistola inveniet, quod sectæ suæ placitis arridet: conferendam insuper singulorum versiculorum interpretationem cum aliis Scripturæ locis, ubi de eadem re sermo est, clamabit utraque pars: atque ita fundamenti loco ponetur illa loci interpretatio, quæ huic vel illi parti favere videtur.

Secundo: cum omnes libri V. & N. Testamenti θεόπνευστοι sint, necesse est, ut propositiones in epistola illa occurrentes conferantur cum cæteris libris; unde non posset non maxima exoriri prolixitas. Præterea impediri non posset, quo minus ad concilianda loca Theo-

logi

logi illas arriperent ſententias, quæ cum ſyſtemate dudum recepto convenirent; unde idem immineret periculum, quod evitare tamen auctores hujus ſententiæ voluerunt. Multis inſuper interpretibus præcepta moralia in hac epiſtola contenta non ſatis ordine nexuque naturali diſpoſita videbuntur, neque ſatis prolixa, ſed ſtatui Epheſiorum tum temporis viventium duntaxat accommodata: unde neceſſarium eſſe putabunt, ut aliunde præceptis illis majorem adferant lucem, quæ utplurimum denuo ex ſyſtematicis principiis erunt petenda.

(IV.) Neque video, qua ratione S. Litterarum ſtudioſi magis ad philologiæ S. ſtudia incitarentur, abolitis ſyſtematibus, quam iiſdem ſervatis: ubique enim, in gymnaſiis pariter & academiis, S. L. ſtudioſi graviſſimis rationibus impelluntur, ad ea alacriter diſcenda. Quod ſi vero tum demum ſibi notitiam accuratioris ſyſtematis Theologiæ comparare deberent, poſtquam omnes philologiæ ſacræ ſinus perreptaviſſent, & loca cum locis diligentiſſime contuliſſent, nimis ſero ea addiſcerent, quæ futuro V. D. M. cognitu eſſent neceſſaria. Notum enim eſt, in philoſophia rationali, metaphyſica, & ethica, talia ut plurimum præſtrui præcepta, quæ ad has vel illas dogmatum in ſyſtematibus traditorum partes probandas facere poſſunt. Proteſtantes denique omnes uno ore clamant, nullum articulum fidei, tanquam talem recipiendum, qui non ex certis philologiæ ſacræ & artis grammaticæ regulis poſſit probari.

(V.) Verum eſt, ſyſtema Theologiæ, quale eſt epiſtola v. gr. ad Epheſios, ſemper manſurum authenticum; at non defuturas ſemper ex aliis locis petitas paraphraſes & explicationes, conſuetudo Theologorum ſatis docet, & docebit in poſterum. Quod ad inutiles diſtinctiones, & parum profuturas quæſtiones attinet, poſſunt illæ a ſapientibus Theologis eliminari, ſalva manente auctoritate ſyſtematum.

(VI.) Nec video quem uſum conferret hæc ſententia ad unionem Proteſtantium promovendam, cum utraque pars ad loca Scripturæ provocare ſoleat. Huic malo i. e. diſſenſui circa quædam dogmata occurri poſſet, ſalvis manentibus ſyſtematibus, modo Theologi tandem vellent ad momentum controverſiarum, quæ invicem intercedunt, attendere, & tandem fateri, non minus huic vel illi parti ad cœlum perveniendi apertam eſſe portam, ſi fide ſalutari,

ſeria pœnitentia, & præceptorum Chriſti obſervantia inſtructi ſint homines, ſive *Lutheri* ſive *Zwinglii* addicti partibus. Sed dum quiſque mordaciter ſuis opinionibus adhæret, gravitatem diſſenſus extollit, & ridicule pro arbitrio de ſalute aliorum diſponit, hos cœlo locat, alios ad triſtia tartara mittit, perinde erit, ſive Scripturam, ſive ſyſtema Theologiæ, pro norma credendorum habeatur (*).

(VII.) Verum eſt, in primitiva eccleſia, primis ſeculis, non cognita fuiſſe ſyſtemata ad noſtri temporis formam redacta: at quæritur an non ad ἀκρίβειαν religionis chriſtianæ plurimum contuliſſet, ſi Doctores publici, ſervato naturali ordine, in ſummam capitalia fidei capita contraxiſſent. Certe defectus hujus rei effecit, ut diverſarum plane partium ſequentis ætatis Theologi, in ſuas quiſque partes, Antiquorum dicta & de religione placita pertrahere voluerint; quod futurum forte non fuiſſet, ſi ſuorum animorum ſenſa perſpicuis verbis deſignaſſent. Patet interim ex citatione locorum Patrum, eos præcipua religionis capita creditu neceſſaria admiſiſſe, adhibita majore vel minore accuratione. 2.) Interim hoc non obſtante, ſive ſyſtemata, articulos fidei complexa, certa methodo adhibuiſſent, ſive non, æque florens ſtatus internus eccleſiarum permanere potuiſſet. Potius enim Chriſtiani illius temporis ſummam religionis in vitæ innocentia, cordiſque integritate, quam vero in multiplicium articulorum artificioſe inter ſe digeſtorum confeſſione poſitam eſſe exiſtumabant. 3.) Si ad ſtatum eccleſiarum illorum temporum reſpiciamus, manifeſtum erit, partim violentas perſecutiones, partim multorum hæreticorum inſolentiam impediviſſe, quo minus de ſyſtematibus ſcientifica methodo adornandis ſolliciti eſſent. 4.) Veriſſimum eſt, primos Reformatores, Tigurinos cumprimis, in eo fuiſſe, ut ſtudium biblicum antea prorſus neglectum reſtaurarent, eumque in finem textum originalem una cum LXX. verſione, aliiſque contuliſſe, quoniam non ſine ratione exiſtimabant, hanc præcipuam eſſe viam, oraculorum divinorum ſenſum reperiundi. Interim tamen non intermittebant, religionis chriſtianæ primaria capita temporis decurſu divinæ ſapientiæ alumnis tradere.

(VIII.)

(*) Vide Epiſtolam RANDBEKII de hoc argumento, quæ extat in Mercurio Helvetico ad Annum 1737.

(VIII.) Consensus in necessariis, non obstantibus systematibus, inter Christianos, Protestantes certe, obtineri posset. Illi enim, saltem cordatiores, rotunde fatentur, non obstantibus variis interpretum explicationibus, ea, quae scitu credituque omnibus Christianis necessaria sint, ad salutem obtinendam in S. Litteris a quovis veri amante, sive reformatae, sive lutheranae ecclesiae addictus sit, reperiri posse. Ex quibus omnibus colligo, systemata theologica utilia esse, si modo ad veram *simplicitatem* revocarentur, de quo, quae sit nostra, salvo aliorum judicio, sententia, jam in sequentibus cordate mentem nostram aperiemus (*).

V.

Postquam in antecedentibus diximus, systemata theologica suis naevis non carere, eadem vero pro praesenti rerum statu utilia & necessaria esse, si modo in justum cogantur ordinem, & ad majorem redigantur *simplicitatem*, tempus jam est, ut exponamus, quid hac in parte requiratur. Loquemur autem in hac sectione de iis, quae in systematibus Theologiae Naturalis nobis observanda videntur; pluribus postea acturi de iis, quae nostra opinione in systematibus Theologiae Revelatae vel omittenda vel tradenda sunt. Omnia certis quibusdam includemus articulis.

Quaeritur igitur, quid ad simplicitatem illam in Theologia positiva, uti vocatur, obtinendam, requiratur.

I. Cum omnia nostra de Deo rebusque divinis cognitio, vel ex solis principiis rationis, vel ex supernaturali revelatione petenda sit, aequum est, ut ipsi Philosophiae Professores systema aliquod Theologiae Naturalis tradant, & ex solis principiis rationis hujus partis

(*) Consentit mecum ὁ μακαριτης cl. BUDDEUS in Isag. Hist. theolog. pag. 424. dicens: „ Systematicam Theologiam a Scholasticorum quisquiliis repurgatam nemo jure improbaverit. Nec enim, quid in eo reprehendendum sit, video, quod dogmata fidei, apte inter se connexa, proponantur, explicentur, defendantur. Quin potius, ut doctrina coelestis eo luculentius distinctiusque percipiatur, atque omnibus, quibus obscurari potest, eo majore efficacia obviam eatur erroribus, veritas contra eo facilius & confirmetur, & retineatur, & propagetur, systematica haec tractandi ratio confert plurimum. Nec obstat, quod termini quidam, aut in ecclesia recepti, aut ex Philosophorum scholis petiti interdum adhibeantur. Id enim, si caute ac sobrie fiat, vitio caret, & eo solum spectat, ut sine ambagibus eoque clarius mentem nostram de dogmatibus, ex Scriptura S. haustis, explicare queamus. „

Theologiæ capita gravissima exponant. Ita enim liquebit, quid ratio hac in parte valeat, & quid revelatio postea superaddat.

II. Hæc vero delineatio Theologiæ Naturalis neque nimis brevis neque prolixior debet exhiberi. Loquimur enim de studiosis, qui primis elementis disciplinarum sanctiorum sunt imbuendi. His cognitu quammaxime necessaria initio studiorum sunt tradenda; neque magnitudine majoris molis voluminum deterrendi, aut macilentis duntaxat definitionibus alendi.

III. Eum in finem hac ætate omnes quæstiones subtiliores, quæ in hac disciplinæ parte occurrunt, evitandæ, & nonnisi cognitu necessaria proponenda. Rite vero percepto tali systemate, adolescentibus sciendi cupidis commendandi virorum doctorum labores, qui ex professo singulas partes hujus disciplinæ excusserunt, & difficultates graviores severo subjecerunt examini.

IV. Cum existentia divina omnis religionis fons sit & radix, ea solidis, sed paucis argumentis probanda est, exhibita definitione Dei clara, nullisque obnoxia æquivocationibus. Silentio involvenda argumenta nihil probantia, aut si id necesse, eorum infirmitas breviter, sed satis solide, & ad captum auditorum est repræsentanda, objectio præterea una vel altera, sed quæ speciem habet, est in medium afferenda, simulque illius vanitas est demonstranda.

V. Cum ad attributa divina, reliquaque capita religionis naturalis deventum est, cavendum serio, ne talia iis admisceantur, quæ ad singulares hypotheses & articulos huic vel illi sectæ privos adstruendos facere possunt, quod tamen non semel ab iis fieri, qui talia compendia conscribere solent, αὐτοψία docet. Ita vero auctores systematum Theologiæ Naturalis in hoc argumento versari debent, ac si controversiarum inter Christianos agitatarum essent plane ignari. Quæritur enim hic duntaxat, quid ratio de Deo & religione cognoscere possit, non quid ad hoc vel illud particulare systema stabiliendum conferre possit.

VI. Ubi ad attributa divina explicanda progredimur, ante omnia monendum, nos sensibilium pariter ac intellectualium substantiarum imperfectam valde habere notitiam, neque in hac vita, quidquid tentemus, ad cognitionem omnibus numeris absolutam attributorum divinorum unquam perventuros; mirum igitur non esse, si, ubi ad attributa divina explicanda animos adjungamus, potius in quo non

non consistat eorum natura, quam qualis eorum ratio sit, fatendum nobis sit, Inprimis vero hoc tenendum in explicatione attributorum Dei, uti appellantur, physicorum, nimirum infinitatis, omnipræsentiæ & immensitatis. Attendendum vero quammaxime ad attributa Dei moralia, potentiam nimirum divinam, sapientiam & bonitatem, atque quatenus hæ virtutes homines ad celebrandum Creatorem excitare possint, clarissimis rationibus ostendendum. De justitia divina, demonstrata duntaxat certitudine legis alicujus naturalis, commode differi potest; ubi mea opinione in generalibus subsistendum, atque asserendum, Deum, qui omnium creaturarum rationalium statum, fines agendi, & vires perspectas habet, quæ infinitos patiuntur gradus, pro earum varietate, vel in hac vel in alia vita eas remuneraturum, vel magis vel minus benevolentiæ suæ testificationem erga eas demonstraturum.

VII. Providentia divina solidis sed paucis argumentis est probanda, atque ubi ad particularia & singularia divinæ providentiæ objecta deventum est, cautissime est loquendum. Provida Dei cura respectu singulorum hominum imperscrutabilis est, neque adeo ultra id, quod cognoscimus, ratiocinari debemus; objectiones generales, quæ adversus eam in medium proferuntur, solidis argumentis sunt refutandæ. Circumspecte autem in materia difficillima est versandum, nullaque in responsione ad has objectiones systematum, ab hac vel illa secta receptorum, habenda est ratio. In excessu pariter & defectu hic peccari norunt eruditi. Si discipuli norunt & satis persuasi sunt, Deum salvis virtutibus suis malum permittere potuisse, & adhuc posse, id initio studii theologici sufficit. Ablegandi postea ad eos, qui omnium optime doctrinam de origine mali moralis & physici excusserunt; quanquam statim initio, ubi de hoc themate agitur, fatendum candide sit, nos, ubi ad singulares administrationis Numinis causas detegendas deventum sit, ad prudentem ἐποχὴν recurrere debere, & scientiam accuratiorem æternitati reservare. Utinam nunquam Theologi & Philosophi ea explicare aggressi fuissent, quæ capacitatem ingenii humani superant, quæque in his terris enodabimus nunquam! miræ ex temerariis conclusionibus, quas multi Doctores de providentia & concursu Dei elicuerunt, inter plebem pariter & sapientiores etiam exortæ sunt opiniones, quæ partim ad superstitionem vergunt, partim ad incredulitatem viam præparant.

VIII.

VIII. Legum naturalium non tantum existentia, sed & earum necessitas, æquitas & utilitas est demonstranda; inprimis autem probandum, eas non ab arbitrio hominum dependere, atque pro regionum hominumque voluntate esse suspensas. Resecanda sunt autem omnia, quæ a consuetudine gentium etiam moratiorum derivari solent, quandoquidem innumera legibus illis addita fuerunt, vel demta, quorum fundamentum in Jure Naturæ reperitur nullum; circumspecte etiam hic in auxilium vocandæ leges Mosaicæ forenses, quandoquidem cum ceremonialibus ita sæpe sunt conjunctæ, ut ad leges universales Juris Naturæ omnibus hominibus injunctas vix exigi possint.

IX. Denique ubi ad immortalitatem mentis probandam deventum est, ex ipsius mentis facultatibus, quatenus nobis notæ sunt, argumentum peti potest, quo probatur, nullis certis indiciis ostendi posse, eam post separationem a corpore destrui. Simul tamen ingenue fatendum, hoc argumentum ad *demonstrationis mathematicæ evidentiam* evehi non posse. Non enim tam adæquatam & perfectam habemus substantiæ hujus spiritualis ideam, quæ in demonstratione mathematica requiritur. Huic argumento, a natura mentis humanæ petito, superaddenda sunt ea, quæ ex fine creationis generis humani, Dei æquitate, bonitate & sapientia, finibusque legis naturæ, a Deo mortalibus concessæ, peti possunt. Singulis illis Theologiæ Naturalis articulis adjungenda sunt corollaria practica, quæ evidentissime ex iis, sive genus humanum in universum, sive singulos homines singillatim spectes, prona consequentia facile erui possunt. Denique recensendi ii, qui data opera hanc vel illam Theologiæ Nat. partem illustrarunt.

VI.

Qualis simplicitas in Theologia revelata positiva sit repræsentanda.

A Theologia Naturali progredimur ad Theologiam revelatam, & cum Christiani omnes singula religionis capita in systematibus suis repræsentarint, videndum quid & hic *simplicitas theologica* deposcat. Certis articulis includemus omnia, que monenda esse putamus. Et I.) quidem observandum (quod supra etiam in tradenda Theologia Nat. monuimus) ejusmodi systemata in gratiam studiosorum Theologiæ scripta, nec nimis macilenta esse oportere, neque nimis

mis prolixa. Si prius esset, vix a catechismis distinguerentur; si posterius, nimis oneraretur eorum memoria.

II.) Etiam hic locum habet Poëtæ dictum; *nisi utile est quod discimus & docemus, stulta est gloria.* Omnia igitur futuro pastori nihil profutura omittenda vel resecanda; e contrario illa sunt duntaxat tradenda & argumentis solidissimis probanda, quæ in omni vita humana populo christiano insignem adferre possunt utilitatem (*).

III.) Cum universum systema Theologiæ nitatur hac veritate: Religio christiana vera est & divinæ originis; necesse est, ut primarium hoc caput evidentissime & solidissimis argumentis probetur, eaque *ἀκρίβεια*, quam argumenti dignitas postulat. Proponendæ sunt generaliores objectiones adversariorum, & breviter, sed solide repræsentandæ responsiones. Privatim vero, aut in ipso systemate recensendi illi, qui data opera hanc vel illam partem gravissimi argumenti excusserunt. Profecto hac in parte multi systematum scriptores peccant; doctrinam de decretis Dei, de peccato originis, de lege forensi & cæremoniali Hebræorum &c. æque prolixe explicare solent, ac doctrinam de veritate religionis christianæ, aliaque gravissima argumenta. Profecto, si capitalem illum & primarium articulum studiosi Theologiæ ipsimet non satis intelligunt & probare possunt, facile judicari potest, quam inepti futuri sint, ad alios suo tempore de hac veritate persuadendos, & errantes refellendos.

IV.) Probata & solidis argumentis adstructa veritate & divina origine religionis christianæ, secundum methodum naturalem veritatum in S. Litteris revelatarum, pergendum est, attendendo semper ad ea argumenta, quæ nucleum capitalium capitum religionis christianæ comprehendunt.

V.) Cum veritates illæ omnes revelatione nitantur, necesse est ut ex ipsa S. Scriptura argumenta petantur. Eum in finem observandum est, ut testimonia nonnisi eligantur clarissima, ex ipso contextu & ipsis, ut ita dicam, philologiæ S. visceribus petita. Præstat hic unicum vel duo loca adduxisse plana & solida, quam multitudine testimoniorum parum ad rem facientium pugnare velle. Nihil enim magis officit veritatis, inprimis momentosæ, cognitioni, quam argu-

(*) Vide de hoc argumento differentem *τον μακαριτην* celeb. Werenfelsium, in Dissert. de scopo Doctoris Theologi, quæ non satis a publicis Theologiæ Doctoribus legi potest.

mentorum infirmitas; monendique sunt S. Litterarum studiosi ut loca illa diligenter inspiciant (*).

VI.) Quia vero revelatio nobis data non est ad inanes speculationes & sublimia quaedam dogmata cognoscenda, sed potius ea tanquam totidem ad pietatem incentiva consideranda, ex articulis illis palmariis, per legitimas consequentiarum leges, consectaria practica sunt eruenda & repraesentanda, ut adeo mature S. Litterarum studiosi sentiant, nonsolum quem usum habeant haec vel illa dogmata, sed & quomodo illa populo christiano sint proponenda & inculcanda. Ubi bene agit auctor systematis, si consectaria ipsa ex ipsis Christi vel Apostolorum dictis repetit, v. gr. Paulus Apostolus de pretio redemtionis nostrae per Christum factae agens, 1. ad Corinth. VI. ait, pretio emti estis, ergo necesse est ut mente vestra & corpore Deum glorificetis. Et profecto ubi vel per longe petitas duntaxat ambages ostendendum est, posse hanc vel illam thesin theologicam aliquem usum habere, manifestum erit, articulum illum levem esse nec magni momenti.

VII.) Postquam in systemate religionis christianae veritas sufficientibus est comprobata argumentis, & αὐθεντία librorum V. & N. Testamenti satis est demonstrata, capite integro de generalibus interpretationis S. Litterarum regulis agendum est. Cum enim articuli omnes credendi nonnisi revelatione nitantur; revelatio vero contineatur linguis, quae hodie in usu non sunt, iisque privus quidam character insit, necesse est, ut generales explicandi S. Litteras regulae a Theologis tradantur, secundum quas interpretatio est instituenda. Inprimis vero sequentia auditoribus insinuanda esse videntur.

Primum

(*) Probe hic attendendum ad monitum Theologi Angli, D. Sykes, quod suppeditat in opusculo de principiis & connexione Religionis Naturalis & Revelatae, atque ita sonat: „ Tous ceux, qui sont profession de la Religion chrétienne, doivent constamment avoir recours au Nouveau Testament, pour sçavoir quelle est la volonté de Dieu, & non pas aux additions qui y ont été faites par des hommes, qui, en faisant beaucoup de bruit sur divers points, & en entrant dans des subtilités metaphysiques, au lieu de faire du Christianisme une doctrine utile & avantageuse au Genre humain, en ont fait une science purement théologique, & en ont rendu les articles principaux & essentiels inutiles au monde, parce qu'ils les ont rendu inintelligibles, aux personnes même le plus habiles. „

Primum eſt: Omnes argumentationes, ad articulum quendam religionis probandum allatas, niti debere teſtimoniis textus originalis, ſecundum leges grammaticæ & genuinæ interpretationis explicatis: eamque interpretationem aut αὐτολεξεὶ in S. Litteris extare, aut per evidentiſſimas conſequentiarum leges inde erui debere: neutrum ſi fiat, neminem teneri ejuſmodi articulo ſubſcribere; ſaltem improbum eſſet hominem veri amantem cogere velle, ut ſubſcribat articulis quibuſdam religionis, quos tales eſſe ex ipſa revelatione probari non poteſt.

Secundum: Cum Theologi omnes clamitent, Scripturam S. ſecundum *analogiam fidei* eſſe interpretandam, probe oſtendendum eſt, in quo tandem analogia illa conſiſtat. Plerique, licet non fateantur, per analogiam illam intelligunt particularia cujusvis ſectæ principia, ſecundum quæ tandem, tanquam axiomata æternæ veritatis, articuli cæteri omnes ſyſtematis ſint exigendi; quæ ſententia ſi valeat, omnis S. Litterarum interpretatio vacillat, dum Chriſtiani in partes ſciſſi æquum jus habeant, analogias fidei fingendi, & precarias quaſdam propoſitiones fundamentorum loco ponendi. Monendum eſt ergo ſedulo, per analogiam fidei nihil aliud intelligi, quam *principalia capita*, quibus univerſa religio chriſtiana nititur, quæque conſtanter in revelatione, tanquam πασης ἀποδοχης ἀξια, repræſentantur. Ita ſi quis aſſereret, Chriſtum non natum eſſe e virgine Maria; non in Judæa vixiſſe; nulla feciſſe miracula; morte violenta non obiiſſe; a mortuis in vitam non fuiſſe revocatum, neque ſublimem in cœlum aſcendiſſe &c. ſine dubio hic ad αναλογιαν illam fidei provocare deberet religionis chriſtianæ alumnus; quoniam univerſa hiſtoria evangelica in IV. Evangeliſtis, Apoſtolorum Actis, & Epiſtolis eorum, his veritatibus eſt ſuperſtructa; in cæteris vero, ubi inter ſe diſſentiunt Chriſtiani, hæc analogia nihil plane valet.

Tertium: Ubi regulæ ſuppeditantur genuinæ interpretationis, nonſolum neceſſitas ſtudii philologiæ ſacræ ſedulo eſt monſtranda, ſed & qua ratione hoc ſtudium ſit inſtituendum oſtendendum, præſidiaque optima in medium ſunt adferenda; atque hoc eo magis præſtandum, quod Theologi præſtantiſſimi conqueruntur, hoc ſtudium paſſim a S. Litterarum ſtudioſis negligi, eisque, hoc inprimis tempore, illa potiſſimum ſyſtemata placere, in quibus plura ex Philoſophia petita reperiuntur.

Cum hac in parte in exceſſu & defectu peccatur, breviter dicam, quid mea opinione *ſimplicitas theologica* hoc in negotio requirat. Peccant (1.) qui ſine diſcrimine in rationem & philoſophiam detonare ſolent. Tantum enim abeſt, ut hac ratione aliquid lucrentur, ut potius religionem riſui exponant, & in contemtum adducant, de quo tamen, quia alibi fuſius egi, verbum non addam. (2.) Cum religio chriſtiana non repugnet rectæ rationis præceptis, omnis ingenii vis eſt intendenda ad Revelationis divinam originem, præſtantiam, & utilitatem demonſtrandam. Nec hoc tantum ſufficit, ſed circa ſingulos articulos magni momenti oſtendenda eſt θεοπρεπεια eorundem, & cum puriſſimis rationis præceptis convenientia. Quo magis enim rationis vires omnes adhibemus, & dogmatibus religionis ita accendimus lucem, eo magis homines veri amantes & culturæ rationis intenti ad eam deamandam feruntur. (3.) Sollicite vero diſtinguendum eſt ſyſtematis theologici ſcriptori inter ea, quæ ex certis vel probabilibus rationis decretis erui poſſunt, & inter meras Philoſophorum hypotheſes, nullis aut imbecillis fundamentis ſuperſtructas. Notum eſt Theologos pleroſque, qui ſyſtemata conſcripſerunt, hypotheſibus & argumentis parum firmis, ex horum vel illorum Philoſophorum officina depromtis, uſos eſſe, & adhuc uti, ad hos vel illos religionis articulos comprobandos, qui ſane hac ratione plus detrimenti quam utilitatis religioni attulerunt. Ita enim nonſolum data eſt occaſio acutioribus ingeniis articulos religionis ipſos impugnandi, & lites non neceſſarias excitandi, ſed & homines pios & veri amantes in multas dubitationes ſæpe conjecerunt. (4.) Ubi manifeſtiſſimum eſt, agi de myſterio religionis chriſtianæ, variis diſtinctionibus philoſophicis abſtinendum plane eſt; potius enim res obſcuratur, quam explicatur. Hoc unum præſtandum, ut nimirum probemus dogmata hæc contradictionis manifeſtæ argui non poſſe.

VIII.) In ſuperioribus diximus, in ſyſtematibus religionis chriſtianæ veritatem ſolide eſſe probandam & contra præcipuas objectiones tuendam. Cum vero hoc ſine prolixitate nimia fieri haud poſſet, compendioſius forte præſtare id poſſet, ſi reſurrectionis J. Chriſti duntaxat veritas ſolide adſtrueretur. Hac enim veritate poſita & adſtructa, jam probata eſt veritas religionis chriſtianæ. Pro exemplo haberi poſſet oratio S. τȣ μακαριτȣ *celeb. Werenfelſii*, quæ inter

ſermones ſuos ſacros primum occupat locum. Lecto autem breviore primis ſtudiorum academicorum annis ſyſtemate, commendari illis poſſent *Dittonus*, *Weſtius* & *Scherlokius*: capita enim hæc principalia religionis accurate debent cognoſci a S. Litterarum cultore, non tantum ut ipſemet de iis ſit perſuaſus, ſed & ut aliis perſpicuis argumentis ea probare, captuique omnium accommodare poſſit.

IX.) Forte autem lux accendi poſſet capiti de eccleſia, ſi loco vocis *abſtractæ* vel *collectivæ* concreta adhiberetur, hominesque, qui chriſtianæ religioni nomen dare ſolent, in certas & diſtinctas claſſes referrentur. At cum omnes diverſarum ſectarum Theologi receptam illam eccleſiæ diſtinctionem communi calculo adprobarint, videndum ſaltem eſt, ut diſtincte diverſæ illæ eccleſiæ diviſiones repræſententur, quod inprimis obſervandum propter controverſiam, quæ nobis cum Eccleſia Romana de hoc argumento intercedit.

X.) Neque male faciet ſyſtematis ſcriptor, ſi capite integro agat de cognitionis theologicæ in hac vita imperfectione: ita enim Theologiæ ſtudioſi cum contra ſuperbiam & δοκησισοφίαν præmuniuntur; tum vero ad tolerantiæ & manſuetudinis theologicæ ſtudium incitantur; ubi hac ratione ſatis vident, quam facile error in optimi etiam & veritatis amantiſſimi animum irrepere poſſit.

XI.) Quamvis hic de Theologia thetica agatur, cultor tamen S. Theologiæ ea, quæ de controverſiis rite tractandis a viris doctis in medium allata ſunt, negligere non debet; eumque in finem legere poteſt præſtantiſſimorum (ut de aliis jam nihil dicam) Helvetiæ Theologorum *Werenfelſii* & *Stapferi* ſcripta. Circa finem tamen hujus diſſertationis quædam de hoc argumento monebimus.

XII.) Stylus denique, cujuscunque ſit idiomatis, debet eſſe facilis, planus, purus, & ab omni ſtribligine plane remotus. Loquimur autem hic potiſſimum de ſermone latino. Quamvis enim, ubi de religionis chriſtianæ articulis loquimur, verba ex ſcriptoribus claſſicis, qui rerum illarum ignari erant, non ſemper commoda petere poſſimus; opera tamen, quantum fieri poteſt, danda, ut quam puriſſimis & latiniſſimis utamur verbis; præterquam enim quod talis ſcribendi ratio toti operi decus & ornamentum afferat, majore cum voluptate cuncta leguntur. Mecum ſentit *clariſſimi nominis* Theologus *Gauſſenus*, de *ſtudii theologici ratione*, *pag. m.* 85. verba ita ſonant: ***Ad ſtylum quod attinet, illud in ſtudioſis mirum in modum nobis***

ſemper diſplicuit, quod formandi ſtyli plane incurioſi videantur; atqui liquido affirmamus, majores fructus cum mediocri doctrina eum laturum, qui aliqua ſtyli laude polleat, quam virum alioqui doctiſſimum, qui eam partem ut parum ad ſe pertinentem contemſerit: quam multos enim appellare hic poſſem, ni eorum nomini parcerem, conſummatæ & reconditæ eruditionis viros, quorum libri blattas & tineas non aliam ob cauſam paſcunt, quam quod majeſtate Theologiæ indignum putarint, de apta verborum ſtructura laborare: quod ſi ad eam rem mediocrem adhibuiſſent operam, & lectores ſuos tenerent, & quod caput eſt, ædificationi eccleſiæ multo efficacius inſervirent.

XIII.) Cum veritates in Revelatione contentæ non ſint ejuſdem ponderis, neque cum fide chriſtiana, per quam certam ſalutis ſpem obtinere poſſumus, neceſſario connexæ, integro capite doctrina de *articulis fundamentalibus* eſt explicanda, hujuſque thematis neceſſitas & utilitas ſolide eſt probanda. Mature enim adoleſcentibus eſt monſtrandum, quibus potiſſimum thematibus cognoſcendis, probandis, & populo chriſtiano inculcandis, inhærere debeant.

XIV.) Quando vero Chriſtiani, ubi ad hunc vel illum particularem articulum deventum eſt, inter ſe non conſentiunt, de ejus pondere & neceſſitate, vel levitate diſſerendum eſt, præprimis ideo, quod conſtet ex hoc diſſenſu lites & contentiones oriri. Non negligenda eſt inprimis doctrina de tolerantia chriſtiana, ſed ea ſolidiſſimis argumentis adſtruenda; ita enim mature ſtudioſorum animi adverſus falſum zelum, & aliis ob diſſenſum in minoris momenti rebus inſultandi pruritum, præmuniuntur: oſtendendum cumprimis, hujus tolerantiæ fundamenta ex ipſius rationis principiis & conſcientiæ natura repetenda, atque adverſus generaliores objectiones zelotarum ſtrenue vindicanda, & quam egregium fructum inde percipiat cum ſocietas civilis tum eccleſia. Neque igitur perfunctorie hæc materia tractanda eſt.

XV.) Controverſiarum inter Proteſtantes agitatarum aut nulla facienda mentio, aut ſi id fieri debere neceſſe eſſe putat ſyſtematis theologici auctor, uno faſce ſunt complectendæ, repræſentanda candide & ſincere cujusvis partis fundamenta, & præcipua quibus utuntur argumenta. 2.) Monſtrandum, in neceſſariis ad ſalutem utramque partem conſentire. Ita Reformati pariter & Lutherani mortem Jeſu Chriſti cruentam conſiderant tanquam unicam reconciliatio-

ciliationis nostræ cum Deo causam, beneficiaque gratiæ, in initio, progressu, & fine conversionis, Deo unice adscribunt, officiaque hominis christiani pariter urgere solent. 3.) Ostendendum, ubi ad hoc vel illud individuum personale deventum est, verum solatium & certitudinem salutis non dependere ab opinione sententiarum de decretorum ordine, & mortis Christi vel universalitate vel particularitate, sed ex certis characteribus, qui omnibus inesse debent, quotquot immotam spem consequendæ salutis habere volunt, repetendum esse. Neque certe reformatæ vel Lutheranæ ecclesiæ addictus, si modo religionem suam rite intelligat, ex hypothesibus in se spectatis solidum solatium habere potest, sed ex solo interno statu suo, characteribusque internis beneficio mortis Jesu Christi acceptis, donisque inde emanantibus. 4.) Denique inde colligendum, posse Doctores publicos, salvo illo levi dissensu, tolerantiam & pacem inter se alere; imo vi conscientiæ eos ad ita sentiendum obstrictos esse. Vide *cogitationes generales τϰ μακαριτϰ celeb. Werenfelsii de unione Protestantium.*

XVI.) Nescio quam ob causam in systematibus Theologiæ, quæ in gratiam S. Litterarum cultorum conscribi solent, caput de *officio V. D. Ministrorum* plerumque omittatur. Novi quidem hæc singularibus libris tradi solere & per partes fuse explicari; at hoc non impedit, quo minus singulari capite de utilitate, necessitate & gravissimis officiis V. D. M. agatur. Ita enim mature discunt S. Ministerii Candidati, quomodo veritates in systemate traditæ, & S. Litterarum testimoniis confirmatæ, populo christiano proponi debeant; quæ capita potissimum urgenda; & quomodo singula pro diversitate status auditorum sint attemperanda. Sentiunt ita, saltem sentire deberent, officium V. D. Ministri non esse leve, sed gravissimum, studiaque theologica ita esse instituenda & moderanda, ut suo tempore cœtui alicui admoti nonnisi proficua in medium adferant, resectis scholarum tricis, & inanibus disputationibus relictis. Certe Doctores publici, qui officium hoc negligunt, (ut verbis *celeb. Werenfelsii* utar) perinde faciunt, ac si sutor discipulum suum multa quidem futuro sutori non inutilia doceret, sed non doceret facere calceos. Vide ejusdem examen quæstionis: *Utrum habitus Theologiæ, qui debet esse in Ministro ecclesiæ, an qui esse debet in Doctore academico, plura requirat?* Necesse quidem est, ut cursu acade-

academico ad finem perducto in patentiorem eruditionis theologicæ campum exſpatientur, & ea particulatim excutiant, quæ ad munus V. D. M. rite obeundum facere poſſunt; at id non impedit, quo minus mature generalia V. D. M. officia ipſis tradantur & inſinuentur, cum reſpectu omnium articulorum religionis illi operam dare debeant, ut exactiorem eorum notitiam ſibi comparent, lectiſque etiam diſſentientium ſcriptis, ſolidam ſibi comparent rerum theologicarum peritiam.

XVII.) Inprimis autem cavendum, ne talia principia in ſyſtematibus ponantur, quæ virtutis chriſtianæ ſtudium ſufflaminare poſſunt, & ne ſubtiliores moveamus & non neceſſarias quæſtiones & definitiones, quibus poſtea rite explicandis & ſolvendis nosmet ipſos impares eſſe experientia edocti ſentiamus. Notum eſt pleroſque auditores noſtros in iis plerumque adquieſcere quæ imberbes didicere; extra dubitationis aleam poſitum, homines pleroſque mille effugia quærere, & ſua opinione reperire, quæ adverſus virtutis chriſtianæ exercitium & voluntatis divinæ præſtandi *poſſibilitatem & abſolutam neceſſitatem* Chriſtus & Apoſtoli in medium attulerunt (*). Non igitur talia ſunt in medium proponenda, quæ illis materiem ſuppeditent, in falſis ſuis præjudiciis pervicaciter permanendi. Inprimis vero duo ſunt articuli, circa quos rite explanandos & circumſcribendos ſumma opus eſt prudentia: *prior* verſatur circa notionem *libertatis humanæ; alter* circa *impotentiam moralem*, reſpectu habito ad actiones vere bonas & chriſtiano homine dignas. Quod ad libertatem humanam pertinet, nemo non videt eam ad religionem exercendam neceſſariam eſſe. Sine hac nulla poteſt eſſe obligatio, nullum præmium vel pœna. Eam nobis ineſſe cottidie experiundo ediſcimus; proinde videndum, ne ita loquamur, quemadmodum *Spinoza* locutus eſt, qui decipi nos clamavit, quando aſſerimus, nos libertate eſſe inſtructos, cum fatali neceſſitate ad ita vel aliter agendum impellamur. Et profecto abſonum eſt, propter auctoritatem *Auguſtini* alicujus, aut alterius Doctoris magnæ auctoritatis, contra ſenſum communem & internam eamque cottidianam ſenſationem & experientiam, libertatis notionem mutare velle. Profecto

(*) Legat S. Litterarum ſtudioſus duos ſermones ſacros τα μακαριτα celeb. Werenfelsii de poſſibilitate & abſoluta neceſſitate ſervandi præcepta Chriſti.

fecto ita semper loquitur Scriptura sacra cum hominibus tanquam liberis; neque finis revelationis nobis concessæ obtineri posset, nisi homines facultate ornati essent, pro idearum, sensationum, & voluntatis diversitate ita vel aliter judicandi & agendi. Neque putandum propterea, doctrinam de gratia aliquid detrimenti pati, si adferamus hominem libertate esse instructum: hac enim genuina definitione libertatis, quam quisque sibi inesse experiundo quotidie sentit, posita, nihil derogatur gratiæ divinæ. Eam enim initio veræ & salutaris conversionis, in progressu & fine necessariam esse, non obstante libertate, S. Litterarum clarissimis testimoniis probari posse manifestum est. Neque ad hoc probandum necesse est, ut hic ad modum *physicæ operationis* in hoc negotio admodum sis attentus. Sufficiat tibi testimonium Apostoli Jacobi, quod extat cap. I. v. 17. suæ epistolæ, ubi ait: πασα δοσις ἀγαθη, καὶ παν δωρημα τελειον ἀνωθεν ἐστι καταβαινον ἀπο του πατρος των φωτων, παρ' ᾧ οὐκ ἐνι παραλλαγη, ἢ τροπης ἀποσκιασμα. Ita ubi quis sufficientem habet cibum & potum ad sustentandam vitam, non sollicitus est, per quem mechanismum cibus in chilum mutetur. Certe si Theologi ulterius progressi non fuissent, tot lites & contentiones exortæ de hac materia nunquam fuissent. (*)

Alterum de quo dixi, non minus momentosum est, & ad animos hominum vel pestilenti opinione imbuendos, vel ad virtutis studium incitandos, plurimum habet adjumenti. Et hoc est argumentum de *impotentia morali*, ad actiones vere bonas vel exercendas, vel non exercendas. Atqui hic quidem systematis theologici auctor prudentissime ratiocinari debet. Novimus eheu! pervulgatam esse inter plerosque Christianos opinionem, plane pestiferam, reli-

(*) Similiter judicat celeb. WERENFELSIUS in thesibus de gratia convertente pag. 483. Edit. N.
„ Ægrotus (inquit) ut convalescat Medicum accersit, illi in omnibus paret, „ præscriptis ab illo remediis utitur, non sollicitus, ex quibus herbis, & „ qua dosi admixtis, medicamenta singula componantur. Hoc imitandum „ esset spiritualiter ægrotis, quales sunt omnes peccatores irregeniti. His „ satis esse deberet exacte nosse & facere, quæ sibi supremus animarum Me- „ dicus præscribit; quæ & quanta gratiæ divinæ dosis & mensura postuletur „ ad cujusvis plenam sanationem, hujus cognitionem sibi neutiquam neces- „ sariam infinitæ scientiæ Medici tuto possunt relinquere. „ Vide ejusdem dissertationem Tom. 2. de libertate humana.

religionis quidem præcepta esse sanctissima; at eheu! testibus Theologis & concionatoribus, nostram naturam ita esse corruptam, ut ad qualiacunque opera bona, etiam externa exercenda, sit plane inepta; exspectandum ergo esse, dum insuperabilis Dei accedat vis & efficacia; hac accedente, negotium hoc per se felicem successum habiturum. Quin talis opinio homines plerosque, qui non tam rationibus quam pravis affectibus reguntur, a pietatis studio retrahere possit, nemo non, qui quid verum falsumque sit callet, deprehendet (*). Igitur ne talibus consectariis ullus sit legitimus relictus locus, prudentissime loquendum est. Quod si *simplicitatem & prudentiam* theologicam sequitur auctor systematis, asseret: 1.) verissimum esse, post peccatum Adami homines ad bona præstanda & veras virtutes exercendas non æque esse aptos & proclives, ac futuri fuissent, si primi parentes nostri divinis præceptis obtemperassent; neque insuper negari posse, corruptionem generis humani valde esse magnam. 2.) Certum tamen esse, homines corruptos licet, posse tamen sibimetipsis cavere a vitiis societatem civilem turbantibus, v. gr. mendaciis, furtis, adulteriis, homicidiis, quandoquidem per solius legis naturalis observantiam, metumque pœnarum homines gentiles etiam ab his retrahi possint. 3.) Ostendendum serio, Deum, Christum & Apostolos, etiam post lapsum, hortari omnes christianæ disciplinæ alumnos, ut præceptis Dei obediant, vitamque vivant Deo & christiana religione dignam. Hoc probare innumera Codicis sacri loca, in quibus ad omnis generis virtutes exercendas gravissimis rationibus Christiani invitentur, & quidem additis promissionibus & comminationibus; imo Deum æterno exitio addicturum præcepta sua negligentes, & pios præceptorum suorum custodes, quan-

(*) Ante me hoc notavit *ὁ μακαρίτης* celeb. WERENFELSIUS in dissertat. cur incitamenta Scripturæ sæpe sint inefficacia. Inter præjudicia enim multorum Christianorum etiam hæc duo ponit: „ Quod nimirum emendationem „ vitæ, toties ipsis inculcatam, non considerent ut sua officia, ad quæ præ„ standa omni nisu & conatu omnibusque viribus sit contendendum, sed ut „ opus, quod Deo in solidum sit relinquendum: qui cum redarguantur ob „ periculosam resipiscentiæ procrastinationem, hanc non magis sibimetipsis „ imputandam autumant, atque iis, qui jam ante multa secula mortui „ sunt, vitio verti potest, quod nondum resurrexerunt. „
In seq. dein haud obscure docet, crudiores quorundam Doctorum locutiones ejusmodi pestilentibus opinionibus occasionem dedisse.

quantum in hac rerum caligine fieri poteſt, contra præmiis cœleſtibus, id eſt excellentiſſimis, remuneraturum. 4.) Ex hiſce neceſſario ſequi, non ſolum poſſibile, ſed & neceſſarium eſſe, ut ſanctiſſima Dei præcepta cuſtodiantur, neminem enim ad impoſſibile obligari poſſe. 5.) Cum vero virtus chriſtiana ex voluntate vere emendata oriri debeat, neceſſum eſſe ut *auxilio divino* mentes humanæ emendentur, purificentur, & verum robur illis accedat. Hoc auxilium Deum nemini denegaturum, ubi quis ſeria pœnitentia tactus, & virtutis exercendæ in poſterum ſtudio intentus ſit. 6.) Ex quo ſequitur, loca, quæ de impotentia morali in S. Litteris referuntur, non nimis eſſe urgenda, & ultra ſcopum extendenda, nedum nimiis rethoricationibus adaugenda, quoniam ita omnis virtutis ſtimuli in animis hominum ſupprimerentur. 7.) Denique fatendum, omnem felicem ſucceſſum virtutis & officiorum, ab homine chriſtiano præſtitorum, Dei *benevolentiæ* & *auxilio gratiæ* in ſolidum eſſe adſcribendum, eumque perpetuis ſuſpiriis, dum ſpiramus, eſſe exorandum, ut ad finem uſque vitæ noſtræ auxilio ſuo & favore paterno nobis potenter adeſſe velit. Perinde igitur erit Theologo prudenti & ſimplicitatem amanti, quo vocabulo vel phraſi cognominetur hoc auxilium divinum, modo ejus neceſſitatem agnoſcat & profiteatur. Vix crediderim Theologum Reformatum prudentem, & argumenti hujus probe gnarum, huic ſyſtemati de impotentia morali hominis ita rite propoſito refragaturum. Audi quomodo & quibus verbis ὁ μακαρίτης celeb. *Werenfelſius* valedicat diſputationibus de Gratia.

Epigramma operibus ſuis ſubjectum de hoc argumento ſic ſonat:

Tua Deus de gratia
Mihi diſputare non lubet,
Et diſputare non vacat.
Sat eſt mihi cognoſcere,
Et uſque perſentiſcere,
Non poſſe me per horulam
Tuo carere Spiritu:
Nil poſſe me, nil eſſe me

Cum deserit me gratia,
Et desinit caliginem
Sordes & ægritudines
Mentis meæ dispellere.
Cum cessat ista gratia
Cor excitare torpidum,
Cor frigidum succendere,
Cor recreare languidum,
Firmare mentem debilem,
Pacare pectus turbidum.
O detur hanc, detur mihi,
O detur hanc, jugi prece,
Ardentibus suspiriis.
Votisque non cessantibus
Usque impetrare gratiam!
Hanc fervidis amplexibus
Arcte tenere perpetim,
Ejusque donis perfrui,
Hunc Spiritum dum traxero!
Vos interim contendite
De gratia; quibus vacat,
Et quos juvat contendere;
Graviora dum cor occupant,
Dum quæro gratiam Dei,
Anhelo gratiam Dei,
Imploro gratiam Dei;
De gratia diutius
Mihi disputare non lubet,
Et disputare non vacat.

Quis Theologus, disputationibus de gratia Dei valedicturus, efficacius, nobilius & majore cum pondere loqui posset de gratiæ divinæ constanti & perpetua necessitate (*)?

VII.

(*) M. Erasmi sententia de hoc argumento brevis est & ita sonat: „ Mihi „ placet eorum sententia, qui nonnihil tribuunt libero arbitrio, sed gratiæ „ plurimum; nec enim sic erat vitanda scylla arrogantiæ, ut feraris in charybdum desperationis aut socordiæ. „

VII.

Inprimis vero opera danda Theologo, simplicitatem vere christianam commendaturo, ut doctrinam de *fide in genere*, *justificante vero in specie*, rite, id est clarissime explicet ac tradat. Hic profecto summa prudentia opus est. Mille & mille inter Christianos homines confusissimas habent de fide opiniones. Sunt, qui propterea, quod religioni christianæ nomen dederunt, putent, se eo ipso omnium bonorum, quæ religio christiana veris suis professoribus promittit, possessores legitimos esse: alii in orthodoxiæ constanti professione veræ fidei naturam repositam esse existimant: rursus alii nescio quam confidentiam, nullis certis argumentis superstructam, in censum veræ & salutaris fidei referunt; sunt denique qui fidem salutarem, quam Theologi justificantem appellant, a seria pœnitentia & mandatorum divinorum custodia separatam, veram tamen esse posse sibi persuadent. Quæ causa sit, cur plures inter Protestantes in media luce circa hoc argumentum cæcutiant, quæritur merito; duplicem ego fontem reperio. *Prior* est, quod homines pravis adfectibus constricti velint sibi persuadere, pietatis studia non adeo esse necessaria, firmamque persuasionem de efficacia mortis Christi ad omnes cordatos confessores hujus articuli sufficere, ad beatam immortalitatem consequendam: horum hominum numerus est maximus, licet in cæteris persuasi sint, in V. & N. Testamento veræ pietatis studium commendari. *Posterior* vero causa in eo est reposita, quod non satis clare & perspicue quidam V. D. M. & Theologi de hoc argumento differant. At præstat hac in parte (missa operosa disquisitione causarum, quæ erroribus istis ansam dederunt) ea præsidia in medium protulisse, quæ Theologo *simplicitatem* consectaturo observanda sunt; ad sequentes vero articulos omnia revocanda esse puto.

Idem argumentum continuatur.

1.) Definitionem *fidei* in genere esse exhibendam, quod nimirum sit assensus veritati alicui datus, qui nitatur alterius testimonio: hanc fidem niti & roborari testium *qualitate* & *numero*.

2.) Fidem distingui in *cæcam* & *oculatam*. *Cæcam* niti popularibus rationibus, id est antecedentium turba, traditionibus incertis, testibus nulla fide dignis, aut rationibus infirmis plane, vel prorsus ineptis. Hanc nomine fidei esse indignam, præprimis in rebus ad religionis negotium spectantibus. *Oculatam* vero vel certis vel

probabilibus argumentis, vel testimoniis fide dignis esse suffultam.

3.) Fidem distingui in *humanam* & *divinam.* Humanam niti testimonio hominum, qui verum dicere & potuerint & voluerint; divinam vero auctoritate testium a Deo ipso ad veritatem novam declarandam vocatorum.

4.) Cum certis indiciis constare debeat, utrum hi testes, qui veritates divinitus oblatas adferunt, fide digni sint nec ne: ante omnia necesse esse, ut primum veritas historiae religionis christianae probetur, argumentaque omnia adducantur, ex quibus jure colligi possit, rem, quam *facti* esse dicunt, veram esse.

5.) Probata veritate rei gestae, sufficientibus testimoniis confirmatae, dispiciendum, utrum hi testes in medium producti talia dogmata & praecepta in medium adferant, quae neque contradictoria, neque Dei virtutibus contraria sint; talia enim homo veritatis amans admittere non posset. Neque hoc sufficit ad inquirendam fidei christianae imaginem. Videndum igitur est, utrum non in illa revelatione talia tradantur, quae legi naturali rite intellectae nonsolum non sint contraria, sed & quae majorem generi humano adferant lucem, & respectu cognitionis pariter & morum majora ad pie vivendum adferant praesidia & incentiva.

6.) Postquam homo amore veri inductus, nonsolum de veritate rerum gestarum, quantum natura argumenti patitur, sed & de dogmatibus & praeceptis religionis christianae satis est persuasus, oritur exinde *definitio* fidei christianae *generalis*, omnibus illis communis, qui religionem christianam, in quascunque tandem sectas scissam, vere amplectuntur. Patet autem ex dictis, fidei christianae nomine indignam esse professionem, ubi quis propterea religioni christianae nomen dat, quod his in locis natus sit, ubi ea floret, aut sine accurato instituto examine qualemcunque adsensum pro fide christiana venditat.

7.) Cum in libris, in quibus religio christiana traditur, non omnia ejusdem sint valoris, & quaedam in N. Testamento cumprimis, tanquam ad salutem cognitu necessaria repraesententur, probe dispiciendum est, ut dogmatum gravissimorum habeat, quantum ingenio quisque suo id obtinere potest, cognitionem accuratam, eaque inprimis consideret tanquam totidem ad pietatis studium incentiva. Mera enim speculatio nihil confert ad pietatem, etiam si sit pro-

fundis-

fundiſſima & ſubtiliſſima. Unde ſimul inculcandum auditoribus, dogma, quod nullos ad pietatem ſtimulos in animis hominum excitare aptum ſit, non magnopere eſſe curandum.

8.) Inter vero præcipua dogmata, in revelatione detecta, hoc eſt, quod nimirum in gratiam miſerorum hominum Deus in mundum miſerit Chriſtum Jeſum, antea Judæis promiſſum, qui violentam pro hominibus obierit mortem, & qui ex intentione Numinis unica ſit reconciliationis noſtræ cum eo cauſa, fineque hoc detecto & clariſſimis teſtimoniis S. Litterarum confirmato, manifeſtum plane eſt, omnes, qui Chriſti genuini ſectatores eſſe volunt, nonſolum religionem chriſtianam pro divina reputare, ſed & eoſdem articulum hunc *ſpecialem*, redemtionem nimirum per Jeſum Chriſtum factam, unicam & propriam cauſam eſſe ſalutis conſequendæ, tueri, & corde ac ore confiteri; ad Jeſum Chriſtum tanquam unicam propitiationis noſtræ cauſam confugere, omnibuſque votis ac deſideriis mortis ipſius vim ac efficaciam expetere debere. Hinc emergit paulo *ſpecialior* & magis *definita* fidei chriſtianæ *definitio*. Ubi monendum, unumquemque obligatum eſſe, pro cognitionis ſuæ modulo, ea quæ de perſona Soteris hujus, de ſtatu & officiis illius in N. Teſtamento repræſentantur, ſedulo ſcrutandi, eumque in finem nonſolum quatuor Evangelia, ſed & cætera N. Teſtamenti ſcripta diligenter evolvendi. Pro cujuſque certe ingenio, ſtatu & labore, quem quiſque in hoc examine inſumſit, Deus cordium ſcrutator, ubi adſcriptus pœnæ dies advenerit, judicaturus eſt. Hinc ipſe etiam celeb. ***Lokius***, qui inter articulos fundamentales omni Chriſtiano credendos hunc unum præcipue poſuit, nimirum *Jeſum Nazarenum eſſe Meſſiam*; nihilominus tamen aſſeruit, omnes teneri ſedulo ſcripta Novi Teſtamenti evolvere, & articulos omnes, quos in ſcriptis Apoſtolorum clare manifeſtatos eſſe deprehendunt, credere.

9.) Licet autem hæc confeſſio de Jeſu Chriſto, unico noſtro Sotere, oppido neceſſaria ſit, & ad fidem neceſſario requiratur, nondum tamen eam *ſalutarem* & *juſtificantem* appellare poſſumus; partim quod hæc perſuaſio & publica confeſſio conſiſtere poſſit fine vera mentis mutatione, & ſine Chriſti Jeſu vero & ſincero amore; partim quod Chriſtus & Apoſtoli plura ab iis requirant, qui firmam conſequendæ ſalutis ſpem habere volunt: ubique enim de neceſſitate pœnitentiæ & obſervantia mandatorum Chriſti loquuntur.

Viden-

Videndum ergo ulterius, quid ad persuasionem illam, si salutaris esse debeat, requiratur, ne homines sibi imponant, & confessionem illam solam characterem certum & infallibilem esse putent hominis vere christiani.

10.) Jam vero si ad veram naturam amoris Jesu Christi attendamus, considerati tanquam Soteris nostri unici, manifestum erit, hanc *fidem* cum vera *pœnitentia* & mandatorum divinorum *observantia* indivulso nexu conjunctam debere esse; licet enim mors Jesu Christi proprie loquendo unica causa nostræ justificationis & salutis sit, nihilominus tamen Evangelium ab omnibus, qui expiationis illius per Christum factæ participes esse volunt, requirit nonsolum confessionem veritatis illius capitalis, sed etiam ex hac persuasione fluentem vitæ mutationem, quæ pœnitentia & mandatorum divinorum observantia absolvitur. Hoc docet universus scopus adventus Christi in mundum. Paulus in epistola ad Titum cap. II. v. 11. hoc clarissimis verbis (ut plura loca non adducam) testatur, dicens: ἐπεφανη γαρ ἡ χαρις του Θεου ἡ σωτηριος πασιν ἀνθρωποις, παιδευουσα ἡμας, ἱνα ἀρνησαμενοι την ἀσεβειαν και τας κοσμικας ἐπιθυμιας, σωφρονως, και δικαιως, και εὐσεβως ζησωμεν ἐν τω νυν αἰωνι. Atque in hoc *vera fidei salutaris natura strictissimo sensu sumta* consistit. Ex quo simul patet, refugium ad mortem Jesu Christi, tanquam unicam reconciliationis nostræ causam, ad fidem salvificam necessario pertinere (*). Atque hoc jugiter in catecheticis institutionibus, sermonibus sacris, & systematibus est inculcandum, ne homines vaga & falsa fidei idea decepti se ipsos misere fallant. Cumque experientia quotidiana testetur, multos Christianos doctrina de Sacramentis vehementer abuti, atque existimare, una cum externo eorum usu gratiæ singularis communicationem sine mentis tamen mutatione esse conjunctam; Theologus, qui *simplicitatem & veritatem simul amat*, prudenter

(*) ὁ μακαριτης celeb. TURRETTINUS in cogitationibus suis de variis Theologiæ capitibus pag, m. 295. thesi 98. hanc salutaris fidei definitionem exhibet. „ Veræ (inquit) fidei idea, minus forte scholastica illa, sed tanto „ magis evangelica & apostolica, hæc est; eam esse talem assensum Evan„ gelio præbitum, tam sincerum, tam firmum, tam vividum, tam effi„ cacem, ut res cœlestes, licet futuras ac invisibiles, nobis velut præsen„ tes sistat, nos totos Deo mancipet, denique non tam nos ipsos, quam „ Christum in nobis vivere faciat. „

denter & clarissime de hoc argumento loqui debet. De qua materia tamen, cum data opera duabus dissertationibus egerim, plura non addam.

VIII.

Sed pergimus, atque ad alia progredimur, quæ Theologo, systema Theologiæ conscripturo, & simplicitatem theologicam sectaturo, observanda sunt. Et primo quidem loco notum est, ad certas quasdam etiam minoris momenti controversias defendendas sæpe adhiberi distinctiones quasdam frivolas, quæ risum potius movent sapientioribus, quam ut ad defendendam veritatem quicquam conferant, indignæ insuper quæ systemati inserantur, cum nil nisi utile, grave & momentosum continere debeat systema vere theologicum. Unum vel alterum exemplum adduxisse juvat. Plerique Theologi admittunt dari peccatum aliquod originale, idque ex revelatione probant, ex qua constat, homines post peccatum, a protoplastis commissum, minoribus ad recte agendum viribus esse instructos, quam futuri fuissent, si primi parentes non peccassent. In hac propositione generali subsistere potuissent Theologi. At hoc sufficere non potuit scholasticis ingeniis; modum determinare voluerunt, quomodo mentes jam quidem creatæ, sine justitiæ divinæ & bonitatis læsione, corporibus inserantur: an nimirum quam primum e manibus, ut ita dicam, Creatoris prodeunt, sint omnis labis expertes, an vero labe peccati originalis infectæ: primum adserere noluerunt, quia originale peccatum ita tolli existimabant; neque posteriori sententiæ album calculum adjicere voluerunt, veriti ne Deus auctor peccati statueretur. Quid igitur faciendum in ancipiti hoc casu? distinctionem nimirum excogitarunt hanc; mentem noviter creatam in corpus immitti non *puram* neque *impuram*, sed *non puram*. At quis bone Deus! futilitatem hujus distinctionis non percipit? quis distinctionem illam inter *impuram* & *non puram* concoquere poterit? & tamen hoc non obstante in systematibus quibusdam hæc distinctio locum adhuc habet. Qualem autem utilitatem ex his frivolis distinctionibus percipiet tandem homo pietatis studiosus? nullam, & si sapit illam ridebit. Similis est distinctio quorundam Theologorum in materia de concursu Dei. Nimirum

Inutiles quæstiones, & futiles distinctiones, longo annorum usu confirmatæ, sunt evitandæ, & e systematibus theologicis eliminandæ.

nescio quo gloriam divinam promovendi studio quidam commoti, dicunt, Deum singulis momentis omnes cogitationes & motus mentis excitare & producere, atque non minus bonarum quam malarum actionum physice consideratarum auctorem esse. Hominem ipsum in actionibus, quæ malæ dicantur, auctorem esse malitiæ, quæ actioni physicæ inhæret; Deum vero in concursu illo actionis omnis realis, id est physicæ, auctorem esse, non item malitiæ. Hos si audias, verum erit, quod si quem in fluvium conjiciam, ita ut undis mergatur & pereat, impulsus ipsius & præcipitationis causa physica est Deus; peccati vero contra proximum commissi homo auctor est. Ita quæ inter se sunt conjunctissima, per frivolam distinctionem eludere volunt scholastici ingenii homines; cum tamen frivolæ hujus distinctionis neque in principiis rectæ rationis, nedum S. Litterarum ullum reperitur vestigium. Mera omnis distinctio hæc nititur abstractione, sed mentali, quæ nullibi est. Hinc cordatiores Theologi rotunde hoc confessi sunt. Vide opera *Werenfelsii* novæ editionis. (*) Plures ejusmodi frivolas distinctiones passim adhuc in systematibus reperiri αὐτοψία quemlibet edocebit.

At nonsolum ineptæ ejusmodi distinctiones passim adhuc reperiuntur in quibusdam systematibus theologicis, sed & offendas in iisdem multas quæstiones inutiles & pietati parum profuturas, quæ passim, & sæpe quidem prolixe, repræsentantur & refutantur: unum & alterum adferamus specimen. Ita sunt quidam, qui prolixe quærunt, qualis futurus fuisset generis humani status, si protoplasti non peccassent. Felicitatem autem illorum hominum, quos labis omnis expertes futuros fuisse tantisper ponunt, tantis elogiis extollunt, ut putares eos familiari commercio istorum usos esse. Cum vero paucis nobis Moses statum primorum parentum ante lapsum repræsentarit, atque jam quidem verissimum sit, illud Joannis: Quod ex carne genitum est, caro est; quæstio mihi supervacanea videtur, quales futuri fuissent homines si non peccasset Adamus.

(*) In nova hac editione extat dialogus de concursu Dei cum creaturis. De eo ita judicavit cl. RYHINERUS, qui novam hanc editionem procuravit. „ In quo (inquit) quid diversis Theologorum de hoc argumento opinionibus „ ortum dederit, distincte explanatur, simulque concursus prævius, sive „ dogma de physica prædeterminatione, indirecte quidem, sed invictis „ tamen argumentis refutatur. „

mus. Similiter prolixi sunt nimis quidam in imagine divina, qua ornati erant protoplasti, describenda, & ita argumentum hoc amplificant, ut cognosci postea vix possit, quomodo homines peccare potuerint. Suffecisset, si Theologi adseruissent, primos parentes egregiis animi & corporis dotibus fuisse exornatos, e manibus Dei prodeuntes. Potuit quin etiam Paulus ad Colossenses cap. III. v. 10. de imagine divina, ad quam fingendi sunt Christiani, verba fecisse, licet hoc ipso imaginis divinæ, quæ in primis parentibus locum habuerit, exactam definitionem nobis dare non ideo voluerit. Sufficit, si Christianos adhortemur, ut ad legem divinam & præcepta Christi, quantum in hac rerum fragilitate fieri potest, vitam suam componant, ita enim vivendo eos ad imaginem Dei, & ad innocentiam primævam propius semper accedere. Rursus quidam Theologi in suis systematibus anxie disquirunt, quid de infantium recens natorum, vel ante vel post acceptum baptismum immatura morte decedentium, salute statuendum sit. Quasi vero nostri officii esset hac in parte decretorium aliquod ferre judicium, quod tamen Deus nullis concessit Theologis. Sanctissimæ & æquissimæ hoc voluntati divinæ permittamus, qui omnes pro capacitate ingenii, viribusque leges divinas cognoscendi & observandi, judicaturus est. Cumque infiniti sint ut gloriæ sic pœnarum gradus, omnia sic disponet & temperabit Deus, ut nemo de severitate ipsius nimia conquerendi rationem sit habiturus. Exponant potius Theologi, quid requiratur ab iis, qui religionem christianam probe per vitam intellexerunt, sufficientibusque præsidiis fuerant instructi ad præcepta christianæ religionis custodienda, quam de iis sint solliciti, qui neque legem naturalem, neque Evangelium, ob ætatis defectum, intelligere potuerunt. Huc pertinet etiam quæstio minus momentosa de forma corporum, quam post resurrectionem habituri sint pii in altera vita. Maneamus tandem in iis, quæ ad summam rerum pertinent. Apostolus Paulus in Epistola I. ad Corinthios cap. XV. quædam sed obscurius de hoc argumento in medium protulit, quæ talia non sunt, ut secundum leges physicas cuncta accurate expendi possint. Quod si dicamus beatos post mortem, respectu mentis pariter & corporis, felices futuros, ea omnia dixisse videmur, quæ in hominibus vivam aliquam & solidam beatæ immortalitatis spem excitare possunt. Si mens majore luce tunc temporis collustrabitur,

 fieri

fieri non poteſt, quam ut, repreſſis pravarum inclinationum motibus, in rerum ſanctiſſimarum amore voluptatem quærat; corpus vero, qualecunque tandem ſit, modo ab omni imperfectione liberatum ſit, ea perſentiſcet, quæ ad tranquillitatem jucundiſſimam percipiendam facere poſſunt. Cæteræ quæſtiones mihi ſuperfluæ eſſe videntur.

Nimis etiam a quibuſdam Theologis doctrina de *fœderibus* Dei extenditur. Non quæram, utrum non melius fuiſſet, ſi ſyſtemata ſecundum præcipua capita religionis chriſtianæ adornata fuiſſent, quam ſub ſchemate fœderum repræſentata. Hoc tantum dico, in relatione illa, quæ inter Deum & homines intercedit, notionem fœderis cautiſſime eſſe adhibendam. Notum eſt, inter homines fœdera iniri poſſe, & non poſſe. At quis dicet, creaturas a Deo non ſemper dependere, atque adeo hac in parte pro lubitu imperium Dei agnoſcere poſſe, vel repudiare? Fœdera certis innixa ſunt conditionibus: homini vero nulli competit Deo præſcribere leges, ſecundum quas ipſi ſervire, vel non obedire velit. Fœdera certo temporis intervallo elapſo poſſunt abrumpi; at quis dicet, homines obligationi divinæ poſſe terminos ponere, ut de aliis parum commodis locutionibus, de aſtipulationibus & reſtipulationibus, quæ inter homines locum habent, & quæ parum prudenter ad Deum referuntur, nihil dicamus; quæ ex jure inter homines recepto petuntur & a ſtudioſis Theologiæ, harum rerum non ſatis gnaris, ut plurimum non intelliguntur. Quod ſi, quæ de fœderibus præprimis poſt lapſum protoplaſtorum dicuntur, rite examines, omnia huc redeunt; Deum pro infinita ſua bonitate voluiſſe nonſolum voluntatem ſuam de ratione ipſum colendi declarare, ſed & religionis cuſtodes cum in hac tum in altera vita ampliſſimis exornare præmiis, malitioſos vero legum tranſgreſſores graviſſimis ſubjicere velle pœnis. Ita doctrina de fœdere operum in ſtatu Innocentiæ nimis operoſe in ſyſtematibus repræſentatur. Præterquam enim, quod pauca de his referat Moſes, nihil aliud tandem poſt operoſas diſtinctiones dici poteſt de hoc argumento, quam hoc: homines in hoc ſtatu luce a Deo conceſſa recte utentes, & convenienter illi viventes, ſpem habere potuiſſe haud indubiam, Deum in hac & altera vita obedientiæ præſtitæ rationem habiturum. Subſcribo ſententiæ cl. *Vitringæ*, aſſerentis in doctrina chriſtianæ religionis, non multum intereſſe, utrum ſtatum pri-

morum

morum parentum sub notione fœderis, an potius obsequii naturalis concipiamus. *Illum statum* (inquit) *sano sensu fœdus posse vocari, & fœdus operum, non est quod quis dubitet. Tenendum tamen, in Scripturis hanc denominationem clare non extare; nisi forte huc reducere velis Hos. VI. 7. Quin potius historiam Mosaicam, ut nullam plane fœderis mentionem facit, sic e contrario hanc nobis notionem clare subjicere, Deum, ut absolutum & naturalem hominis Dominum, ipsum tractasse ut subditum, cujus affectus & obsequii voluerit capere experimentum.* Adde J. *Clerici artis criticæ caput V. part. II. sect. I.* Ita quoque *simplicitati* theologicæ contrarium est, quod in quibusdam systematibus theologicis doctrina de *Angelis* tam fuse repræsentatur. Quid enim hæc indagatio tam prolixa ad religionem & pietatem confert? in his capitibus nonsolum quidam Theologi agunt de bonis & malis Angelis, sed & de potestate utrorumque, de sagis, spectris, magis, incantationibus &c. in quibus multa traduntur, quæ obscura, ignota, & cognitu non necessaria, imo sæpe falsa sunt, & quæ ad religionis certe & pietatis studium promovendum parum faciunt. Philosophis permittamus, in suis de Pneumatica prælectionibus, celeberrimas suas in medium proferre conjecturas. Sufficiat Theologis, occasione data, dixisse & probasse, possibile esse, ut existant creaturæ humana potentia majores, generique humano vel amicæ vel inimicæ, & S. Litteras earundem existentiam multoties contestari. Quousque autem horum dæmonum, malorum pariter & bonorum, potestas sese extendat, & quomodo in corpora agant, ignotum esse mortalibus. Mittamus alia plura. Hæc exemplorum loco jam quidem adduxisse sufficit.

IX.

Cum vero in majoris molis systematibus de controversiis etiam, quæ cum errantibus intercedunt, agi soleat; paucis tantum articulis comprehendemus, ea quæ prudenti & simplicitatis christianæ amanti Theologo, veræque sapientiæ studioso, observanda sunt. *Breviter agitur de simplicitate in controversiis rite tractandis.*

Primus articulus: Qui controversias rite tractare, errantesque a pravis opinionibus revocare vult, ab una parte, quantum quidem id fieri potest, præjudicatis omnibus opinionibus & sinistris suspicionibus valedicere; ab altera omnibus illis disciplinis excultus esse debet,

quæ ad errantem convincendum requiruntur. Quod ad *prius* ſpectat, notum eſt, male de aliorum ſententiis judicare corruptum judicem. Sane controverſiarum tractator, qui ſub qualibet voce & phraſi latere ſcorpium exiſtimat, ſæpiſſime non ſolum injuriam infert erranti, ſed & hoc ipſo impedit, quo minus ἄτερ πάθων adverſarius rationes in medium prolatas rite expendat & examinet. Quod vero ad alterum lemma ſpectat, notum eſt, adverſarium eruditum omnem ingenii vim & eruditionis copiam adhibere, ut errori ſuo aliquem colorem conciliet. Quod ſi quis ſentiat, aut amicorum monitis edoceatur, ſe in iis diſciplinæ theologicæ partibus, de quibus controverſia agitatur, non ſatis verſatum eſſe, diſputationis ſerram non reciprocabit, ſed a controverſiis ſcribendis animum retrahet.

II. Controverſiarum tractator probe cognoſcere debet, in quo *vera orthodoxiæ natura poſita ſit.* Qui putat ad eam poſtulari, ut omnes minutæ opiniones a Patribus vel a Majoribus acceptæ, & in ſyſtematibus pleriſque ſervatæ, capitibus creditu neceſſariis adjungantur, non ſolum ipſemet aliquando evadet ridiculus, & controverſiarum nullum reperiet finem, ſed & ea impugnabit, quæ falſa ſunt, aut nullius momenti, errantemque in ſuis erroribus confirmabit; vide, quæ breviter ſed nervoſe de hoc argumento meditatus eſt cl. *Oſtervvaldius, eccleſiæ gallicæ Baſileenſis paſtor digniſſimus, in diſſertat. de orthodoxia, Muſei Helvetici* Part. VIII. inſerta. Eo magis autem ad hoc eſt attendendum, quod quælibet inter Chriſtianos ſecta (ut de aliis nationibus nil dicam) privilegium orthodoxiæ ſibi arrogare ſoleat.

III. Qui controverſias rite tractare vult, nonſolum ipſemet ſtatum quæſtionis rite cognoſcere debet, ſed & operam dare ut eum clariſſimis verbis aliis ſincere exponat & repræſentet. Omnes vel me tacente facile deprehendunt, eum adverſario ſufficientem lucem non adlaturum, qui ipſemet erroris naturam & indolem probe perſpectam & cognitam non habet. Ad id autem obtinendum plura, quam vulgo putatur, requiruntur. Multi controverſiarum tractatores non ex ipſis libris errantium, totoque ſyſtematis nexu, ſed ex ſcriptoribus polemicis ſuæ ſectæ addictis, qui rariſſime veram & nativam errorum naturam repræſentare ſolent, ſapiunt. Quibuſdam in locis periculoſum eſt, adverſariorum graviterque errantium ſcripta evolvere, imo novaturientis ingenii ſignum eſſe credunt infallibile,

ſi

ſi S. Litterarum cultor, etiam maturioris ætatis, diſſentientium ſcripta gnaviter evolvit, & cum receptis publice ſententiis ſedulo confert. Hinc factum eſt, ut infeliciter multi cum adverſariis in arenam deſcenderint. Dari inſuper multos, qui ſtatum quæſtionum controverſarum ſiniſtre repræſentent, ἀβλοψία, crebræque virorum doctorum querelæ ſatis ſuperque docent. Vix duos de religionis negotiis inter ſe mutuo diſputantes reperias, qui non clament, injurias ſibimetipſis eſſe illatas, maleque ſuas ſententias fuiſſe repræſentatas. Imo non raro factum eſt, ut illi, qui ſincere errantium ſententias delineaverant, ipſimet, quaſi errantibus faviſſent, ſuſpecti habiti fuerint. Pluribus exemplis hoc oſtendere poſſem, ſed unum ad ſcopum, quem intendimus, ſufficit. Notum eſt cl. Theologum *Ludovicum le Blanc*, dictum *de Beaulieu*, diſſertationes edidiſſe contra eccleſiæ Romanæ placita. In his nonſolum ſincere & candide repræſentavit hujus eccleſiæ errores, ſed & doctiſſimorum hujus cœtus verba ipſa & teſtimonia adduxit, eaque ad minimos, ut in ſcholis loqui ſolemus, terminos redegit. Sed quid hac ſua ſinceritate lucratus eſt? nimirum hoc; multi ejus eccleſiæ addicti pravas ſuſpiciones & obtrectationes contra ipſum excitarunt, vociferantes, eum emollire voluiſſe eccleſiæ Romanæ errores, propenſumque ſuum erga Romanenſes animum prodidiſſe (*).

IV. Con-

(*) Confirmat, quæ dixi, P. BAYLE in Lexico ſuo ſub titulo BEAULIEU: verba ſic ſonant. „ Il y (de theſibus ejus theologicis loquitur) traite avec „ une merveilleuſe netteté d'eſprit, & avec beaucoup de pénétration, les „ plus importantes matiéres de la Théologie, & il s'attache principalement „ à écarter le mal entendu, qui a tant multiplié les controverſes. Il cherche l'état de la queſtion, il débrouille les équivoques, & il fait voir „ qu'il y a bien des diſputes, que l'on croit réelles, qui ne ſont que des diſputes de mots. On ne ſauroit croire le tort, que cela lui fit auprès d'une „ infinité d'ignorans, qui s'imaginérent, qu'il ne cherchoit qu'à faire „ rentrer les Reformés dans la communion Romaine. Ceux qui connoiſſoient ſa vertu & ſa piété, n'avoient garde de le ſoupçonner de céla: ceux, „ qui étoient capables de bien juger de ſes theſes, ne l'en ſoupçonnoient „ point non plus; mais combien y avoit-il de gens dans les Provinces éloignées, auxquels il n'étoit connu, que parce qu'ils avoient ouï dire, „ qu'il montroit, qu'en certaines choſes les Théologiens des deux partis „ n'étoient pas auſſi éloignés les uns des autres, qu'on les croioit? Ces „ gens-là, ſoit pour la crainte de voir diminuer les ſujets de diviſion, qu'ils

IV. Controverſiarum tractator prudens a refutandis minutis opinionibus & erroribus levibus cavere ſibi debet, & data duntaxat opportuna occaſione, quaſi in tranſitu, ἱστορίας ἕνεκα earum mentionem facere: ſciendi vero cupidos ad eos ablegabit, qui hiſtoriam litterariam theologicam enarrarunt. Minutos autem errores appello eos, qui in una eademque eccleſia ſalva pietate & amicitia poſſunt tradi; qui nullum detrimentum vel veræ pietati, vel capitalibus religionis capitibus afferunt. Profecto ſi de minutis omnibus inter Chriſtianos agitatis opinionibus agere vellet controverſiarum tractator, immenſa volumina illi eſſent conſarcinanda, qua ratione nonſolum reperturus eſſet lectores nullos, vel pauciſſimos; ſed & efficeret, ut ſtudium gravioris momenti controverſias cognoſcendi prorſus extingueretur.

V. Inprimis autem operam dare debet is, qui de controverſiis inter Chriſtianos agitatis ſolidum ferre vult judicium, ut *momenti controverſiarum* accuratam habeat notitiam. Ad eam vero conſequendam plurima requiruntur. Præſto hic adeſſe debet judicium acre; mira ingenii bonitas; animus a præjudicatis omnibus opinionibus, a ſectæ ſtudio, a metu collegarum ſecus ſentientium & zelotarum, a ſtudio partium ita alienus & veritati ita addictus, ut nulla ratione ſeſe in tranſverſum abripi patiatur. At quam pauci ad hoc præſtandum apti ſunt? omnes, qui ad ſcribendas controverſias animos appellunt, ab ipſa juventute audiverunt ſuæ in qua nati ſunt eccleſiæ fidei articulos laudari; contra vero atro carbone notari diſſentientium a nobis dogmata. Difficile inſuper redditur hoc officium, quandoquidem nonſolum ad momentum & controverſiæ in ſe ſpectatæ indolem, ſed & ad naturam diverſam ingeniorum, ad occaſiones minus vel magis frequentes, dogma aliquod religionis cognoſcendi & examinandi, ad majorem denique vel minorem articuli religionis in S. Litteris detecti claritatem vel obſcuritatem

„ auroient mieux aimé que l'on augmentât, ſoit par la mauvaiſe coutume „ ou d'interprêter les choſes en mal, ou de croire temerairement ceux „ qui donnent un mechant tour aux actions de leur prochain, ſe repréſentoient Mr. de Beaulieu comme un faux-frére, qui travailloit au grand „ deſſein de réunir les Egliſes, duquel le Cardinal de Richelieu s'étoit „ entêté. „ Legenda ſunt reliqua, quæ in hoc articulo de hoc argumento dicuntur.

tem attendendum est. Profecto neglectus hujus consilii effecit, ut paucissimi felices in ponderandis controversiis fecerint progressus. Quidam enim minutarum controversiarum pondus ita in majus extulerunt, ut putares, errantem aut insanire, aut effrenatæ esse malitiæ reum. Solæ illæ controversiæ, inter Reformatos & Lutheranos agitatæ, exemplo esse possunt, quam graviter in hoc negotio peccatum fuerit. Mirum sane posthac non est, si multi controversiarum tractatores pro meris habeantur rixatoribus. Plura de hoc argumento addi & possent & deberent, sed strictim duntaxat hoc argumentum hic tractamus. (*)

(*) Hanc regulam studiose observandam esse duxit celeb. inter Remonstrantes Theologus EPISCOPIUS, si cl. LIMBORCHIUM in vita ejus audias. Ita enim rem exponit pag. 316. in ejus historia vitæ. ,, Eo opere (loquitur de ipsius institutionibus) non tantum inquisivit in veritatem singulorum do- ,, gmatum religionis christianæ, sed etiam momentum eorum, necessita- ,, temque expendit, ut viam sterneret paci & concordiæ in ecclesia christiana. ,, Omnes Theologi officio suo satis se defunctos credunt, si veritatem suæ ,, sententiæ, ut putant, & falsitatem adversariorum doctrinæ probent; ,, judicantes sese hoc facto jure a suis adversariis separatos manere. Plane ,, aliud sentiebat Episcopius; putabat, homines varias quidem tueri posse ,, sententias, attamen una in ecclesia & communione conjunctos remanere; ,, quando nempe dogmata in controversiam vocata non sunt ejus momenti, ,, ut circa ea errans extra salutis spem constituatur, sed ut salutiferam fi- ,, dem nihilominus retineat, eamque confiteatur. Eum in finem opus ,, id aggressus erat, ac postquam in cujusque dogmatis veritatem inquisi- ,, visset, statim subjungebat examen ejus necessitatis, ut videntes, quid- ,, nam necessarium esset, & circa id consentientes, in reliquis nos invi- ,, cem, licet sententiis variantes, fratres amice toleraremus, nec in par- ,, tes Christi ecclesiam divelleremus. ,, Imo hæc fuit omnium Remonstrantium sententia communis, prout id patet ex præfatione ad acta Ministrorum Remonstrantium synodalia. Auctor ita loquitur: ,, Religionem ,, Jesu Christi, Domini nostri, velut unicum beatæ immortalitatis thesau- ,, rum in pretio habemus: pro ea hoc quidquid est contumeliarum, odio- ,, rum, calamitatum, aliorumque malorum, sustinere gloriosum ducimus: ,, religionem autem in praxi, sive observantia mandatorum Christi, sub ,, æternæ gloriæ spe, sitam esse credimus. Ad praxin vero, tanquam ad ,, Lydium lapidem, dogmatum & controversiarum omnium necessitatem ,, utilissime ac certissime explorari statuimus, adeo ut, quæcunque ad hanc, ,, sive directe sive indirecte convellendam, labefactandam, aut imminuen- ,, dam, genio & proprietate quadam sua faciunt, falsa esse dubio omni

VI. Multum autem ad cognoſcendum *momentum* alicujus controverſiæ faciet, ſi ſollicite examinatur, utrum error veræ *pietatis ſtudio* officiat, nec ne. Quo magis error, *ſua natura* nimirum, non vero per longas conſequentiarum ambages, veræ, (non putatitiæ & ſuperſtitioſæ) pietati obeſt, eo magis gravis & periculoſus eſt, ſolidiſque eapropter argumentis impugnandus. Quo vero minus impedit, vel plane non, ut Deum, & quem miſit Filium ſuum, colam, officiisque chriſtiani hominis defungar, eo minus eſt periculum, vel plane nullum. Quot autem bone Deus! poſt felicia emendationis Sacrorum tempora ad noſtram uſque ætatem, magno cum fervore, etiam inter ipſos fratres, exortæ ſunt controverſiæ, quas ſi recte ponderaveris, nihil plane eas vel ad pietatis ſtudium excitandum vel imminuendum contuliſſe deprehendes. Quam bene egiſſent multi Theologi & V. D. Miniſtri, ſi tempus pretioſiſſimum utilioribus & gravioribus conſecraſſent laboribus.

VII. Cavendum inprimis ſedulo controverſiarum tractatori, ne infirmis argumentis utatur adverſus eum, quem graviter errare exiſtimat. Nihil enim magis progreſſui felici veritatis obſtat, quam imbecillitas argumentorum, quibus error, gravis cumprimis, impugnatur. Quod ſi uni aut alteri ſolido argumento admiſceat totidem aut plura argumenta, omni robore deſtituta, animus errantis in ſola contemplatione infirmarum rationum defixus erit, aggreſſorem contemnet, & ubi cauſam ſuam errans tueri ſuſtinet, impetum omnem effundet adverſus argumenta infirma; ſolidis etiam nullam vim tribuet, & ſua opinione triumphum deportavit. Profecto

„ procul credamus. Quæ vero hanc non convellunt, aut ad labefactandam & imminuendam eam non faciunt, de iis ſine ſalutis periculo (ſalva „ ſemper univerſali charitatis & prudentiæ lege) in utramque partem diſceptari poſſe exiſtimemus. Quæſtionibus, quæ in pura ſpeculatione „ conſiſtunt, & nec ſcientem ad ſalutem juvant, nec ignoranti nocent, „ epicedium ſcribi optaremus. „ Hactenus ille. Hodie certe omnes cordati & ſapientes Theologi Reformati ſimilem in modum pronuntiant de hoc argumento. Hoc manifeſtum eſt, cum ex iis, quæ de articulis fundamentalibus diſſerere ſolent; tum ex ſuppeditatis præſidiis, quæ ad pacem inter Proteſtantes ineundam & promovendam in medium adferre conſueverunt. Confer cum hiſce reſponſionem τȣ μακαρίτȣ celeb. Werenfelsii ad quæſtionem: „ Num hominibus jus competat, eos, quos in rebus ad eſſentiam „ fidei non pertinentibus errare judicant, ob ſolos ejuſmodi errores a S. „ Miniſterio excludendi. „

fecto male ſanis illis ſcriptoribus debemus, quod graves & pietati inimici errores tam altas in multorum animis egerint radices, ut haud facile ex iis evelli poſſint.

VIII. Ex ſupra dictis per ſe patet, errorem errantis non ſupra modum eſſe *exaggerandum*, cum quia ita injuria infertur erranti, tum quia errans in errore ſuo potius confirmatur, quam emendatur. Homines inſuper ſinceri & veritatis amantes a lectione talium ſcriptorum arcebuntur, & pro doctoribus umbraticis potius, quam pro veritatis cœleſtis propugnatoribus habebunt hominem ita rethoricantem. Satis miſer eſt homo, qui errorem fovet gravem & infeſtum pietati, neque adeo afflicto afflictio addenda.

IX. Diſputandum cum errantibus *placide* & *modeſte*. Hac enim ratione controverſiarum tractator animum errantis ſibi conciliat, ſaltem efficit, ut magis attente rationes, quæ contra ſuam ſententiam in medium proferuntur, audiat & examinet. Lectores inſuper veri amantes ex ejuſmodi ſcriptis ſingularem capiunt voluptatem & utilitatem. Ut autem hoc fiat ipſius negotii natura poſtulat. Vult enim controverſiarum tractator erranti fontem erroris monſtrare, eum in viam reducere, & veritatem demonſtrare. Quæ autem magis apta eſt ratio ſcopum ſuum obtinendi, quam placida argumentorum collatio? Animus certe hominis, qui irarum fluctibus æſtuat, nonſolum nihil lucratur, ſed facile ita in anguſtias cogitur ab adverſario, ut propter mentis confuſionem diſſentienti tela ſuppeditet, quibus adjutus victoriam reportat, vel ſaltem reportare videtur. Exemplum adfert celeb. *Werenfelſius* in diſſert. de controverſ. theol. rite tractandis, quod & hic extare volo. Verba τȣ μακαρίτȣ hæc ſunt: *De Perronio Cardinali, in vita P. Sarpii a Patre Fulgentio compoſita, me legere memini, illum Venetiis tantiſper commorantem, cum Sarpius aliique Veneti ipſi gratularentur tot triumphos in Gallia de hæreticis ita dictis actos, valde has victorias extenuaſſe Cardinalem & reſpondiſſe: Pugnam cum iſto hominum genere minime eſſe difficilem; obſervaſſe enim ſe, illos omnes hoc laborare vitio, quod valde in iram proni ſint; ſolere igitur ſe cum his congredientem inter diſputandum in illos jacere unum atque alterum dictum aculeatum; quo fiat, ut illi protinus ira accenſi ita turbentur & confundantur, ut facillimam ſibi reddant victoriam Quouſque in hac narratione hoſti fides ſit habenda, cujuslibet ſit judicium. Illud certo nobis documento eſſe debet, quantopere*

mansuetudo sit necessaria; quod hic tam terribilis causæ pontificiæ Hyperaspistes victorias suas non tam tribuit bonitati causæ suæ, quam nostrorum hominum iracundiæ.

X. Cum plurimi sint errantium idem systema sequentium, eligendus talis, qui adversariorum pariter & a nostra parte stantium judicio excellit, atque omnes ingenii nervos intendit, ad systema suum stabiliendum. Multi dantur inter omnes familias diffidentium inter se Christianorum, qui articulos præcipuos religionis, cui addicti sunt, prolixe satis repræsentarunt, & adversus opiniones aliorum vindicarunt. At paucissimi eo eruditionis, qui hoc in casu deposcitur, apparatu sunt instructi, ut systematibus suis conciliare aliquem colorem potuerint. Quibusdam deest accurata rerum notitia, & judicium acre: alii antecessorum suorum turbam sequuntur, testimoniaque eorum & argumenta, infirmissima licet, repetunt, neque illa examinare vel repudiare audent, metuentes, ne zelotarum quorundam insectationibus exponantur. Bene igitur agit controversiarum tractator, scriptoris graviter errantis systema impugnaturus, si talem eligit refutandum adversarium, qui omnium judicio subtilissime causam suam peroravit, omniaque collegit, quæ opinionibus suis præsidium adferre posse videntur. Ridiculum enim plane esset, talem sibi refutandum sumere auctorem, qui ipsorum adversariorum judicio ineptus plane esset, ad religionis, quam sequitur, articulos rite repræsentandos & vindicandos.

XI. *Ineptus zelus* in refutandis dissentientibus sedulo est evitandus, neque de caussis, quibus hic vel ille errans ad ita vel aliter sentiendum est inductus, sollicite est disquirendum, quoniam hoc nonnisi ad invidiam conflandam adversario est comparatum. Omni tempore in hoc argumento peccatum fuisse, nemini in historia ecclesiastica versato ignotum esse potest. Quidam ad adversarios refutandos accedunt animo adeo hostili & felle tincto, ut manifestissimum sit, eos veritatis eruendæ & in lucem protrahendæ exiguam curam habere; nubila illorum mens est vinctaque frenis: hinc etiam statim sibi victoriam promittunt; dein vindictæ cupiditate abrepti, de statu quæstionis & summa rerum recedunt, & ad ea prosiliunt, quæ non ad veritatem stabiliendam, sed ad adversarium exosum reddendum facere possunt, atque hic omnes plebis rumusculos incertos vel falsos convectare solent; studiose inprimis in caussas inquirunt, cur ad hanc vel illam

opi-

opinionem defendendam adversarius fuerit inductus; ubi semper tales reperiunt, quæ existimationi ejus aliquid detrahere possunt. Mox adversarius ille mature scripta suspecta orthodoxis evolvit; aut præceptoribus suis vacivas non præbuit aures; aut cuncta rigido examini subjicienda esse putavit; aut laudavit pietatem & eruditionem hominum, qui a sectæ, cui addictus est, decretis valde abhorrent; aut aliud tandem perpetravit, quod eum exosum reddere potest. Cum vero hæc omnia nihil plane faciant ad erroris falsitatem demonstrandam, vel ad veritatem probandam, nemo non videt, quam ineptus sit ejusmodi zelus, quamque aptus sit magis talis scriptor ad errorem confirmandum, quam vero ad eum tollendum. (*) Addere hisce volui salutare hoc monitum: nimirum per longe petitas consequentiarum ambages, quas ne centesimus quidem deprehendit auditor vel lector, cum adversario non esse pugnandum. At cum centies hæc a viris doctis inculcata sint, nosque data opera de hisce non agamus, pauca hæc de controversiis rite tractandis sufficere possunt.

(*) „ Præposteri zelotæ, sublato rerum discrimine, candida de nigris, & de „ candentibus atra facere solent, & ut magnus inter nostros Theologus lo- „ quitur, hæreseos ob levem quemque dissensum postulare alios, orthodoxiæ „ isti amorem interpretantur: quæsitis calumniis insectari, gravem & „ christianam increpationem: dolis in omnium odium atque invidiam „ adducere, piam sive fraudem sive artem: privare dignitate, fortunis, „ fama, atque existimatione, disciplinam ecclesiasticam: furere denique, „ zelum; charitatem, æquitatem, humanitatem, tantum non pro inani- „ bus habere nominibus videntur, quibus nunquam promtius utuntur quam „ ad faciendam aliis invidiam. „ Verba sunt cl. CONRADI, Professoris Theologiæ in Academia Franekerana, quæ extant in Orat. Inaug. de necessariis Theologi Polemici virtutibus.

MEDITATIONIS
DE
PIA ET CIRCUMSPECTA
In tradendis ſanctioribus diſciplinis ſectanda
SIMPLICITATE
Pars Sexta.

Sect. I.

Scopus Auctoris declaratur.

POſtquam in antecedentibus de præcipuis partibus Theologiæ ad veram ſimplicitatem reducendis egimus, reſtat, ut diſquiramus, qua ratione idem præſtari & poſſit & debeat in *Ethica chriſtiana*, quæ non poſtrema, ſed potius nobiliſſima, poſt Theologiam dogmaticam, pars eſt religionis chriſtianæ. Notum autem eſt ſatis, huic etiam præſtantiſſimæ diſciplinæ multa aliena paſſim & a ſimplicitate vera abhorrentia omni tempore admixta fuiſſe. Dolendum inprimis eſt, multos libros, ad pietatis ſtudium promovendum & acuendum ſcriptos, in manus tradi vulgi, qui minus apti ſunt ad genuinas ideas de virtutibus ingenerandas, cum tamen præcipua laus Theologorum & V. D. M. in eo quærenda eſſet, quod nimirum religionem & virtutem ita delineare poſſint, ut nemo non in earum admirationem rapiatur.

II.

Stylus multorum librorum ad

Ut autem detegamus cauſas, quæ efficiunt, quo minus Ethica chriſtiana nativa ſua ſimplicitate ornata ſit, cum ad *ſtylum* ipſum, quo

quo multi ſcriptores utuntur, tum ad *res ipſas* attendendum eſt. Triplici ratione a multis Ethicæ chriſtianæ ſcriptoribus peccatur. Et *primo* quidem multi myſticis, hyperbolicis, & allegoricis delectantur locutionibus, quarum vim verumque ſignificatum non tantum non intelligunt lectores & auditores, ſed & ipſimet auctores interrogati, ut diſtincte explicarent, qualem notionem verbis illis ſubjiciant, altiſſime ſæpe ſilerent. Peſſimum eſt, quod multi hæc omnia ſub neſcio cujus pietatis titulo venditare & defendere velint; quaſi vero obſcure loqui, vel ſcribere, certum indicium pietatis eſſet. Hac ratione etiam homines acutioris ingenii, ſed exiguo amore religionis tacti offenduntur, imo propterea magis magiſque ad incredulitatem propendent. Et quis hoc miretur, cum hominibus nulla imponi poſſit obligatio credendi res inintelligibiles plane, aut tam obſcuris verbis propoſitas, ut ſenſum ſub verbis latentem reperire nulla arte poſſint. Profecto ſi hi homines verum fateri vellent, manifeſtum eſſet, eos aut claro & perſpicuo ſtylo animi ſenſa exprimere non poſſe; vel ſingularis pietatis famam inter eos adfectare velle, qui in quo maſcula & ſolida pietas conſiſtat ignorant. Alii utuntur quidem phraſibus Scripturæ ſacræ, in quibus veritates practicæ Chriſtianiſmi continentur, ſed eas mirum in modum agglomerant, & intellectu difficilioribus obſcuriores addunt, imo exiſtimant, quo magis omnibus vocibus & phraſibus in verſionibus contentis, ſed nondum ſatis explicatis uti poſſint, eo magis ſe defungi exacti Ethicæ chriſtianæ ſcriptoris officio. Studium horum hominum laudarem, niſi a ſcopo, quem intendunt, aberrarent. Nimirum volunt Ethicæ chriſtianæ puritatem ſervare, ne cerebri commenta cum doctrina chriſtiana miſceantur. Hoc quidem laudabile eſt; aſt ſcire deberent, pleroſque lectores & auditores verum ſenſum ſub propoſitionibus practicis in Scriptura uſurpatis nondum intelligere; hinc neceſſe eſt, ut accuratus Ethicæ ſacræ ſcriptor primo claras & perſpicuas definitiones harum vel illarum virtutum chriſtianarum animo infixas habeat, & loco obſcuriorum expreſſionum ſubſtituat planas & omnium ingeniis attemperatas. Hoc niſi fiat, a pauciſſimis intelligetur. Cum genuini interpretis officium ſit, quantum fieri poteſt, accuratam vocum & phraſium ſignificationem exhibere, manifeſtum eſt, eum tam dogmatum quam præceptorum ſollicitam curam habere debere. Profecto inter cauſas non poſtremas ſupinæ

Ethicam ſpectantium a ſimplicitate vera recedit.

pinæ ignorantiæ, qua multi Chriſtianorum laborant, hæc etiam eſt, quod nimirum manibus multorum terantur libri ita dicti *practici*, in quibus obſcuriores & non ſatis notæ de religione phraſes & locutiones occurrunt. Hinc fit, ut ſæpe fanaticæ opiniones pro ſanctiſſimis ſententiis & veritatibus momentoſiſſimis habeantur. In omnium etiam ſimpliciſſimorum inter Lutheranos pariter & Reformatos manibus verſatur liber *Arndtii*, dictus *verus Chriſtianiſmus*; de auctoris pietate nemo non perſuaſus eſt; at omnes phraſes & ſententias ita eſſe comparatas, ut ab omnibus promiſcue lectoribus intelligi poſſint, ne ii quidem affirmabunt, qui beati viri ſcripta magni faciunt (*). Denique *tertio*, dantur Ethicæ chriſtianæ ſcriptores, quorum loquendi ratio ſcholam redolet; tot enim terminis ſcholaſticis utuntur & phraſibus, ex variis controverſiis petitis, ut auditores & lectores vim poteſtatemque verborum non ſatis intelligere poſſint. Unde hoc oriatur facile conjici poteſt: nimirum quidam ingenuis artibus animos non excoluerunt, hinc perſpicuis verbis aliis proponere non poſſunt ſuas cogitationes. Legerunt ab ipſa juventute hominum ſcripta, qui clari ſunt ob obſcuram linguam. Quidam exiſtimant eum eſſe præcellentiſſimum Theologum, qui omnes pravas etiam & nullius momenti controverſias in numerato habeat; unde fit ut incredibili cum voluptate notos ſibi faciant omnes terminos, & phraſes, quas adhibent Theologi, diſſentientes refutaturi, aut ſubtilia hoſtium argumenta neſcio quibus diſtinctionibus eluſuri. Hinc ubi ejuſmodi hominibus diſſerendum eſt de argumento aliquo morali, in alium ſibi delati orbem videntur, & in quotidianis etiam colloquiis terminos ſuos ſcholaſticos adhibere ſolent, non ſine nauſea audiendos. Multum denique ad ſimplicitatem Ethicæ chriſtianæ turbandam ii S. Litterarum interpretes conferunt, qui ſacras Litteras ſecundum quaſdam hypotheſes philoſophicas interpretantur, & inde dogmata theoretica & practica eliciunt, quæ poſtea nativam officiorum Chriſtianis incumbentium indolem minus apte repræſentant. Mature poſt exceſſum Apoſtolorum in hoc argumento peccatum fuiſſe hiſtoria eccleſiaſtica docet; utinam! poſt renatas Literas & emendationem Sacrorum

huic

(*) Varia Theologorum de hoc libro judicia vide apud Stollium in hiſtoria litteraria. Buddei Iſagog. Arnoldi hiſt. eccl. &c.

huic querelæ nullus fuiſſet relictus locus; ſed experientia contrarium teſtatur. Ad rem ipſam quod attinet, mecum ſentit, (ut alios plures ſilentio involvam) *nobiliſſimus Boyle*, in diſſertatione de *ſtylo S. Litterarum.* Inter alia ſic loquitur pag. 68. verſ. germanicæ. *Es giebet einige Leute von ſpitzigem Verſtande, die entvveder aus einer Neigung zu ihrer Kirche, oder durch die Authorität eines Menſchen, den ſie hoch achten, geblendet, feſt darfür halten, die metaphyſiſchen Grillen ſeyen ſehr nothvvendig eine Lehr zu erläutern, die in der Schrift gegründet iſt, oder es könne doch eine ſolche geſunde Lehre ſehr füglich dadurch aus derſelben hergeleitet vverden. Weshalben ſie die dunkeln, oder auch vvohl bisvveilen die klaren Oerter alſo auslegen, daſs ſie nicht allein den vvahren Verſtand der Wörter, ſondern auch vvohl ihre ſubtile Gedanken und Poriſmata da heraus zu führen ſuchen. Hiedurch pflegt es nun öfters zu geſchehen, daſs diejenigen, vvelche unter dem deutlichen Verſtande einiger Oerter, und unter den metaphyſiſchen Subtilitäten, vvelche der Schrift von ſolchen ſpitzfündigen Köpfen aufgedrungen vverden, keinen genauen Unterſcheid zu machen vviſſen, in allen ſolchen Sachen faſt lauter unvvidertreibliche Schvvierigkeiten vvollen anmerken, die doch deutlich genug ſeyn vvürden, vvenn ein verſtändiger und mit Vorurtheilen nicht eingenommener Leſer darüber käme.* (*)

III.

Ethicæ chriſtianæ ſtudium quammaxime cognitu eſſe neceſſarium, omnes ſanæ mentis homines fatebuntur, & qui illud negare vellet, teneretur affirmare, religionem & cultum Numinis, ut de officiis mutuis hominum nihil dicam, non eſſe neceſſarium. Utinam Ethicæ chriſtianæ præcepta clare & ſolide juventuti mature ſatis omnibus in locis traderentur! utinam in gymnaſiis omnibus, tanquam præcipua pars Theologiæ inculcarentur! utinam frequentiores audiremus conciones ſacras, ex ipſis Ethicæ chriſtianæ princi- **Ethica chriſtiana, licet quammaxime neceſſaria ſit, tamen multis in locis ſatis frigide tractatur.**

 piis

(*) Attentione digna ſunt verba Erasmi, quæ extant in paraphraſi N. Teſtamenti. „ Libellos (inquit) de Philoſophia chriſtiana paſſim circumferri „ velim, in quibus purus ille Chriſtianiſmus depictus ſit, non cæremo- „ niis judaicis, non commentis aut decretis hominum obnubilatus, de- „ nique non tetricus & aſper, ſed ut blandus & amabilis. „

piis petitas! forte melior esset cœtuum sacrorum inter Christianos facies, quam nunc est. At eheu! diffitendum non est, quibusdam in locis inter Christianos hoc studium satis frigide tractari, & tanquam *accessorium* aliquid considerari. Utinam inter ipsos Theologos nulli fuissent, qui Oratores sacros, Ethicæ christianæ studium inculcantes, præceptaque ejus publice & frequenter commendantes, pro suspectis habuissent! at experientia sæpe contrarium docuit. Si quæramus, quænam causæ sint tam præposteri judicii, facile illæ sine multo labore patebunt (*). *Prima* est, quod multi sacra tractantes,

(*) De neglectu Ethicæ christianæ etiam inter Doctores, Protestantium cœtibus addictos, ejusque causis ita cordate loquitur ὁ μακαρίτης cl. BERNARDUS, Nouvelles de la Republique des Lettres, Tom. XV. pag. 372. „ Ce qu'il y a (inquit) de remarquable, c'est, qu'il y a certains endroits „ dans le Monde, où l'on traite d'ignorans ceux, qui s'attachent à prêcher „ la Morale; ou, s'ils ont donné d'ailleurs d'assez bonnes preuves de leur „ savoir, on les accuse d'hérésie. Il ne faut pas donc être surpris, que „ dans ces endroits les Théologiens négligent la Morale, pour s'attacher „ uniquement aux dogmes; personne ne prend plaisir de passer pour ignorant, ou pour hérétique. Mais il est bon de dissiper une fois pour toutes ces faux préjugez, par lesquels on ne cesse d'en imposer aux personnes peu éclairées. I. Il n'y a point de Théologien dans aucune Communion chrétienne, qui ne croye, que ce qu'on appelle proprement les „ dogmes ou la Théologie ne soit d'une nécessité indispensable; quoique „ ces Communions ne conviennent pas ni dans le nombre, ni dans la nature, de ces dogmes essentiels. II. En second lieu on voudroit bien „ savoir, si les peuples commettent plus de péchés par raport aux dogmes „ que par raport à la Morale? S'il n'est pas vrai, que quant aux dogmes, „ généralement parlant, on en est suffisamment instruit, si on en excepte „ les plus grossiers du peuple, qui ne les apprennent guéres dans des sermons? S'il n'est pas vrai au contraire, qu'il n'y a point de Chrétien, „ qui ne commette tous les jours diverses fautes contre les devoirs de la „ Morale, & qui par conséquent n'ait besoin d'instructions & d'avis sur sa „ conduite? III. Ma troisiéme réflexion servira à repondre à une objection, „ qu'on fait ordinairement sur ce sujet, & lévera en même tems le préjugé „ dont j'ai parlé. On dit que chacun sait naturellement ses devoirs; qu'il „ n'est pas nécessaire d'en instruire le peuple, que c'est perdre le tems inutilement. Je puis assurer positivement le contraire, & je le puis assurer „ d'autant plus fortement, qu'il est evident que plusieurs personnes fort „ savantes sur les dogmes sont trés-ignorantes sur la Morale. Un Théologien, qui aura un peu l'expression en main, pourra sans peine faire un „ discours raisonnable sur un dogme de Théologie, après une demie heure de „ méditation; qui n'en fera pas un supportable de Morale, après s'y

ctantes, id quod eximium eſt in Theologia & pretioſum valde, non ſatis cognoſcant. Putant partem theoreticam articulorum religionis, & cognitionem eorum abſolvere id, quod in religionis negotio præcipuum eſt; cum tamen ſine applicatione eorum ad certa officia ſterilis plane ſit hæc contemplatio, & nullam in animos hominum vim habeat. Conſideranda ſunt omnia dogmata, quæ in revelatione continentur, tanquam totidem ad pietatis ſtudium incentiva. Neque eum in finem articuli religionis chriſtianæ revelati ſunt, ut ingenia noſtra acuamus; ſed potius ut præſtantia eorum rite perpenſa animi noſtri commoveantur ad ardentius pietatis ſtudium, quam quidem id fieri potuiſſet, ſolis ratiociniis ex Jure Naturali & Ethica philoſophica petitis. Atque hoc eo magis faciendum, quod videamus ipſa Juris Naturæ præcepta pedibus cottidie a Chriſtianis conculcari, quod vitium late graſſans ex eo inter alia etiam oritur, quod obſcuram valde & debilem officiorum ſuorum habeant

 noti-

„ être préparé ſept ou huit jours de ſuite. „ J'avoüe qu'on peut jaſer à perte de vûë ſur une vertu ou ſur un vice, ſur l'avarice par exemple, ſans beaucoup de préparation On peut dire en mille maniéres différentes, qu'il ne faut pas être avare, & qu'avare il ne faut pas être; faire des declamations pathetiques contre ce vice; dire que l'or qu'aime un avare n'eſt dans le fond qu'un peu de terre jaunie; citer le grand Alexandre, qui ne ſe réſerva que l'eſpérance, & étaler mille autres belles fadaiſes. „ Mais „ quand il faudra faire une juſte définition de l'avarice, fixer les bornes, „ qu'on doit donner à l'amour des richeſſes; pénétrer dans le cœur d'un „ avare; travailler efficacement à lui faire connoitre ſon vice, & à l'en „ faire convenir; découvrir les faux préjuges qui le jettent dans ce défaut; „ lui fournir les moyens de s'en défaire; appliquer des remédes ſpécifiques, „ à cette maladie particuliére de l'ame, peut-être verra-t-on, qu'il „ n'eſt pas auſſi facile, que l'on penſe, de raiſonner & de parler pertine„ment ſur l'avarice. Peut-être ſeroit-ce propoſer un Problême aſſez „ difficile à ſoudre à beaucoup de Théologiens orgueilleux, qui mépriſent „ les Prédicateurs de Morale, que de leur demander une définition bien „ juſte & bien préciſe de l'avarice. Ils doivent ſe ſouvenir, pour la ſolu„tion de ce Problême, que ce n'eſt pas une définition de nom, mais une „ définition de choſe, qu'on leur demande. J'ai été un peu long ſur ce „ ſujet, parce que j'ai voulu deſabuſer une fois pour toutes des perſon„nes, qui croyent, qu'il eſt beaucoup plus facile de prêcher ſur la „ Morale, que ſur la Théologie, & qui ſe ſont laiſſé prévenir par des „ gens, qui affectent de croire bien facile une choſe, dont ils ne ſe ſentent „ pas capables. „ Hactenus cl. Bernardus.

notitiam. 2.) Caufa eft, quod quidam nimio particularium controverfiarum examinandarum & difcutiendarum amore abrepti, a cultura Ethicæ five philofophicæ five chriftianæ retrahantur. Multi putant, eos ad faftigium fummum eruditionis theologicæ afcendiffe, qui omnes controverfias etiam minutiffimas, veteres pariter & recentiores, futiles pariter ac neceffarias, perfpectas habeant. In harum rerum notitia, & cognitione objectionum & refponfionum ita delicientur, ut tantum non cætera ftudia, quæ ornamentum verum adferunt religioni & theologiæ, negligant (*). *Tertia* caufa oritur ex eo, quod nimirum quidam putent, facile ex horum vel illorum dogmatum cognitione corollaria quædam practica erui poffe, neque opus effe, ut fyftemata integra Ethicæ chriftianæ evolvantur. At hi in eorum numerum funt referendi, qui exiguum guftum habent rerum ad mores pertinentium. Non quidem negamus, dogmata omnia chriftianæ religionis, potiffimum autem capitalia, confideranda tanquam totidem ad pietatis ftudium incentiva, quod & Ethicæ chriftianæ Doctores probant & urgent. At hoc non fufficit ad genuinam Ethicæ notitiam, qua inftructus effe debet V. D. Minifter,

(*) Attentione non indigna funt, quæ occafione methodi tradendi Ethicam, a Scholafticis & Jefuitis ufurpari folitæ, in medium profert P. Baylius in Lexico fuo, fub articulo J. Loyola. „ Avant (inquit) que de régenter „ la Théologie morale, on a enfeigné un ou plufieurs cours de Phi„ lofophie; on s'eft fait une habitude de pointiller fur toutes chofes; „ on a ergotifé mille fois fur des êtres de raifon; on a ouï foutenir autant „ de fois le pour & le contre fur les queftions des Univerfaux, & fur plu„ fieurs autres de même nature; on a tellement tourné fon efprit du côté „ des objections & des diftinctions, que lors qu'on manie les matieres de „ Morale, on fe trouve tout difpofé à les embrouiller. Les diftinctions vien„ nent en foule; les arguments ad hominem vous obligent à vous retran„ cher de toutes parts, & à relâcher aujourd'hui une chofe, demain une „ autre. Tout cela eft fort dangereux: difputes tant qu'il vous plaira fur „ des queftions de Logique; mais dans la Morale contentés vous du bon „ fens, & de la lumière, que la lecture de l'Evangile répand dans l'efprit: „ car fi vous entreprenés de difputer à la façon des Scholaftiques, vous ne „ faurés bientôt par où fortir du labyrinthe. Celui qui a dit, que les livres „ des Cafuiftes font l'art de chicaner avec Dieu, a eu raifon: ces Avocats „ du Barreau de la confcience trouvent plus de diftinctions & plus de fubti„ lités, que les Avocats du Barreau civil. Ils font du Barreau de la con„ fcience un laboratoire de Morale, où les vérités les plus folides s'en vont „ en fumée, en fels volatils, en vapeurs. „

Minister, consequendam. Singularum virtutum exactam delineationem habere debet; perspecti debent illi esse affectuum & præjudiciorum fontes; cognoscenda præcipua ad hanc vel illam virtutem incitamenta; in medium adducenda gravissima ad hanc vel illam virtutem exercendam argumenta; objectionibus variis, quæ a diversæ indolis hominibus adferuntur, occurrendum; non negligenda cognitio doctrinæ de temperamentis, quod sine accuratiore notitia Ethicæ christianæ & philosophicæ fieri non potest; ex quo simul facile judicari potest, quid sentiendum de quorundam V. D. Ministrorum sententia, existimantium, nihil facilius esse, quam orationem aliquam factam habere de themate aliquo morali, vel de hac vel illa virtute. Ego vero secus sentio, & existimo, nihil facilius esse, quam textum aliquem secundum methodum vulgo receptam explicare; varias vocum significationes in medium afferre; loca parallela adducere; ingentem locorum S. Litterarum cumulum agglomerare, & deinde generali aliqua applicatione per omnes fere, uti vocantur, usus instituta, orationi finem imponere. Denique 4.) neglectus ille Ethicæ christianæ ex eo etiam oritur, quod quidam Ethicam christianam cum gentili & philosophica confundunt. Hinc quamprimum audiunt hunc vel illum Oratorem vel Theologum probe in Ethica esse versatum, atque frequenter de hisce argumentis verba publice facere, irascuntur atque putant, ita Evangelium Jesu Christi contemni; at salva res est. Quod ad Gentilium Ethicam pertinet, quatenus ea superstitiosis & ineptis sententiis superstructa est, nemo Ethicæ christianæ gnarus tam insulsus erit, ut ex tam impuris rivulis principia recte & christiane vivendi repetat. Interim licebit tamen Oratori sacro subinde præclara loca Gentilium, cum sanæ rationis principiis convenientia, in medium adducere, ut his ipsis pudore afficiantur Christiani, ab officiis turpiter recedentes. Non majus periculum oritur ex Ethica philosophica; neque enim Doctor christianus præcepta Evangelii expositurus propterea abjicere debet ea argumenta, quæ ex rationis principiis petuntur, modo illa sint perspicua, certa, & omnium ingeniis attemperata. Et haud dubito affirmare, neminem peritum Ethicæ christianæ Doctorem esse posse, qui accurata Juris Naturæ & Ethicæ philosophicæ notitia non sit instructus (*).

(*) Quam insignem utilitatem ad probandam Ethicæ christianæ præcellentiam

IV.

Afferuntur alia præjudicia contra Ethicæ christianæ necessitatem & simplicitatem pugnantia.

Attulimus hactenus quædam impedimenta culturæ Ethicæ christianæ; ast pergendum & ostendendum ab una parte, quid juxta multorum opinionem obstet, quo minus pulchritudinem hujus disciplinæ multi cernant; ab altera vero monstrandum, nullam esse pugnam in doctrina de virtutibus divinis, inter ea, quæ ratio de hoc argumento suppeditat, & inter virtutes a Christo & Apostolis inculcatas. Peccatur inprimis in eo *primo*, quod a multis Doctoribus publicis vel *hyperbolicæ* adferuntur virtutum christianarum *definitiones*, vel nimis macilentæ & obscuræ. Nimirum sunt, qui ideales duntaxat virtutum repræsentationes in medium afferunt, quæ tamen tales sunt, ut potius homines a virtutis omnis studio retrahant, quam vero ad id incitent. Haud difficile est, Theologi, Philosophi, vel V. D. Ministri imaginem exhibere, omnibus numeris absolutam. At cum tales inter mortales non reperiantur, simul tamen homines ad officia illa, quæ imago ista complectitur, præstanda adhorteris, & eos secundum mensuram illam examines, fieri aliter non potest, quam ut a tam rigidis præceptionibus recedant, quoniam neminem, quocunque oculos convertunt, deprehendunt, qui omnibus illis characteribus instructus, & ad delineationem illam sit examussitatus (*). Hinc quæcunque de exacta illa hominum

afferant scripta veterum Ethnicorum, Philosophorum cumprimis, ostendit cl. GATTAKERUS in præloquio ad commentarium in M. A. Philosophi scripta.

(*) Doctissimi & sapientissimi viri dudum monuerunt, veri nominis Christianorum indolem ita repræsentari, non qualis in his terris possibilis est, sed qualem fingere possent homines, non rationi sed imaginationi obtemperantes. Inter eos referendus eruditissimus BARBEYRACIUS, qui in libello bonæ frugis plenissimo, cui titulus Traité du Jeu, multa attulit, quæ ad Ethicam philosophicam pariter ac evangelicam illustrandam facere possunt. Unum atque alterum ex libello hoc excerpere juvabit, quoniam ad institutum nostrum pertinet. In præfatione inter alia eos taxat, qui nimis exaggerant officia & characteres hominis christiani, fontemque detegit hujus agendi rationis. pag. 16. præfationis ita loquitur: „ Le défaut, dont il „ s'agit, c'est qu'on raisonne sur des principes abstraits, & qu'on bâtit là-„ dessus des maximes outrées, qui ne font aucun effet, ou qui en font de „ mauvais. On s'entête de je ne sais quelle perfection imaginaire, dont „ la vûë ne peut guéres frapper qu'un esprit melancholique, ou quelque cer-

minum erga virtutis ſtudium conformatione dicuntur, inter ſuavia ſomnia referre ſolent plurimi. Non quæritur, utrum virtus ipſa non ſit exacte repræſentanda, ejuſque neceſſitas ſit urgenda, de quo nemo ſanæ mentis dubitabit: ſed de eo agitur, an non ſimul etiam ingenii humani imbecillitas, circa exactam obſervantiam omnium virtutum, in ampliſſimo gradu perfectionis conſideratarum, ſit repræſentanda, eum ſcilicet in finem, ne virtutis amantes deprehenſa ingenii infirmitate, & officiorum præſtatione minus perfecta, a virtutis ſtudio retrahantur, & in præſtandis ſuis officiis indies magis reddantur negligentiores. Multi etiam pii Doctores in eo peccant, exiſtimantes, quo magis characteres verorum Chriſtianorum in majus extulerint, & hyperbolicis locutionibus imagines eorum pinxerint, eo majore impetu auditores ad eminentiſſimum virtutis gradum ſectandum iri commotum. At vehementer mea opinione errant. Virtus ſemper ſincere eſt repræſentanda: homines graviſſimis argumentis

„ veau débile. On ſe laiſſe éblouir à des ſubtilités metaphyſiques, ou à „ des idées myſtiques; & là-deſſus grands raiſonnemens à perte de vûë, „ régle ſur régle, diſtinction ſur diſtinction; de ſorte que les vérités & les „ maximes les plus ſolides ſont comme étouffées par ce mélange confus de „ chiméres creuſes & de raiſons étrangéres. On condamne des choſes fort „ innocentes; on exaggére celles qui ſont véritablement vicieuſes; on ne „ diſtingue point l'uſage d'avec l'abus. Qu'arrive-t-il de là? C'eſt qu'à force d'exiger des hommes plus qu'ils ne peuvent, on n'en obtient rien de „ ce qu'ils doivent; & qu'en les faiſant plus coupables qu'ils ne ſont, on „ leur perſuade preſque qu'ils ne le ſont point du tout. L'experience eſt ici „ trop certaine pour avoir lieu d'en douter; & quiconque y ſera attention, „ tombera d'accord, que les déciſions exceſſivement rigides ſont preſque auſſi „ dangereuſes que les relâchées, comme Mſr. la Placette l'a dit en autant „ de termes. Et paucis interjectis: Le mal vient de ce que l'on s'éloigne „ des véritables ſources de la Morale. On ne conſidére pas aſſez la conſtitution de la Nature humaine & ſon état ici-bas. On raiſonne comme „ ſi l'on avoit à faire à des Anges & non pas à des Hommes. On mépriſe „ ou l'on néglige les Loix, que la ſeule Lumiere naturelle nous découvre; „ & à force de diſtinguer le Chrétien de l'Homme, on préſcrit des régles „ impracticables & à l'Homme & au Chrétien; on abuſe de quelques paſſages de l'Ecriture Sainte mal entendus; on prend à la lettre des expreſſions figurées; la moindre reſſemblance des termes fait, que l'on attribuë aux Ecrivains ſacrés les ſentiments dont on étoit prévenu, & de „ conſéquence en conſequence on s'engage peu à peu dans les plus grandes abſurdités. „

mentis ad eam ſequendam ſunt incitandi, in medium etiam ſunt afferenda media optima & præſtantiſſima ad finem illum obtinendum plurimum facientia; at monendum ſimul, optimum quemvis & virtutis amantiſſimum ad ſummum perfectionis gradum in hac vita pervenire non poſſe, neque Deum quemquam propterea in æternum infelicem redditurum, quod in quibuſdam lapſus fuerit: Eum potiſſimum juxta ſinceritatem cordis homines judicaturum, & ad innumeras circumſtantias vitæ humanæ reſpecturum: oportere tamen quemvis, quantum poteſt, ad perfectionem illam contendere. Ita ſane nonſolum judicat ratio, a præjudicatis opinionibus vacua, ſed & ipſa Revelatio (*). Peccant contra quidam in hoc negotio, quod nimis macilentas virtutum chriſtianarum exhibeant imagines: nimirum eas ſæpe ita deſcribunt, ut externorum rituum præſtatione, vel certarum opinionum ſtrenua defenſione, veram pietatem abſolvi putes. Multi Doctorum publicorum, illi præſertim qui omnes ſyſtematis theologici publice recepti partes, tanquam totidem articulos creditu neceſſarios conſiderant, ita ſæpe loquuntur, ut putes, eos cœlo propiores & virtutis amantiores eſſe, qui firmiſſime omnibus illis opinionibus tanquam ſaxo adhæreſcant, eas contra quosvis non ſine æſtu defendant, atque in his vere ſalutarem fidem conſiſtere exiſtiment. Cum hoc virtutis ſcilicet ſtudio arctiſſime conjunctum eſſe dicunt ſedulam cummaxime concionum ſacrarum frequentationem: hinc, ubi de degeneris Chriſtianiſmi cauſis verba faciunt, vel ſcribunt, inter præcipuas cauſas hujus mali referunt, quod multi minus frequenter, quam ipſi vellent, loca ſacra adire & cœtibus Chriſtiano-

(*) Mecum ſentit clariſſimus & amiciſſimus VERNETUS, Academiæ Genevenſis Profeſſor doctiſſimus, in libro de veritate religionis chriſtianæ, Tomo IV. edit. ſecundæ cap. VI. pag. 60. „ Quand on parle (inquit) des fondemens „ de la Morale, & qu'on veut qu'elle ſe dérive de ſes vrais principes; on „ entend par-là qu'elle ne doit point donner, pour ainſi dire, des préce- „ ptes en l'air, mais qu'il faut, que ces préceptes ſoient fondés ſur la nature „ des choſes, qu'ils remontent au ſyſtéme général du monde, & qu'ils ſoient „ particuliérement appropriés à la condition humaine. Il eſt donc eſſentiel „ de ſavoir avant toutes choſes, quelle eſt la nature de l'homme, de qui il „ dépend, à quoi il eſt deſtiné, quelle eſt ſa conſtitution primitive, quelles „ ſont ſes forces, & quel eſt ſon état actuel: car ce n'eſt que par là que „ nous pourrons juger, ſi des préceptes ſont juſtes & utiles. En un mot, „ il faut ici une théorie, qui explique la raiſon des régles. „

stianorum interesse soleant: ex quo fit, ut cultus interni veræque virtutis exigua habeatur ratio. Nemo dubitat, quin cultus externus religionis necessarius sit, & illi laudandi, qui amore *religionis*, *religionis* inquam, inducti, orationes sacras cum voluptate audiunt. At omnibus rebus æquum est ponendum pretium. Accedit tandem alius error, qui Ethicæ christianæ studio, & simplicitati hujus disciplinæ obstat, nimirum opinio, Ethicam christianam *rationi* non debere esse superstructam. Hinc quidam de virtute christiana ita inepte & confuse disserunt, ut putares, eum demum vera pietate esse instructum, qui a rectæ rationis regulis quam longissime recedat. Et quamvis hi homines fanaticos odio habeant, & in tribum horum hominum referri nolint, ita tamen loquuntur, ut ovum ovo non magis sit simile, quam horum hominum oratio cum fanaticorum opinionibus collata. Hinc multus sermo de nescio qua illuminatione menti illapsa, nulla ratiocinatione superstructa; de nescio quibus vividis sensationibus, ad certos characteres, quas ratio & religio pura castaque suppeditat, non exigendis. His locutionibus, licet non intellectis, in nescio quam admirationem rapiuntur multi lectores & auditores; ubi vero in se ipsos descendunt, verbis illis magnificis rite trutinatis manifestum erit, aut nullum, aut obscurissimum subesse sensum. Hac vero ratione multi nonsolum ab Ethicæ christianæ studio, sed & ab ipsa pietate retrahuntur, & profanis occasio suppeditatur, religionem ipsam suggillandi. Error iste potissimum ab iis oritur Doctoribus, qui rationem in juventute non satis excoluerunt, disciplinasque philosophicas neglexerunt, simul tamen nomen virorum præclarorum penes plebem, & hac non sapientiores obtinere cupiunt. Quam parum autem ejusmodi viri pietatis veræ studium promoveant, & quam turpiter errent, nemo non videt. Virtutis notiones immutabiles sunt, neque adeo per revelationem mutantur: neque aliam notionem circuli vel cubi habuerunt Geometræ veteres inter Gentiles, quam recentiores Christiani his disciplinis imbuti. In S. Litteris frequentissime ad virtutum omnium studia instigamur, neque tamen eædem prolixas nobis tradunt singularum virtutum definitiones; quod ipsum ostendit, auctores sacros pro certo habere, homines solius ratiocinationis ope notitiam sibi de virtutibus & vitiis comparare posse. Accedit tandem his, quod eædem S. Litteræ testentur, Deum homines revelationis luce destitutos, secundum le-

gis naturalis dictamen judicaturum. Vide Paulum ad Romanos cap. I. & II. quo ipſo ſimul pro certo ponitur, eos ſola ratione duce, quid verum vel falſum, malum vel bonum ſit, cognoſcere potuiſſe. Non quæritur hic, utrum Ethica paganica varias ob rationes, quas hic enumerare animus non eſt, variis erroribus & ſuperſtitione anili non fuerit deturpata; quod non negamus; ſed de eo quæſtio eſt, utrum nempe ideæ virtutum, quas recta ſuppeditat ratio, & quas ratiocinando homines veri amantes inter Gentiles, adhibita attentione, conſequi poterant, non eædem fuerint, quas ipſa commendat revelatio; quod omnes affirmabunt, qui v. gr. ad notionem temperantiæ, amoris proximi &c. attendunt, ſcriptaque veterum evolverunt (*).

V.

Diſquiritur, quale incrementum accedat notitiæ Ethicæ philoſophicæ, per revelationem.

Ut autem eo magis pateſcat, virtutum notiones eſſe immutabiles, videndum tandem, quid illis accedat per revelationem in S. Litteris contentam. Diximus ſupra, ideas virtutum & vitiorum non a beneplacito hominum, ſed ab intrinſeca earum natura dependere, unde non magis idea trianguli cum notione circuli, quam notio liberalitatis cum conceptu avaritiæ ſtare poteſt. Unde etiam porro ſequitur, ideas virtutum, quas ratio omnibus dictat, & unde oritur cognitio philoſophica Ethicæ, per accedentem revelationem non mutari. Cum vero ab altera parte Theologi omnes præſtantiam Ethicæ chriſtianæ ſupra gentilem & philoſophicam extollant, videndum in quo tandem præſtantia illa conſiſtat. Et *primo* quidem haud obſcurum eſt, præcepta & leges divina auctoritate munitas magnam auctoritatem addere iis, quæ ſolius ratiocinationis ope eruuntur & cognoſcuntur. Omnes Philoſophi, cuicunque tandem ſectæ addicti, nullam auctoritatem ſibi comparare poſſunt, præter eam, quæ demonſtratione paratur; aſſenſum igitur dant homines veritati, propter evidentiam, non propter auctoritatem docentis. Ethica vero chriſtiana nititur auctoritate divina Legati divini, nimirum Dei & Soteris noſtri, qui homines pios vel ſalvos reddere, vel exitio addicere immorigeros valet. Præſto ſunt inſuper præter Soterem noſtrum Miniſtri, facultate patrandi miracula cœlitus

(*) Lege de hoc argumento τὸν μακαρίτην celeb. BARBEYRACIUM, loco ſupra citato.

cœlitus instructi, quibus pondus additur doctrinæ & præceptis in medium prolatis. Fusius de hoc argumento egi *in dissertatione nona* de *causis incredulitatis* (*).

II. Huc facit, quod præcepta religionis christianæ superstructa sint dogmate de mentium humanarum immortalitate. Haud ignoro, viros doctissimos, multis argumentis, e penu rationis petitis, immortalitatem mentis humanæ probare solere, quæ hic adducere nolo. Hoc unum dico, ad evidentiam summam, quæ in Mathesi locum habet, ea evehi non posse: non enim satis nobis nota est intima mentis nostræ natura. Hinc natæ sunt veterum ac recentiorum Sophorum de ejus natura fluctuationes. At revelatio divina, confirmata per Soterem nostrum, hanc veritatem capitalem tanquam certissimam ubique inculcat. Necesse igitur est, ut præcepta virtutis, quæ in N. Testamento inculcantur, maximam vim habeant in animos hominum. Et profecto homo, de divina origine religionis christianæ persuasus, non magis dubitare potest de mentis immortalitate, quam de existentia ipsius Soteris nostri.

(*) Similiter judicat nobilissimus Lockius in tractatu, que le Christianisme est très raisonnable, parte I. cap. XIV. „ Vous pouvez (inquit) vous flatter, „ avec autant de fondement, d'enseigner parfaitement les Mathématiques à „ des gens de journée, & au commun peuple, que de leur donner une idée „ parfaite de la Morale par cette voye-là. Le véritable & le seul moyen „ de porter les personnes de cet ordre à l'obéissance & à la pratique de leurs „ devoirs, c'est de leur donner des commandemens aisés à entendre. „ La pluspart des hommes ne peuvent pas connoître les choses par eux-„ mêmes; c'est pourquoi il faut que leur foi supplée au defaut de la science. „ Cela étant, je demande si une personne, qui vient du ciel, qui fait des „ miracles à la vüe de tout le monde, & qui prescrit en même tems des ré-„ gles de Morale simples & droites, n'est pas plus propre en général à „ éclairer les hommes, à les instruire de leurs devoirs, & à les obliger de les „ remplir, qu'une autre, qui voudroit les y engager par des raisonnemens, „ fondés sur les idées générales & sur les principes de la Raison humaine? „ Et supposé même, qu'on eût demontré clairement tous les devoirs de la vie, „ il est certain que, tout bien consideré, l'on reconnoitroit néanmoins, que „ cette methode d'apprendre aux hommes leur devoirs par démonstrations, „ ne feroit bonne, que pour un petit nombre de personnes, qui auroient „ beaucoup de loisir, dont l'esprit auroit été cultivé par l'étude, & qui se-„ roient accoutumées à des raisonnemens abstraits; mais qu'à l'égard du „ peuple, il feroit toûjours meilleur de l'instruire par les préceptes & par les „ principes de l'Evangile.

III. Christiana religio majora suppeditat ad virtutem deamandam *incentiva*. Ea sunt vel *generalia*, a bonitate Dei, virtutum utilitate & præstantia petita; vel *specialia*, quæ ex indole & natura doctrinæ christianæ derivantur, nimirum ex missione Christi in carnem; ejus doctrina plane cœlesti; obedientia pro nobis præstita; morte, resurrectione, regimine cœlesti &c. Quam difficile sit animos affectibus pravis deditos ad veræ virtutis studium pertrahere, experientia omnium seculorum docuit: opus igitur est ad eos emendandos *incentivis* prægnantissimis, certissimis, & evidentissimis. Debiliora esse argumenta, solius rationis superstructa fundamentis, notius est, quam ut multis id operose demonstretur.

IV. Multum ad virtutis stadium decurrendum facere egregia exempla, nemo in dubium revocaverit; rarissimi vero sunt illi, sive ad Philosophos antiquos vel modernos respicias, qui insigni pietatis studio exornati fuerint; optimus ille semper fuit, qui minimis urgebatur vitiis. Quocunque oculos convertimus, ubique videmus maculas, quibus consperfi sunt illi, quos inter cæteros eminere pervulgata est opinio. De vita veterum Philosophorum inter Romanos & Græcos multa afferre nolo. Videatur eruditissima præfatio *Barbeyracii*, *Puffendorfiani* operis versioni præmissa. Multos inter eos fuisse viros excellenti ingenio præditos, & virtutibus ornatos, negari non potest. Talem vero Doctorem publicum, qualis sanctissimus noster Soter erat, unquam inter mortales repertum affirmabit nemo, qui historiam evangelicam ἄτερ πάθων legit. Legislator idem erat ac Propheta, miraculis doctrinam confirmans, imperiumque in intimos cordium recessus exercens.

V. Pondus hisce addit, quod Ethica christiana evidentissimis & excellentissimis sit instructa promissionibus, docens Deum præceptorum suorum custodes gravissimis & amplissimis præmiis esse remuneraturum, contumaces vero pœnis subjecturum sævissimis. Hæque promissiones non sunt incertæ, & levi probabilitatis suspicione nixæ, sed Christi infallibilis Doctoris, Prophetæ & Legislatoris auctoritate munitæ; adeo ut non minus certum sit, eas esse veras, quam certum est, Eum auctorem religionis christianæ extitisse, & divinitus a Deo missum. Ethica philosophica vero nonnisi probabilia & longius petita argumenta de virtutis post hanc vitam remuneratione in medium proferre potest. Ratio enim hominis, virtu-

tis

tis ſtudio animati, hoc unum poteſt afferre ſolatium, Deum virtutis ſtudio delectari; gratos & acceptos illi eſſe omnes, qui ad præcepta Juris Naturæ vitam componant; & probabile eſſe, ſi quidem mens noſtra poſt hanc vitam perennatura ſit, Deum virtutis ſtudioſorum rationem habiturum. Cum vero idem ille homo, qui virtuti operam per vitam dedit, probe cognoſcat, inſtituto vitæ examine, perſpectiſque tot lapſibus, Numini nullam impoſitam eſſe neceſſitatem tam levibus conatibus certum tamen pretium ſtatuendi, nonniſi ad miſericordiam divinam recurrere poteſt; unde omnibus perpenſis certo nihil colligere aliud poterit, quam hoc; nimirum probabile, Deum, qui omnes angulos mentis humanæ perſpectos habet, atque imbecillitatis humanæ memor eſt, ad exactiſſimas leges ſuas, per rationem præſcriptas, actiones hominum non exacturum, ſed imbecillitati humanæ ſeſe attemperaturum. Dicet forte nonnemo, non majore ſolatio ſuperfundi poſſe hominem chriſtianum morti proximum, quam Philoſophiæ practicæ cultorem: neceſſe enim eſſe, ut tandem ad miſericordiam divinam uterque recurrat. Verum hoc quidem eſt, ſi ad rem ipſam, in ſe ſpectatam, mentis convertamus oculos; diſcrimen tamen maximum eſſe hujus ſolatii, collati cum eo, quod ex revelatione percipitur, deprehendet, qui ſpem illam miſericordiæ rite examinarit. Religio enim chriſtiana docet, Chriſtum Soterem noſtrum pro nobis mortuum eſſe, & Deum nonniſi intuitu mortis Soteris noſtri, piis, licet variis infirmitatibus obnoxiis, gratioſum eſſe futurum. Spes ergo miſericordiæ a Deo conſequendæ non nititur tantum probabili fundamento, quæ bonitatis divinæ nititur fiducia; ſed conditione aliqua gravi, ipſo opere redemtionis, in quo Deus adquieſcit, innixa, quæque totius religionis chriſtianæ baſis eſt & fundamentum. Certe aut Scriptura divinæ non eſt originis, aut verum eſt, Deum homines pios, propter cruentam mortem Soteris, certiſſimis poſt mortem præmiis affecturum.

VI. Denique ne quid deſit, quod homines ſerio pietatis ſtudio intentos remorari poſſit, Deus ipſe auxilio ſuo ſe ipſis adfuturum promittit, & bonum opus, quod in iis cœperat, per gradus tamen, ad finem perducturum conteſtatur. Splendida ſunt quidem paſſim verba alicujus *Epicteti*, *Senecæ*, *Antonini Philoſophi*, aliorumque veterum Philoſophorum, de provida Dei erga genus humanum cura; at iidem

dem sibi parum constant, dum bona duntaxat fortunæ, non vere mentis, a Diis immortalibus expetenda esse jubent. Notum horum hominum axioma de iis, quæ in nostra, & quæ non sunt in nostra potestate. Vide insignem locum *Ciceronis*, adductum *dissertat. X. de caussis incredulitatis.* Auxilium vero divinum, quod pietatis studioso obtingit per beneficia in fœdere gratiæ obtenta, ad ipsas conscientiæ radices penetrat, mentem vehementer ad pietatem incitat, & nonnunquam inter ipsos morborum aculeos gaudio quodam perfundit, pacemque veram animis inserit. Acta Apostolorum, & sanctorum horum virorum epistolæ ad diversos cœtus Christianorum datæ, hujus auxilii divini, ut de primorum Martyrum constantia nil dicam, multiplicia adducunt testimonia. Audi in quæ verba Paulus, gratiæ divinæ fonticulo inebriatus quasi, erumpat in epistola ad Romanos cap. VIII. v. 38. & 39. dicens: *πέπεισμαι γὰρ ὅτι οὔτε θάνατος, οὔτε ζωὴ, οὔτε ἄγγελοι, οὔτε ἀρχαὶ, οὔτε δυνάμεις, οὔτε ἐνεστῶτα, οὔτε μέλλοντα; οὔτε ὕψωμα, οὔτε βάθος, οὔτε τις κτίσις ἑτέρα δυνήσεται ἡμᾶς χωρίσαι ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Θεοῦ, τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν.* Vide ad hunc locum Interpretes. Sive hæc verba de amore Dei erga Paulum, sive Pauli erga Deum intelligas, perinde est. Secundum utramque interpretationem constat, Deum præsentissimo auxilio adfuisse Paulo; eundemque Deum tenerrimo amore fuisse prosecutum. Atque hæc sunt, quæ per religionem christianam Ethicæ philosophicæ accedunt, ejusque adeo præstantiam efficiunt; unde patet, ideas virtutum, quas recta suppeditat ratio, per religionem christianam non mutari, sed perfici duntaxat & emendari. (*)

VI. Vi-

(*) Breviter & in compendio præcellentiam Ethicæ christianæ, collatæ cum disciplina morali, quam tradiderunt Philosophi veteres, repræsentat celeb. CLARKIUS, demonstratione de veritate religionis naturalis & revelatæ, Tomo II. cap. XIV. ita disserens: „ Qu'on prenne ce que les Philosophes ont „ dit de plus beau sur la Morale; on n'y trouvera rien qui n'ait été proposé „ par Jesus-Christ, & par ses Apôtres, avec plus de clarté & plus de force „ encore. Leurs principes sont plus nobles & plus suivis. Ils donnent „ plus de poids & plus d'authorité à leurs rémontrances. Les argumens, „ dont ils se servent, sont plus touchans & plus persuasifs. Ce n'est pas „ même tout. Car quoiqu'il soit certain que les Philosophes ont enseigné „ un grand nombre d'excellentes vérités de Morale, il faut avoüer cependant, qu'ils n'avoient rien de fixe ni de suivi. L'un raisonnoit sur un

VI.

Videndum jam paulo propius, in quo *ſimplicitas illa moralis* conſiſtat, & quibus ad eam rite cognoſcendam & tractandam utendum ſit mediis. Diximus in antecedentibus, vocem *ſimplicitatis* comprehendere ideam complexam, quæ definitione ſubjecti duntaxat & prædicati non abſolvitur, ſed quæ comprehendit plures characteres & requiſita, quæ partium enumeratione ſingillatim ſunt repræſentanda. Oppoſita eſt vox ſimplex τῷ perplexo, confuſo, non neceſſario, hyperbolico, & falſo; non melius ergo veram hujus ſimplicitatis imaginem obtinebimus, quam ſi per partes eundo omnia illa requiſita recenſeamus, quæ ad eam obtinendam poſtulantur. Simplicitas autem illa partim in *ſtylo* ſeu *ſermone*, partim in *idea* & *repræſentatione rei ipſius* quærenda eſt. Per ſimplicitatem ſtyli intelligimus eam ſermonis ſtructuram, per quam verba pariter & phraſes, quæ ad ideas morales exprimendas adhibentur, plane, dilucide, omniumque ingeniis attemperatæ adhibentur, adeo ut quilibet, qui ſenſu communi non deſtituitur, vel ſcriptorem vel oratorem non poſſit non intelligere. Ex quibus facile, quod ad ſtylum attinet, quædam conſectaria maximi momenti erui poſſunt. Qualia ſunt hæc: (1.) Stylus ab omni verborum obſcuritate debet eſſe alienus. (2.) Definitiones verbales, ſi claræ ſunt, & ab erudi-

Quæritur in quo ſimplicitas illa Ethicæ chriſtianæ conſiſtat, & quibus mediis illa obtineatur. Initium ſit a ſtylo.

„ principe & l'autre ſur un autre. Il n'y en a aucun qui n'ait donné à gauche en bien des choſes. Leurs plus belles leçons étoient ordinairement gâtées par un mélange groſſier de ſuperſtitions particuliéres & de fauſſes idées. Les fondemens, ſur leſquels ils bâtiſſoient, n'avoient point de ſolidité, & leurs principes point de fermeté. En un mot, leurs leçons étoient très-imparfaites & très defectueuſes; & il s'en falloit beaucoup qu'on pût trouver chez eux un ſyſtéme de Morale complet & ſuivi. La Religion chrétienne au contraire raſſemble en un tout ce, qui a jamais été dit de bon & de ſage dans toutes les Sectes de la Philoſophie. Elle porte tous les devoirs de la Morale au plus haut degré poſſible de perfection & d'excellence. Elle les épure & les dégage des ſuperſtitions, que les diverſes Sectes de Philoſophie & les Directeurs de la Religion avoient mêlé parmi leurs inſtructions. Elle ſupplée à tout ce qui manquoit à la Philoſophie morale. Elle propoſe enfin un ſyſtême de mœurs, où tout eſt clair, régulier, appuyé ſur des fondemens ſolides, & ſur des principes fixes & certains. Y a-t-il la moindre apparence de raiſon à s'imaginer, qu'aucun autre qu'un homme immediatement envoyé de Dieu, ait pû venir à bout d'un ouvrage auſſi grand & auſſi divin? „

eruditis pariter & a vulgo receptæ, non facile sunt mutandæ, quia in rebus potissimum moralibus confusionem parere solent, & officiorum naturam vel ultra modum extendunt, vel restringunt. Hinc accurati Ethicæ sive christianæ sive philosophicæ scriptores, omnem navant operam, ut in describendis his vel illis virtutibus aut vitiis modum servent. Frequenter vero in hac re peccari ab iis, qui libros asceticos, uti vocantur, scribere solent, αὐτοψία docet. Sæpe postquam non unum caput ejusmodi libri legisti, vel orationem audivisti, nescis, quid sub involucris verborum lateat; auctor ipse sæpe, quo magis obscure loquitur, eo se pientiorem & cœlo propiorem esse putat. Vulgus vanis rumoribus captus, & accuratiore rerum divinarum notitia destitutus, quominus res propositas intelligit, eo magis tamen hominis ampullatis verbis utentis eruditionem extollit, sibique plaudit. (3.) Æque vitandus est stylus hyperbolicis & metaphoricis phrasibus fœtus. Multi Ethicæ christianæ Doctores, Concionatores potissimum, nescio quo zelo incensi, existimant, quo magis virtutis alicujus ἀκρίβειαν per partes & partium partes extollant, vitiorum vero fœditatem ultra naturam rei & τὸ πρέπον repræsentent, eo se acriores stimulos ad virtutem sectandam, vitia vero evitanda, in animis auditorum vel lectorum excitaturos. Hoc non ita intelligi vellem, ac si virtutis præstantia & vera indoles ab una parte, ab altera vero fœditas vitiorum, non essent vivis coloribus repræsentandæ. Sed hoc tantum volo, virtutem, quatenus in hominem cadit, qui obligationis capax est, & sive naturalibus, sive supernaturalibus viribus adjutus, officia virtutis præstare potest, depingendam; neque abstractas fingendas esse virtutum ideas, quæ nullibi, nisi in cerebro eorum reperiuntur, qui eas finxerunt. Idem de vitiis monitum velim. Certe parum naturæ humanæ & virtutis studio consulunt, qui virtutis amatores ita describunt, ac si Angelis plane in his terris similes essent. Ita sæpe oratores sacri & Ethicæ scriptores, gratiæ divinæ in convertendo homine magnitudinem elaturi, de homine peccatore ita judicant, ut putares eum aut plane truncum esse, vel alienis nervis mobile lignum; aut ubi imaginem veri Christiani exhibere volunt, virtutes omnes in amplissimo gradu repræsentatas accumulant, talibusque coloribus depingere solent, ut omnibus, qui ad definitiones illas attendunt, manifestum sit, in terris nunquam tales extitisse unquam

Christianos. Ad hoc vero probandum putant sufficere, quando ex N. Testamento talia producunt loca, in quibus perfectio Christianismi verbis significantissimis depingitur; ubi vero simul immemores sunt tot locorum, in epistolis Apostolorum occurrentium, ex quibus, sive cognitionem capitum religionis, sive vitæ morumque probitatem spectes, pulchre colligitur, Christianos primorum temporum non omnibus virtutibus ita ornatos fuisse, ut ab omnibus vitiis immunes plane fuerint atque alieni. (*) Et profecto hyperbolica hæc virtutes repræsentandi ratio multa secum fert incommoda, religioni & pietati nociva. *Primo* enim ex his descriptionibus nemo unquam virtutum veram accipiet imaginem. Omnis virtus certis constat ut characteribus, ita & terminis; si ultra modum earum imaginem exprimas, non possunt esse exemplaria naturæ humanæ præscripta. Si puero octo annorum pensum vel exercitium præscribas, quod nonnisi viginti annorum adolescenti competit, non poterit non is de præceptore suo conqueri. II. Tantum abest, ut illæ exaggerationes ad acuenda ingenia & virtutis studium rite prosequendum aliquid conferant, ut potius homines ab amore virtutis vehementer retrahant. Sæpe ego audivi oratores sacros, vel legi scriptores ethicos, gratiæ divinæ magnitudinem deprædicaturos, ita de impotentia morali hominum in caussis etiam civilibus loqui, ut hominem a stipite vel saxo differre vix tibi persuadere possis: quod ipsum mirum quantum confert, ad homines in amore vitiorum re-

(*) De hoc Doctorum genere ita loquitur loco citato celeb. BARBEYRACIUS pag. 31. „ Il ne tient pas à eux, qu'on ne se répréſente un vrai Chrétien „ comme un parfait Anachorète, qui se servant des plaisirs les plus innocens, & des commodités de la vie les moins capables de jetter dans la „ molleſſe; n'aiant qu'une entiére indifference pour toutes les choses du „ Monde, ou plûtôt les régardant avec un souverain mépris, se condamne „ lui-même à de continuelles austéritez, est toûjours en priéres & en oraisons, ne songe qu'à traiter rudement son corps, & fait des Biens de la „ vie à venir l'objet perpétuel de tous ses désirs & de toutes ses pensées. „ Dans cette supposition il a échappé au plus grand Disputeur de nos jours „ (P. BAYLIUM intelligit) de soûtenir, ou d'avancer du moins comme un „ conjecture difficile à réfuter, que Jesus-Christ n'a point proposé sa Religion, comme une chose, qui pût convenir à toutes sortes de personnes, „ mais seulement à un petit nombre de Sages. Etrange imagination, où „ l'on ne seroit jamais tombé, si l'on avoit lû le Nouveau Testament avec „ tant soit peu d'attention, & avec un esprit désintereſſé. „

tinendos & confirmandos; in ipsa enim illa tantopere jactata servandi præcepta divina impossibilitate præsidium quærunt homines vitiis dediti. Unde (verbis utor celeb. *Werenfelsii* dissert. cur incitamenta Scripturæ S. sæpe sint inefficacia.) *Multi Christiani emendationem vitæ in Scriptura S. toties ipsis inculcatam non considerant ut suum officium, ad quod præstandum omni nisu & conatu, omnibusque viribus sit contendendum, sed ut opus, quod Deo in solidum sit relinquendum; qui cum redarguuntur ob periculosam resipiscentiæ procrastinationem, hanc non magis sibimetipsis imputandam autumant, atque iis, qui jam ante multa secula mortui sunt, vitio verti potest, quod nondum resurrexerunt.* III. Denique nonsolum plebs nullum usum habet ex his rhetoricationibus, sed & offenditur, ubi videt Sacrorum Ministros plane non aliter vivere, quam cæteros mortales, creditque eos jugum aliis imponere, sibimetipsis vero licentiam nescio quam tanquam Legatis divinis vendicare velle, nulla tamen auctoritate divina superstructam. Docti vero, audientes talem Oratorem vel Doctorem, rident, eumque vilipendunt, quoniam eum vera cognitione virtutum christianarum destitui animadvertunt, & rite disserendi de rebus ad Ethicam spectantibus ignarum esse probe perspectum habent. Cum IV. constet in libris V. & N. Testamenti plures loquendi rationes occurrere, quæ auribus nostris plane insuetæ sunt, ab una parte; ab altera vero ex iis petitæ sensationibus mentium, quæ non tam verbis plane exprimi possunt, quam vero ex animorum dispositione sunt repetendæ; Ethicæ christianæ scriptor recte facit, si phrases illas omnes, quantum natura rerum patitur, clarissimis verbis explanat, itaque interpretatur, ut notiones exhibeat intelligibiles, servata ἐνεργεια, quam habet textus originalis. Eum in finem consulat peritissimos linguarum & artis criticæ Doctores, qui ex veterum monumentis proverbiales inprimis locutiones, gnomas & sententias exposuerunt. Legendi præterea illi, qui virorum doctissimorum judicio, vel per παραφρασεις, vel acutas, breves, & dilucidas explanationes S. Litteras illustrarunt. Ita N. Testamentum optime nobis explanasse videntur *Hammondus*, cum adjectis notis *J. Clerici*; Interpretes *Berolinenses*; cl. *Heumannus* cum in versione sua, tum in commentariis, quibus versionem illam instruxit. Addi his possunt cl. *Doddrigde paraphrasis in N. Testamentum, aliique plures.* Notum est sæpe in textu originali phrases quasdam occurrere, quæ emphaticæ plane

sunt,

ſunt, adeoque in verſione probe obſervandæ; & ab altera parte tales, quæ tritæ valde ſunt, licet verbis multa in ſpeciem ſignificantibus expreſſæ ſint. Ad naturam vero ſententiarum moralium rite intelligendam opus eſt, ut chriſtianæ Ethicæ ſcriptor omnes cordis humani receſſus affectuumque fontes cognitos & perſpectos habeat. Licet enim Græci & Hebræi diverſis utantur animi ſenſationes exprimendi verbis, iiſdem tamen, quibus noſtræ ætatis homines trahuntur animorum adfectionibus, ſunt obnoxii. Homines ſunt homines, in quibuſcunque tandem orbis habitabilis partibus degant. Quamvis enim certum ſit, nationem aliquam ad hoc vel illud vitiorum genus magis vel minus inclinare, generalia tamen animorum incitamenta affectuſque ex iiſdem principiis oriri ſolent. Unde per ſe ſequitur, neminem cum ſucceſſu Ethicam chriſtianam rite repræſentaturum, niſi qui Ethicam philoſophicam antea probe excoluerit, & in animorum humanorum receſſus, agendique principia diligenter inquiſiverit. Sequitur etiam, eos Ethicæ chriſtianæ ſcriptores, qui nulla habita originalis textus ratione, verſiones, ſæpe etiam obſcuriſſimas, ſequuntur, atque hoc non obſtante tamen clamant, ſe cum Scriptura de rebus moralibus diſſerere velle, fruſtra eſſe, quia ſæpe obſcuritate verſionum auditoribus & lectoribus imponunt, & a pauciſſimis intelliguntur.

VII.

In antecedentibus in medium adduximus ea, quæ obſervanda ſunt Ethicæ chriſtianæ ſcriptori, quoad ſtylum, quem is, ſimplicitatem conſectaturus, obſervare debet. Jam vero oſtendendum in genere, a quibus cavendum reſpectu propoſitionum ipſarum ad Ethicæ ſtudium pertinentium. *Primo* igitur cavendum, ne ex Theologia, uti vocatur dogmatica, talia doctrinæ morali immiſceantur, quæ animos a virtutum ſtudio retrahere poſſunt. Qualia ſunt (a) v. gr. Deum hominibus non certis conditionibus ſalutem impertiri velle, ſed pro abſoluto ſuo arbitrio agere. Ita enim ſi loquatur Orator vel Scriptor, homines non poſſunt non a pietatis retrahi ſtudio. Exiſtimo eos ipſos, qui rigidiores quaſdam de hoc argumento fovent opiniones, ubi de officiis chriſtiani hominis agitur, debere ita loqui, ut manifeſtum ſit, conditiones quaſdam requiri ab illis, qui

Quæritur, quid evitandum ſit Ethicæ chriſtianæ ſcriptori, & quid contra præſtandum, ad genuina præcepta Soteris noſtri rite inſinuanda.

ſpem certam conſequendæ ſalutis habere volunt. Hinc etiam Oratores ſacri inter *Reformatos*, quando verba faciunt publice ad populum, ita loqui tenentur, ac ſi ſyſtematis illius de abſoluta Prædeſtinatione plane eſſent ignari, aut confeſſionis hujus articuli plane eſſent immemores. Idem dictum velim de gratia, *irreſiſtibili* aut *efficaci*, uti appellatur. Semper quidem inculcare debet Ethicæ chriſtianæ ſcriptor, officia pietatis hominibus commendaturus, ad ea rite præſtanda opus eſſe auxilio divino, eoque interno. Interim tamen illi ſufficere debet, ſi gnaviter ab una parte officiorum a Chriſtiano præſtandorum neceſſitatem; ab altera vero auxilii divini a Deo exſpectandi vim & efficaciam deprædicet (*).

II. De impotentia morali ſumma cum circumſpectione loquendum; ſi enim ultra modum eam urgeas, impiis occaſionem ſeſe excuſandi ſuppeditas, & incentiva ad virtutis ſtudium vel minuis valde, vel plane tollis. Dicendum igitur, qualiſcunque ſit nativæ corruptionis vis, poſſe tamen homines actiones civiliter bonas præſtare; poſſe iſtos non obſtante illa labe a criminibus ſocietatem turbantibus ſibimetipſis cavere; poſſe eos variis argumentis & incitamentis ad virtutem commoveri, ſi *ſerio auxilium Dei* implorent, & gratiæ divinæ ſeſe fingendos præbeant.

III. Neque *Jeſuitarum*, neque *Janſeniſtarum* Ethicam tradendi methodus ſequenda. Illi enim, præterquam quod innumeras, inutiles, ſpinoſas, ſæpe laſcivas & impias quæſtiunculas movent & diſcutiunt, ſceleratis etiam & verſutis hominibus januam ad cœlum aperiunt. Nota ſunt *Paſcalii* & multorum aliorum ſcripta contra Ethicam *Jeſuitarum* edita. Hi vero talia ut plurimum præcepta inculcant, quæ omnem facultatum humanarum capacitatem & vires ſuperant, in meris macerationibus corporis conſiſtunt, plurimum habent admixta ſuperſtitionis, cum æquitate legum divinarum pugnant, hominesque qui non affectus, ſed decreta rationis audiunt, ab

(*) „ Quam prudenter & circumſpecte in hoc negotio verſandum ſit, præclare monuit ὁ μακαρίτης cl. ROQUES, Eccleſiæ gallicanæ quondam Paſtor „ apud Baſileenſes digniſſimus, Paſtoris evangelici tentamine octavo, in „ quo agit de cauſis quæ impediunt, quo minus ſacri ſermones a Paſtoribus „ publice habiti vim ſuam exerant in animos hominum. Legat quiſque, qui „ ἄτερ παθῶν omnia expendit, quæ pag. 506. & ſequentibus de hac materia „ ab ipſo in medium ſunt prolata. „

ab amore religionis retrahunt (*). Et cur quæſo Ethicæ chriſtianæ ſcriptor gravius jugum cervicibus Chriſtianorum imponere vult, quam id Chriſtus & Apoſtoli fieri voluerunt? Adde, quod multa ſpecialia præcepta a Chriſto & Apoſtolis primis illis temporibus inculcata ſint, quæ non ad omnes omnium temporum Chriſtianos, in quocumque ſtatu poſitos, ſpectare poſſunt.

IV. Denique ſcholaſticæ quæſtiones, quæ plebis captum ſuperant, & parum vel nihil plane ad pietatis ſtudium faciunt, omittendæ. Nihil enim in ejuſmodi libris extare debet, niſi quod grave, momentoſum, & utile eſt.

VIII.

Annitendum eſt Ethicæ chriſtianæ ſcriptoribus, ut virtutem ſemper tanquam amabilem & rationi convenientem repræſentent.

Cum vero non perinde ſit, qua ratione & quibus argumentis virtutis ſtudium commendetur, neceſſe eſſe puto, ut illud ante omnia tanquam *amabile*, *rationique conveniens* repræſentetur. Monitum ego hoc maximi momenti eſſe puto, hocque neglecto exiſtimo multum decedere omnibus rationibus, quæ quidem adhiberi ſolent, ad ſtudium veræ virtutis commendandum. Ut vero animis auditorum vel lectorum hæc regula rite inſinuetur, ſequentia rite inculcanda eſſe puto. I.) Virtutem rem eſſe homini ſapienti & de ſalute ſua ſollicito quammaxime neceſſariam, eumque in finem ejus natura, indoles, & pulchritudo, nativis coloribus eſt depingenda, atque ita quidem, ut ab una parte hyperbolicis locutionibus non exaggeretur; ab altera vero, ne, quod in illius exercitio neceſſarium & difficile eſt, ſilentio involvatur.

II.) Qualiſcunque tandem ſit Theologorum de hoc argumento ſententia, demonſtrandum tamen virtutis ſtudium *poſſibile* eſſe. De hoc enim niſi perſuaſi ſunt homines, omnia argumenta & incitamenta ad virtutem infirma ſunt, neque majus robur habent ad illos commovendos, quam ſi aſſeras eos volare debere. Vide *τȣ μακαρίτȣ cl. Werenfelſii ſermones ſacros*, cumprimis eum, qui de *poſſibilitate* faciendi voluntatem divinam agit.

(*) Vide Baylii Lexicon voce Pascal. & Loyola; & de Janſeniſtis celeb. Moshemii diſſertationes ad hiſt. eccleſiaſt. pertinentes.

III.) Ostendendum virtutum quarundam repræsentatione, virtutem solam homines facere felices, sive ad hanc, sive ad alteram respiciamus vitam. Ubi tamen respectu felicitatis externæ semper monendum, virtutem sua natura quidem ad felicitatem nostram promovendam præsidium esse optimum; neque tamen semper in hac vita suo fini respondere, propter varia obstacula & impedimenta quæ ex diversis causis enascuntur.

IV.) Demonstrandum ex ipsa virtutum indole & natura, nihil rationi convenientius esse quam studium virtutis, vel quod idem est pietatem. Profecto nisi de hoc persuasus sit homo rationis compos, vix ac ne vix quidem unquam amore virtutis exardescet. Scimus quidem experientia, plerosque homines parum sollicitos esse, utrum hoc vel illud officium lege divina impositum rationi conveniens sit, nec ne: at propterea Ethicæ christianæ scriptor suo officio deesse non debet & id prætermittere, quod ad persuadendum sanæ mentis hominibus plurimum conferre potest. Scio pleraque ad pietatis amorem incentiva peti ab ejus *utilitate* & *necessitate*. Neque hoc improbo. At nisi ex ipsius rationis principiis probes, hanc necessitatem & utilitatem certis regulis niti, frustra eris. Sume v. g. castimoniam & justitiam commendari a necessitate & utilitate: equidem non refragabuntur homines non plane incorrigibiles; at si ex accuratiore harum virtutum delineatione monstres, quam sit earum exercitium in hac vita rationi conveniens, unde exoriatur illa necessitas & utilitas, argumentis tuis majus accedet robur. Dantur eheu! tales Ethicæ christianæ scriptores, qui putant, quo magis officia pietatis commendent a ratione aliena, eo magis homines, nescio qua pietatis specie armatos, ad virtutem deamandam incensum iri, quasi quilibet raptus & impetus putatitius & hypochondriacus pro charactere certissimo veræ pietatis haberi possit. Unde etiam ejusmodi homines interrogati, cur hæc vel illa externa pietatis officia rigide observent, non tam ad rationis & revelationis cynosuram, quam vero ad nescio quem instinctum internum, & lucem quandam omni ratiocinatione vacuam provocare solent, eosque demum vere pios declarant, qui ad rationis dictamen non attendunt. Sed aliter sensit Paulus versu 1. cap. XII. ad Romanos.

V.) Ex quo colligi potest, eos male consulere virtutis studio, qui illius exercitium considerant tanquam rem miserrimam, tristissimam,

mam, cum perpetuis macerationibus animi & corporis conjunctam; cum enim homines ea omnia natura fugiant, quæ animos nimiis curis sollicitare, & pravis animi adfectionibus frenum injicere solent; mirum non est, eosdem, auditis tam rigidis præceptis, ab amore virtutis eo magis retrahi. Unde sæpe factum esse novimus, ut homines sinceræ pietatis studio incensi in melancholiam vel fanaticismum inciderint, & eo cœlo propiores sese esse existimarint, quo magis corpus macerarunt, mentique intolerabiles præscripserunt leges. Et tales tamen passim prostant libelli & conciones, in quibus omnia ultra modum urgentur; dum interim auctores ejusmodi libellorum sibi videntur soli esse genuini Christianismi Doctores, cæteros vero, qui rationem semper in consilium vocandam asserunt, & præcepta moralia ad genuina interpretationis leges exacta volunt, alto supercilio contemnunt.

VI.) Eum in finem ostendendum est, neque Christum, neque Apostolos religionis christianæ præcepta tanquam jugum aliquod humanis humeris intolerabile repræsentasse. Notabilia sunt hac in parte verba S. Soteris nostri, cap. XI. Evang. Mathæi: v. 29. & 30. ita sonantia: *Ἄρατε τον ζυγον μου ἐφ᾽ ὑμας, καὶ μαθετε ἀπ᾽ ἐμου, ὁτι πρᾳος εἰμι καὶ ταπεινος τῇ καρδιᾳ. καὶ εὑρησετε ἀναπαυσιν ταις ψυχαῖς ὑμων. Ὁ γαρ ζυγος μου χρηστὸς, καὶ το φορτιον μου ἐλαφρον ἐστιν.* Huc facit præclarus locus *Antonini Philosophi*, qui extat libri II. sect. 5. atque ita sonat: *ὁρᾷς πῶς ὀλίγα ἐστὶν, ὧν κρατήσας τις, δύναται εὔρουν καὶ θεουδῆ βιῶσαι βίον; καὶ γὰρ οἱ θεοὶ πλέον οὐδὲν ἀπαιτήσουσι παρὰ τοῦ ταῦτα φυλάσσοντος.* i. e. *Vides, quam pauca sint, quæ si quis tenuerit, prosperam ac divinam propemodum vitam degere detur. Siquidem & Dii ipsi nihil amplius exigent ab eo, ista qui observaverit.* Vide ad h. l. *Gatakerum*, qui plura Gentilium adducit loca. Non negandum quidem, Christum ubique sinceritatem cordis urgere, & præcepta prima specie dura imponere videri; qualia sunt de abnegatione sui ipsius; de ferendis omnis generis calamitatibus; de deserendis facultatibus, patria, uxore, liberis, dulcissimis amoris pignoribus &c. at duo hic semper observanda; *Prius* est: Ethicam tempore Christi turpiter fuisse corruptam, eoque res devenisse, ut turpissimus histrio religionis externæ præcepta facile sine ulla mentis mutatione præstare potuerit. Hinc Christo Soteri nostro necessitas imposita fuit, corruptionem istam grassantem severioribus verbis castigandi, & contrarium hisce insinuandi.

nuandi. *Posterius:* Dijudicanda illa præcepta secundum circumstantias illorum temporum, neque adeo tanquam absoluta, & cuivis Christiano in quocunque posito statu observanda injuncta esse. Qui tum temporis genuinus Christi sectator esse voluit, non poterat non hoc præstare sine multis incommodis: cum periculo enim præsentissimæ mortis, vel persecutionum, conjuncta erat publica confessio religionis christianæ; hodie vero innumeri homines veræ pietatis studio vacare, & aperte religionem confiteri possunt, sine metu persecutionum; quanquam ingruente persecutione propter castam puramque religionis confessionem, si nulla ratione alia sibi consulere possunt, parati esse debent, ad deserendam patriam, malaque multa ferenda. Neque hoc ab æquitate abhorret. Quod si enim semel ponas, non perinde esse quamcunque tuearis de religione opinionem, aut crassissimis erroribus, superstitioni & idololatriæ subscribendum aliquando, aut capessenda fuga, multaque mala ferenda; prius, qui religionis sincerus cultor est, præstare non potest; alterum ergo eligendum.

VII.) Cum certum & exploratum sit, hominem christianum, adhibito etiam omni studio veræ pietatis semitam decurrendi, nihilominus sæpe cespitare, & vel ignorantia, vel præjudicatis opinionibus, vel præcipiti tandem affectu ab officio suo recedere, Ethicæ christianæ Doctor, simplicitatis theologicæ memor, probe inculcare debet auditoribus aut lectoribus suis, Deum æquissimum, fragilitatis humanæ semper rationem habiturum, & benigne cum hominibus, quibus sincerum pietatis studium inest, acturum esse. Hoc monitum quammaxime necessarium est, quia eo neglecto optimi & virtutis amantissimi frigere inciperent, perpetuisque dubitationum fluctibus exponerentur. Interim in quo illa animi *sinceritas* hominis christiani posita sit, exacte & plane est definiundum, & certis characteribus est explicandum, non tantum propter vere pios, sed inprimis tales, qui manifestis vitiis addicti præsidia quærunt suæ pigritiæ, atque existimant Deum severe cum peccatoribus non acturum, sed enormia sua peccata pro *peccatillis*, cum adscriptus pœnæ advenerit dies, æstimaturum. Si ullibi, hoc certe in argumento proverbium tritum locum habet: *qui bene distinguit, bene docet.* Non agitur enim hic de quæstione aliqua scholastica & nullius momenti, sed de re gravissima, in qua, si quis fallitur, periculosum plane est.

IX. Quan-

IX.

Quandoquidem vero non perinde eſt, qua ratione virtutis ſtudium doctis pariter & indoctis commendetur, videndum eſt quammaxime, ut clariſſime oſtendatur, Deum virtutem inculcando nihil agere aliud, quam quod æternis de virtute legibus & felicitati hominum promovendæ conducat. Eum in finem probandum, ideas virtutis eſſe immutabiles, æternas, neque ab arbitrio duntaxat divino dependentes; 2.) eas, non alias, mortalium generi Deum injungere potuiſſe; 3.) eas ad homines felices reddendos natura ſua comparatas eſſe; 4.) licitum igitur eſſe, ut homines ſpe præmii ad eas præſtandas excitentur; 5.) hoc tamen non obſtante fieri poſſe, ut rigidiſſimus virtutis cultor in hac vita fructum præmiorum, quæ ex virtutis ſtudio ſincero emanare deberent, non ſemper ſentiat; 6.) ex æquitatis tamen divinæ & bonitatis contemplatione ſeria, promiſſionumque divinarum infallibili certitudine, Chriſtianum ſpem immotam habere poſſe conſequendæ remunerationis ampliſſimæ, in altera vita obtinendæ. De ſingulis his partibus aliquid monendum eſt. Et quod ad *primam* propoſitionem pertinet, oſtendendum ante omnia, Deum officia virtutis hominibus præſcribentem non conſiderandum tanquam Ens arbitrarium, quod pro lubitu & imperio duntaxat leges præſcribat, ſed ideas virtutum eſſe immutabiles, æternas, in ipſius naturæ humanæ conſtitutione radicatas. Natura cum genere humano ita comparatum eſt, ut ab una parte pro libertate acerrime pugnet, frenumque legum invitum patiatur; ab altera vero ea potiſſimum ab ipſa juventute ſectatur, maximoque cum deſiderio adpetit, quæ ſenſibus & pravis affectibus grata ſunt & accepta. Ex quibus manifeſtum eſt, exactum virtutis ſtudium pauciſſimorum hominum ingeniis eſſe attemperatum. Quapropter Ethicæ chriſtianæ ſcriptor oſtendere debet, Deum non pro arbitrio ſuo mortalium generi officia virtutis præſcripſiſſe, ſed ea ab omni æternitate tanquam talia intellectui divino fuiſſe repræſentata, neque adeo creaturis, quales homines ſunt, alia præſcribi potuiſſe. Eos igitur omnes, qui pedibus ſanctiſſimas leges divinas conculcent, non tantum contra voluntatem ſanctiſſimam optimi Numinis peccare, ſed & felicitati ſuæ obluctari. Ex quo, propius contemplando naturam humanam, *ſecunda* propoſitio neceſſario conſequitur.

Ut exercitium virtutis eo magis commendetur, oſtendendum, Deum non pro arbitrio ſuo illud imponere, ſed tanquam virtutibus ſuis conveniens, & naturæ humanæ conſentaneum inſinuare.

Deus nimirum ab omni æternitate ideam habuit perfectiſſimam naturæ humanæ, & ſecundum illud exemplar condere voluit hominem. Homo conſtat mente & corpore: menti ut alia mittam, ineſt vis intelligendi, volendi & libere agendi: hæ facultates neceſſario ad naturæ humanæ conſtitutionem pertinent, quia ſine his nulla lex hominibus præſcribi poſſet, neque ad certum finem actiones ſuas inſtituere valerent. Jam vero, quo majore luce intellectus eſt perfuſus, eo rectius de rerum pretiis judicat: quo magis voluntas in ea fertur, quæ bona ſunt, eo magis felicitatem ſuam promovet: & tandem, quo magis exercitium libertatis circumſpectum eſt, eo magis actiones hominum fini principali reſpondebunt. At quomodo hæc omnia præſtari poſſunt, ſine auxilio virtutis & officiorum a Deo præſcriptorum? neceſſe igitur fuit, ut Deus naturæ humanæ tales, non alias præſcriberet leges. Corpus conſtat partim ſolidis partibus, partim vero fluidis: ſolidis, ut ſe movere & humana negotia curare poſſit; fluidis, ut conſervatio omnium partium, perpetuo ſanguinis & ſpirituum animalium curſu, totaque συμμετρία partium obtineatur. Quo magis autem affectus in officio continentur, corporique, obſervata diligenti proportione, ea tribuuntur, quæ ad conſervationem omnium partium internarum & externarum facere poſſunt, eo magis valetudo hominis firmatur & confirmatur. Ex quo rurſus manifeſtum eſt, felicitatem etiam reſpectu corporis obtineri non poſſe, niſi obſervatis certis regulis in naturæ humanæ conſtitutione præformatis, hinc experientia quotidiana manifeſtum eſt, quemvis hominem, prouti magis vel minus leges, a Numine homini circa corporis curam præſcriptas, obſervat, eo magis vel minus eum proſpera valetudine uti, vel non uti. Sequitur *tertia* propoſitio, quæ ex attenta conſideratione primæ & ſecundæ neceſſario ſequitur, nimirum noſtram felicitatem cum obſervatione regularum humano generi præſcriptarum naturali nexu cohærere. Cum enim Deus, vi ſanctitatis ſuæ & æquitatis, alium in finem homines condere non potuerit, quam ut in his terris ſalutem ſuam promoverent; regulæ vero de mentis & corporis ἑυεξία præſcriptæ naturali ſua conſtitutione eum in finem tendant, neceſſario colligendum, in hac legum divinarum obſervantia, & officiorum humanorum cuſtodia, vera & ſalutaria poſita eſſe præſidia, quibus hominum abſolvitur felicitas, iiſdemque neglectis homines, per

natu-

naturalem naturæ humanæ constitutionem, sibimetipsis nociva concitare pericula. IV. Cum vero nonsolum Deus felicitatem generis humani promovere velit, sed & leges ipsæ morales hominibus præscriptæ natura sua plurimum conferant ad perficiendum hominem, nemo non, nisi naturam humanam exuere velit, eam felicitatem, quæ cum remuneratione conjuncta est, adpetet. Novi quidem homines dari, nescio cujus insolitæ pietatis cupiditate incensos, qui contendunt, Deum colendum non esse spe remunerationis; quæ tamen opinio mihi semper visa est fanatica & inepta: Impossibile enim est, ut quis amore alicujus rei vel personæ exardescat, sine perceptione alicujus voluptatis, quæ ipsa remunerationis alicujus species est. Et quo tendunt tandem tot promissiones in Evangelio Jesu Christi contentæ, tot ad pietatis studium incentiva, si nullo habito respectu remunerationis in hac & altera vita exspectandæ, virtutis tamen & officiorum ab homine præstandorum nulla habenda est ratio? Cum Deus omnimodam felicitatem suis cultoribus promittat, causam plane video nullam, cur creatura rationalis nullam illius debeat habere rationem? at animus non est data opera hanc opinionem refellere, aut pluribus veritatem nostræ sententiæ tueri.

V. Cum vero experientia omnium seculorum constet, sinceros virtutis sectatores fructus tamen hoc exercitio dignos in hac vita non semper percepisse, sed sæpe durissimis per omnem vitam fatis subjectos fuisse; objectioni, quæ inde enascitur, occurrendum. Diximus supra, virtutis studium natura sua ad promovendam generis humani felicitatem plurimum conferre; contrarium vero cum contingere sæpe soleat, videndum in quo felicitas ista consistat. Nimirum non tam in constanti bonorum illorum, quæ præposteri homines prima putant, possessione, nimirum in divitiis, affluxu omnis generis voluptatum, honoribus, existimatione, & perpetua sanitate corporis, quam vero in tranquillitate mentis, bonæ conscientiæ testimonio, & sincero Dei amore. Postrema illa bona virtutis amanti eripi non possunt, in quocunque tandem statu posito. Potest quidem horum bonorum perceptio varias habere vicissitudines, gradusque, at destrui plane non potest. Monstrandum insuper sine perpetuis miraculis fieri non posse, ut homo semper externis illis bonis, jam jam enumeratis, fruatur. Multa sunt, cum a primigenia mentis & corporis constitutione dependentia, tum a diversa vitæ, tem-

peramentique, & aliorum hominum relatione repetenda, quæ impediunt, quo minus homo virtutis etiam amantiſſimus hæc bona acceſſoria poſſit poſſidere. Interim ſemper firma erit noſtra ſententia, virtutis ſtudium ad bona hæc conſequenda eſſe aptiſſimum. (*)

VI. Denique ponamus, etiam hominem virtutis amantiſſimum cum adverſa conflictari fortuna, diverſisque hujus vitæ adverſitatibus obnoxium eſſe, monſtrandum tamen, virtutem inter ea ſemper referendam, quæ homines feliciſſimos reddere poſſunt. Eum in finem oſtendendum, Deum non eſſe Ens pro arbitrio ſolo agens, & nullum habere reſpectum, cum ad leges univerſales generi humano præſcriptas, tum ad actiones morales ſingulorum hominum. Certe qui hoc profitetur, omnem Numinis reverentiam & amorem ex animis hominum, quantum in ſe eſt, excuteret. Monſtrandum ſecundo loco, æquitatem & bonitatem divinam, ratione & revelatione cognitam, permittere non poſſe, ut homo pius, ſed variis miſeriis & calamitatibus in hoc vitæ curſu preſſus, excidere poſſit ſpe

(*) Quadrant hîc verba cl. & doctiſſimi FORMEY, quæ leguntur pag. 204. libri bonæ frugis pleniſſimi, cujus titulus: „ Le Philoſophe Chrétien. „ Prémièrement, (inquit) qu'eſt ce que l'Univers, tel que nous le connoiſſons par l'experience, tel que les ſens nous le répréſentent. C'eſt „ un aſſemblage de cauſes & d'effets, qui ont entr'eux un énchainement „ naturel & conſtant, de manière que les évenemens ſe ſuccèdent en „ conformité de certaines loix une fois établies, & qui ne ſe démentent jamais. Une telle diſpoſition eſt bien digne de l'Etre ſouverainement parfait; il lui convient d'avoir produit un Syſtême qui aille ſon „ train reglé, & auquel il ne ſoit pas beſoin de mettre la main & de toucher continuellement. C'eſt un caractère qui fait honneur aux productions de l'art; on les eſtime à proportion de l'independance où elles „ ſont de la main de l'Artiſte, qui les livre dans un point de perfection, „ où elles peuvent ſe ſoutenir. Ce caractère ne ſe trouveroit il point „ dans le Monde, dans ces Chef-d'œuvre de la Divinité? n'y admireroit „ on pas un ordre reglé, une uniformité conſtante? Ouï, ſans doute, „ on y admire toutes ces choſes, mais elles diſparoitroient bientôt, ſi „ les pecheurs étoient punis à chaque inſtant de leurs offenſes. Il faudroit, que Dieu intervint par des miracles continuels, qu'il changeât „ l'Oeconomie de la Nature, qu'il augmentât l'activité de certaines cauſes, „ qu'il ſuſpendit celle des autres, en un mot, qu'il fut, pour ainſi dire, occupé ſans ceſſe à faire & à défaire, à frapper & à reparer les bréches. „ Aſſurément, quiconque a de ſaines notions des choſes, comprendra ſans „ peine, que la conduite, que Dieu tient actuellement, eſt infiniment plus „ digne de lui, & plus conforme à l'idée que nous avons de ſes perfections.

ſpe futuræ remunerationis poſt hanc vitam obtinendæ. Præſtaret nullum agnoſcere Numen optimum atque ſapientiſſimum, quam de hac veritate dubitare. Denique poſita divina origine religionis chriſtianæ, dubitari non poteſt, quin homo chriſtianus lætiſſima tandem halcyonia poſt calamitoſæ vitæ exitum experturus ſit. Tam certæ enim ſunt inprimis in N. Teſtamento, tamque infallibiles promiſſiones, ut pius inficiari ulla ſpecie veri non poſſit, quin Deus propter infinitam meriti Jeſu Chriſti vim & dignitatem, eum tandem ſit remuneraturus, omniaque illa præſtiturus, quæ ad felicitatem ſuam promovendam facere poſſunt. Atque ita ſemper verum erit, virtutem, qualitercunque conſideratam, optimum eſſe vitæ ducem ad veri nominis felicitatem obtinendam. Ubi ſimul notandum, multos dari pios, qui adverſa fata non experti ſunt, ſed tranquillam, quantum in hac rerum caligine fieri poteſt, exegerunt vitam, omnibuſque bonis accumulati in his terris jam futuræ felicitatis prælibaverunt delicias.

X.

Denique oſtenditur, quid Scriptori Ethicæ, ſimplicitatem ſectaturo, obſervandum ſit reſpectu incitamentorum virtutis & impedimentorum.

Ad finem huic diſſertationi imponendum properantes, quædam adhuc adjicienda putamus, de incitamentis ad virtutem, & de impedimentis ejuſdem. Incitamenta debent eſſe totidem argumenta, quibus homines ſanæ mentis vehementer ad virtutis ſtudium incenduntur. Hæc autem debent *primo* omnium ingeniis eſſe attemperata, adeoque captu facilia, & clariſſimis verbis expreſſa: ſine his enim ſtimuli nulli ad virtutem in animis hominum excitantur. *Secundo* debent eſſe *firma* & *certa*: infirma ſunt, quæ vel ex meris conſtant allegoriis, aut ex hyperbolicis locutionibus, quæ, ſi ad vivum reſecarentur, meram involverent impoſſibilitatem; vel quæ ſuperſtitionem olent, & ex umbraticorum Doctorum ſcriptis petita ſunt. *Tertio* denique ex ipſius virtutis commendandæ indole & natura, non neglectis aliis argumentis, peti debent: quo enim magis vera imago harum vel illarum virtutum innoteſcit, eo fortius animi, quantum quidem natura argumentorum valere poſſunt, ad aſſenſum pertrahuntur. Hinc patet etiam (4.) incitamenta non debere eſſe generalia, taliaque, quæ ad commendandas omnes virtutes in genere adhiberi

poſſunt, ſed debent ſingillatim peti ex natura indoleque cujuſvis virtutis. Unde etiam laudanda eſt induſtria virorum præſtantiſſimorum v. gr. *Oſtervvaldii*, *Placette* & aliorum, qui hoc vel illud vitium inter Chriſtianos graſſans ſingillatim, & data opera ſibi debellandum ſumſerunt, per partes illius fœditatem deſcripſerunt, mediaque adduxerunt, quæ illi reprimendo & eradicando quammaxime idonea ſunt. Quod de incitamentis dixi, idem etiam obſervandum de *impedimentis* virtutum. Verum eſt, dari quædam impedimenta generalia, quibus homines a virtutum omnis generis ſtudiis retrahuntur. At illa non valent tantum, quantum ea, quæ ſingulari cuidam vitio oppoſita ſunt. Quemadmodum enim Medicus generaliter quidem docere poteſt, quænam ſint quæ ſanitati obſtare poſſint, hominesque in varii generis morbos conjicere; ita facilius tamen ægro cum certo morbi genere conflictanti conſulitur, ſi impedimenta ſingularia huic vel illi morbo curando convenientia ſuppeditantur, & in medium proferuntur.

MEDI-

****

MEDITATIONUM DE PIA ET CIRCUMSPECTA In tradendis ſanctioribus diſciplinis ſectanda SIMPLICITATE

Pars Septima.

Sect. I.

In hac Diſſertatione inquiritur in cauſas, cur multi veterum & recentiorum Theologorum a ſimplicitate illa receſſerint.

POſtquam ſex Diſſertationibus *thema*, *de Simplicitate in ſanctioribus diſciplinis tradendis obſervanda*, ad finem perduximus, & pro ingenii capacitate ea nos attuliſſe exiſtimamus, quæ ad ſcopum, quem intendimus, multum conferre poſſunt; ad aliud argumentum, in gratiam auditorum noſtrorum pertractandum pergendum nobis eſſe cenſuimus. Omnibus vero rite perpenſis, haud inutilem laborem nos ſuſcepturos eſſe credidimus, ſi *appendicis* loco in cauſas inquiſituri eſſemus, quæ impediverunt hactenus, quo minus multi veterum & recentiorum religionis Antiſtitum *amabilem* illam *ſimplicitatem* in tradendis veritatibus ad religionem pertinentibus ſectati ſint. Forte nobis occaſio dabitur talia in medium proferendi, quæ puræ caſtæque religionis amatoribus grata & accepta erunt. Saltem bono animo hoc inſtitutum a nobis ſuſceptum omnes veri amantes, niſi omnia me fallunt, deprehendent.

II. In

II.

Styli & verborum obscuritas simplicitati theologicæ obest.

In superioribus monuimus, *Simplicitatem theologicam* omnibus illis oppositam esse de Theologia loquendi & ratiocinandi methodis, quæ *obscuræ*, *non necessariæ*, & parum *evidentes* sunt; sunt porro talia, quæ a vero scopo disciplinæ sanctissimæ abhorrent; inutilibus disputationibus agitandis fœdam materiem præbent; mentes denique solida rerum divinarum cognitione non imbuunt, sed ab ea retrahunt. Monuimus simul, a vera illa simplicitate illa recedi, cum respectu *styli*, quo utuntur quidam Theologi, tum respectu *rerum* quas tradere aggrediuntur. In causas utriusque mali jam quidem est inquirendum. Et (1.) quidem quod ad *stylum* attinet, cujuscunque tandem idiomatis ille sit, causa obscuritatis in eo quærenda, quod multi Doctores in ætate puerili lectionem optimorum scriptorum plane neglexerint, & eos potius evolverint, qui clari sunt ob obscuram linguam, iisque phrasibus loquendi, quæ ad minutas & obscuras opiniones defendendas facere possunt, usi sunt. Multi in juventute aureæ ætatis auctores classicos, uti appellantur, legerunt; ubi vero ad addiscenda systemata theologica & philosophica deventum est, puræ castæque dictionis regulas deserunt. Neque hoc vitium Scholasticorum ævo duntaxat invaluit, sed & inter recentioris ætatis scriptores locum obtinet. Postquam enim in omnibus fere disciplinis, theologicis cumprimis & philosophicis, novæ exortæ sunt controversiæ; ad eas rite explicandas termini hactenus ignoti inventi sunt; unde sæpe fieri solet, ut unus idemque scriptor ad suam sententiam declarandam iisdem utatur vocabulis, quæ alius adhibet, licet plane diversam iis potestatem subjiciat. Accedit huc, quod multi Theologi ex voluminosis scriptis optimo animo brevia compendia colligere velint, ita tamen, ut ne ea quidem negligant, quæ ad argumentum rite pertractandum non pertinent. Hinc ubi breves esse volunt, obscuri fiunt. Multi insuper, qui de rebus sacris disserere volunt, claras tamen & distinctas ideas de iisdem non habent, hinc verbis obscuris, aut plane nihil significantibus, animorum sensa aperire solent. Accidere certe hoc illis solet, qui res verbis exprimere volunt, quas vel plane ignoramus, vel imperfecte saltem cognoscimus. Talia autem multa in Theologia & Philosophia occurrere, is demum ignorat, qui in utraque disciplina hospes est. Sic v. gr. ut innumera

numera silentio transeam, quis intelligat productionis creaturarum modum, quando illustris *Leibnizius* ait, creaturas oriri per *continuas Divinitatis fulgurationes.* Vide *Acta Erud. Lipſ. Tom. VII. Supplement.* Ita vox *χαρις* in N. Testamento diversas habet significationes, ut notum est: Quidam vero frequenter huic voci eam subjiciunt potestatem, quæ vix intelligi potest. Experiuntur hoc cumprimis illi, qui de internis animorum sensationibus & piorum affectionibus scribere animos inducunt. Multa sæpe hìc occurrunt, quæ homo pius sentire potius ipse, quam multis verbis describere, & aliis narrare possit. Nihil jam dicam de *Mysticorum Scriptorum* obscurissimis vocibus & phrasibus, quæ veram religionem & pietatem in contemtum potius ducunt, quam ut homines amore ejus incendant. Unde pii & cordati Theologi semper doluerunt, hanc tradendi capita religionis methodum introductam, & ab incautis Doctoribus sæpe laudatam fuisse. Vide de hac re differentem *τον μακαριτην* cl. *Osterwaldium* in libro bonæ frugis plenissimo, cujus titulus: *Source de la corruption &c.* Quali hodie stylo utantur *Heerenhutenses*, suas de Religione opiniones commendaturi, notum valde est. (*) Denique a simplicitate in stylo recedunt qui rhetoricationibus indulgent, & cum de divinis rebus agere volunt, imaginationi frena laxant, & figuris figuras addunt, ne perpluant. (**)

III.

Sed pergendum est ad *res ipsas*, & videndum, quænam præcipuæ causæ sint, cur multi veterum & recentiorum Theologorum in docendo & scribendo a nobili illa *simplicitate* recesserint. Ratio *prima* in eo posita esse videtur, quod nimirum multi, qui ad scribendum de rebus divinis animos adjecerunt, *ignorent, quid in Religione sit præ-*

Quantum ad res ipsas sacras pertinet, prima causa neglectæ simplicitatis theologicæ detegitur.

(*) Ad rite judicandum de horum hominum de religione differendi ratione, vide libellum cl. STINSTRA de Fanaticismo, & nobilissimi RIMMII tractatum de SINZENDORFII & sequacium religione ac opinationibus.

(**) Vide de hoc argumento *τȣ μακαριτȣ* celeb. WERENFELSII libellum de logomachiis eruditorum, & inprimis evolve caput VII. CLERICI insuper artis criticæ partem II. ſ. I. cap. IV. LOKIUM de Sermone. De erroribus vero Patrum ecclesiæ circa hoc argumentum commissis, vide DALLÆUM cap. V. de vero usu Patrum.

præ cæteris eximium, *pulchrum & momentosum.* Nimirum multi ab ipsa juventute audiverunt, præceptores suos de variis religionis capitibus, gravibus pariter & levibus, acerrime disputantes: has opinationes memoriæ feliciter mandarunt, easque tanquam veritates maximi momenti jugiter & acriter inculcandas posteris esse judicarunt. Cum vero paucissimi Doctorum ad id, quod in articulis religionis momentosum est, attendant, & id, quod ad *naturam* & veram quæstionis *indolem* necessario pertinet, ab iis, quæ accessoria sunt, minusque ad rem declarandam faciunt, non probe distinguant, fieri aliter non potest, quam ut articuli gravissimi religionis & maxime salutares tenebris potius involvantur, quam explicentur, eaque, quæ minus cognitu necessaria sunt, non minore fervore urgeantur, quam quæ sunt cum certissima consequendæ salutis spe conjuncta. Quod ipsum *simplicitati theologicæ* plane contrarium est. Unum alterumve exemplum adduxisse juvabit. Notum est, a multis retro seculis acerrime inter Christianos disputatum fuisse de *gratia* & *prædestinatione.* De re ipsa agere animus non est. Historiam hujus certaminis brevi dissertatione complexus est celeb. *Pfaffius*, *Cancellarius Academiæ Tübingensis*, & post eum fusius ὁ μακαρίτης cl. *Hottingerus*, ut de aliis, qui data opera de *Pelagianismo* & *Semipelagianismo* scripserunt, nihil dicam. Hoc unum addo, licet integris voluminibus de hac materia scriptum sit, omnia tamen ea, quæ in usum omnium Christianorum de his capitibus controversis revocari, resectis minus necessariis possent, ad pauca numero, mea opinione, redigi possent capita; quæ, ni fallor, ad sequentia referri possent.

I. Deum sapientissimum, optimum, & humani generis cupidissimum, ab omni æternitate consilium cepisse hominibus viam monstrandi, per quam ad beatam felicitatem tuto pervenire possint.

II. Eundem, consilium suum revelatione cœlitus datum, per varia temporum intervalla mox obscurius, mox clarius, cum hominibus communicasse.

III. Præcipuam vero causam tanti beneficii consequendi fuisse adventum Soteris nostri Θεανθρώπου in terris, qui non solum doctrina salutari hominum mentes perfuderit, atque eam miraculis clarissimis confirmaverit, sed & cruenta morte obsignaverit atque impetraverit.

IV. Deum

IV. Deum intuitu hujus voluntariæ mortis cum genere humano reconciliari velle.

V. Ad hanc gratiam vero obtinendam non solum necesse esse, ut homines ingens hoc beneficium grata mente agnoscant, sed & ut corruptionis suæ memores, ad cruentam Jesu Christi mortem, tanquam ad unicum salutis asylum in vita & morte confugiant.

VI. Certos dari characteres, ex quibus omnes, qui Evangelio Jesu Christi adstipulantur, colligere possint, utrum consilium illud gratiæ per Jesum Christum perficiendum ad se pertineat, nec ne.

VII. Hos characteres ad tria posse revocari capita; nimirum ad seriam de peccatis commissis pœnitentiam; fiduciam in unicum nostrum Soterem Jesum Christum; & mandatorum divinorum observantiam.

VIII. Ad has virtutes obtinendas opus esse gratia divina, intus in mentes agente, precibusque ardentibus ex sincero cordis affectu emanantibus.

IX. Omnes homines de salute sua cupidos nonsolum persuasos esse posse, utrum characteribus illis ornati sint, nec ne; sed & omnes, cuicunque tandem systemati de gratia & prædestinatione addicti sint, certam spem consequendæ salutis, si certis indiciis constet, eos virtutibus illis ornatos esse, habere posse. Ad hæc capita referri posse putamus omnia, quæ ad communem utilitatem omnium Christianorum, inprimis eorum, qui *Protestantium* cœtibus addicti sunt, facere possunt. Cætera omnia, quæ de ordine decretorum; de operatione *physica* in mentes hominum; de *paucitate* vel *multitudine* electorum disputari solent, ad *accessoria* & minus *utilia* referenda esse puto, salvo tamen meliore aliorum judicio. Idem dici posset de natura *fidei salutaris:* de *usu præcipuo S. Cœnæ:* & aliis capitibus religionis christianæ. (*)

(*) Consentiunt mecum hac in parte celeberrimi nominis Theologi, BURNETUS, Episcopus Salisburiensis, JABLONSKIUS, WERENFELSIUS, TURRETINUS, & quotquot de pace inter Reformatos & Lutheranos promovenda scripserunt.

IV.

Repræsentatur secunda causa neglectæ simplicitatis theologicæ.

Ex falsa imagine rerum ad Theologiam pertinentium oritur *secunda* causa, quæ impedit, quo minus Doctores publici *simplicissimam* Sacra tractandi viam sequantur. Nimirum quidam existumant, veri nominis eruditionem theologicam sitam esse in *cognitione & defensione, vel refutatione omnium opinionum, quæ inter Christianos a primis post Christi mortem seculis ad nostram usque ætatem exortæ fuerunt.* Non negamus necesse esse, ut eruditus & cordatus Theologus graviorum & pietati inimicorum errorum fontes perspectos, peritiamque habeat, eos legitimis argumentis revincendi: Observandum vero, ad hanc cognitionem adquirendam opus non esse, ut omnium stultarum opinionum, quæ unquam inter Christianos exortæ sunt, notitiam sibi comparet, & prolixe de iis differere valeat. Quem enim in finem tandem pretiosissimum tempus vir sapiens his cognoscendis & revincendis impendet? Profecto in eo potius se vera peritia theologica instructum esse demonstrabit, si theoreticos pariter & practicos errores veræ pietati adversantes argumentis validissimis impugnare, atque eorum fontes detegere ita potest, ut errantes omnes, si aliquo veritatis amore tenentur, rectius incipiant de gravissimis religionis capitibus sapere, vitamque universam ad sanctissimam religionis normam componere. Ad hæc accedere debet probitas & ardens quoddam studium, rejecto frivolarum & stultarum opinationum prolixo examine, id duntaxat populo christiano & auditoribus suis inculcandi, quod per omnem vitam *utile* est, & *scitu* & *præstitu* necessarium. Cogitandum semper sapientibus Theologis, in quo genuina indoles Christianismi consistat, quosque effectus producere debeat. Provocabo hoc probaturus non ad celebrem aliquem sanctioris disciplinæ Doctorem, sed ad JCtum clarissimum, nimirum J. H. *Boehmerum*, qui in *dissertatione præliminari de suprema lege ecclesiastica, primo vol. Juris ecclesiastici præmissa*, ita de vera *Christianismi* natura differit: *Perpendentibus* (inquit) *Christianismi indolem, constat ex novo fœdere, doctrinam Salvatoris nostri toto cœlo differre a mundana sapientia, & sic quoque vita secundum hanc doctrinam efformata, ad quam tota doctrina Christi unice tendit, plane diversa esse debet ab illa, quæ saltem secundum ductum rationis instituitur, & ad quandam evehitur honestatem, ambitione*

bitione cordis hominem naturalem huc inclinante. Scilicet, ut contraham in compendium, rationem Christianismi Paulus ad Ephesios satis clare docet, unice eam ad intimam cordis & inclinationum humanarum mutationem tendere, & ita emendationem hominum internam operari & intendere, ut & in hac & æterna vita beati & salvi existant. - - Per Christianismum ipsius cordis & pravarum inclinationum semina, si non in totum evelluntur, saltem ita enervantur, ut actiones Christianorum longe alium faciem induant, ac quidem in statu naturali habent. Qui antea ambitione trahebatur, humilitatem sectatur; qui cupiditatibus carnis aliisque illecebris voluptatis indulgebat, easdem spernit, & odio habet; & qui summum bonum quæsiverat in possessione bonorum hujus mundi, facile agnoscit, hæc potius homini nociva esse & oneri, atque adeo lucri amorem sponte deponit. Et hæc mutatio est nova quædam vita, cum vetus corrupta vita plane extincta videatur, secundum quam homo voluntatem carnis & rationis sequebatur. Ephes. II. 3. *Christus ipse eum vivificat & transformat eundem in cælestem vitam.* Ephes. II. 5. 6. *innovat Spiritum mentis*, Ephes. IV. 23. Coloss. III. 10. *ut fiat novus homo & nova creatura in ipso*, Ephes. IV. 24. Rom. VI. 4. 2. Cor. V. 17. *efformata ad imaginem Dei ipsius*, Coloss. III. 10. Gal. VI. 15. *cum ipse Christus in eo vivit*, Gal. II. 20. *adeo ut particeps esse factus dicatur divinæ naturæ & unus cum eo spiritus*, 1. Corinth. VI. 17. *transformatus in imaginem Christi*, 2. Cor. III. 18. Psal. XXXVI. 10. *Hæc sane prædicata, quæ primarium ἔργον Christianismi constituunt, ita comparata sunt, ut plane aliam vitam aliosque mores in Christiano postulent, si non nudo nomine, sed ipso opere, absque omni hypocrisi, Christi vitam induere velit. Breviter: finis Christianismi unice spiritualis est, cordis & pravarum inclinationum emendationem intendens, hominemque in totum transformans, eique cælestem naturam tribuens, quæ antea carnalis & naturalis erat, prout egregie Cyprianus in lib. ad Donatum exemplo sui ipsius illustrat.* Hactenus *celebris* ille *Juris-Consultus.* (*)

(*) Sic pariter sensisse illustrissimum Archiepiscopum TILLOTSONIUM testatur BURNETUS in oratione funebri, quam occasione mortis M. viri habuit. Verba ita sonant ex versione cl. BARBEYRACII. „ Il estimoit, que le „ grand bût du Christianisme est de réformer & de redresser la Nature „ humaine, de diriger nos actions, de réprimer nos desirs & nos pas„ sions, d'addoucir nos inclinations & nos naturels, de régler nos af„ fections, de détacher nos esprits des intérêts & des folies de ce présent

At illi, de quibus agimus, in aliis potius rebus, quam in repræsentatione articulorum, ad solidam eruditionem & veram pietatem promovendam facientium, laborem & officium Doctoris publici repositum esse existimant. Quo ampliorem omnium minutarum de religione opinionum per omnia secula exortarum cognitionem habent; quo accuratius eas ad digitos referre valent, & quibuscunque tandem rationibus impugnare, eo se insigniores esse & celebriores Theologos putant. Pessimum hoc est, quod illi, qui hoc morbo laborant, præposteram hanc Theologiam tractandi methodum auditoribus suis ultra modum commendent, unde crescente ætate, multi enascuntur *Doctores umbratici*, qui de quibusvis minutis opinionibus garriunt, easque non sine supercilio tuentur, ignari sæpe earum rerum, quæ ad naturam Evangelii Jesu Christi rite delineandam, & ad officia pastoralia recte præstanda requiruntur. Hinc, ubi munere quodam pastorali defungi tenentur, de aliis omnibus potius, quam de iis, quæ scitu sunt quam maxime necessaria, & *simplicitati christianæ* convenientia, verba facere solent. (*)

V.

Præposterus metus caussa est contemtæ simplicitatis theologicæ.

Præposterus etiam *quidam metus*, quod *tertio loco* observari velim, *impedit*, *quo minus viri ingenio non destituti*, *multas ineptas*, *obscuras & a simplicitate vera abhorrentes opiniones*, *longo annorum usu confirmatas*, *tanquam inutiles resecent*, *& nudam simplicemque veritatem*

,, Siécle, & de les élever à l'espérance & à la recherche d'une félicité éternelle. Le corps de la doctrine chrétienne lui paroissoit un Systême des Principes, qui tous tendent là manifestement. Il régardoit les disputes sur des choses de peu de conséquence, ou sur des subtilités, qui ont du rapport aux matières de la plus haute importance, comme un des plus grands artifices, dont la puissance des ténébres se sert pour ruïner les véritables fins de la venuë du Fils de Dieu dans le monde. Il voïoit bien, que ces disputes engagent dans des discussions fort séches & accompagnées d'une grande animosité; de sorte que, pendant qu'on s'échauffe à former des cabales, & à prévaloir ses opinions, on se reláche de plus en plus dans la pratique des grands Devoirs, qui sont le principal bût de la Religion chrétienne. ,, Idem amplissimis testimoniis probat doctissimus Birch, S. T. Doctor, in luculenta βιογραφιᾳ vitæ fatorumque magni hujus Præsulis.

(*) Legenda de hoc argumento dissertatio τοῦ μακαρίτου celeb. Werenfelsii, de scopo Doctoris, in Academia S. Litteras docentis.

tem proferant atque propugnent. Hic sane *metus* in causa sæpe est, ut multæ obscurissimæ & parum profuturæ, imo a simplicitate christiana quammaxime recedentes opiniones retineantur. Neque obscurum est, unde ille metus exoriatur. Notum inter fratres, uni eidemque confessioni addictos, *raram esse amicitiam & sincerum cordis affectum.* In diversa, propter varias rationes, distrahuntur studia. Plerique ob ingenii inopiam & imbecillitatem antecedentium turbam sequuntur, euntque quo itur, non quo eundum est. Quidam malitiosi non sunt; at meticulosi valde. Alii stulta opinione & superbia inducti, non tantum meliora admittere nolunt, sed & nescio qua vesania ita in præceps aguntur, ut homines veri amantissimos in contemtum apud vulgus hominum adducere, iisque acerbam vitam reddere conentur. Sunt, qui ferre non possunt, quando vir eruditus, magisque acutum quam cæteri collegæ cernens, laudibus debitis ab exteris extollitur, scriptaque ejusdem laudantur; hinc meritis ipsius quavis data occasione detrahere nituntur. Cum vero ita omnes fere homines natura comparati sint, ut molestias omnes a se quam longissime remotas esse cupiant; contra vero vitam vivere cupiant tranquillam, sæpe, imo frequenter factum est, ut multi eruditi meliora cernentes, evitandarum tot molestiarum causa, maluerint cum cæteris σχλινδριάζειν, quam mascule ridiculis erroribus & ignorantiæ fortia opponere pectora. Confirmant hoc nonsolum omnium seculorum experientia, sed inprimis ea, quæ circa tempus *emendationis Sacrorum*, seculo decimo sexto, acta sunt. Multi eodem spiritu agitabantur ac quidem *Erasmus*, (cujus debitis laudibus in cæteris nihil detractum volumus) qui ad *martyrium* obeundum, & ad tot molestias devorandas propter Evangelium, naturam & temperamentum se minime nactum esse publice asserebat. Et quis tandem lubens perpetuis & nocturnis laboribus, cum detrimento valetudinis, veritati alicui in lucem producendæ intentus erit, opinionesque vulgo receptas summa cum industria pervestigabit, & earum falsitatem & vanitatem demonstrabit, si manifestum sit, se loco laudis & remunerationis nonnisi criminationes & promiscuæ turbæ cavillationes exspectare posse, imo apertissimis indiciis constet, se nociva pericula contra se excitaturum? Profecto omnium temporum experientia comprobatum, homines nullo ingenio instructos, sed communes de religione receptas opiniones

strenue

ſtrenue ſectantes & defendentes, feliciores ſemper fuiſſe iis, qui ad examinandas divinas pariter & humanas ſcientias omnes ingenii artus & vires impenderunt. Quid contigerit J. *Arminio*, veteres (vel ſi mavis novas) de *prædeſtinatione* & *gratia* ſententias inducturo, ſatis notum eſt. Nimirum adverſarios nactus eſt vehementes, qui contra eum inſurrexerunt, vitamque illi acerbiſſimam reddiderunt, unde ex tædiis variis & moleſtiis nonſolum in morbum incidit gravem, ſed & præmatura morte extinctus eſt. Vide hiſtoriam vitæ J. *Arminii*, a C. *Brantio* ſcriptam, & P. *Bertii orationem funebrem J. Arminii*. Hæc ſiniſtra fata *Arminii* poſtquam expoſuiſſet P. *Baylius* in *Lexico*, ſequentia addit. *On ne peut ſonger à cela, ſans deplorer la vanité des choſes humaines. Nous régardons la ſtupidité comme un grand malheur. Les Peres, qui ont les yeux aſſès bons, pour s'apperçevoir de la bêtiſe de leurs fils, s'affligent extrêmement: ils leurs voudroient voir un grand génie, une haute ſcience; &, s'ils ſe trouvent dans ce cas-là, leur joïe eſt preſqu'infinie. C'eſt bien ſouvent ignorer, ce que l'on fait, & ce qu'on ſouhaite. Il eût cent fois mieux valu à Arminius d'être hébété, que d'avoir beaucoup d'eſprit; car la gloire de donner ſon nom à une ſecte, qui fait figure dans le Monde, & qui a produit d'habiles gens, eſt un bien très chimérique en comparaiſon des maux réëls, des chagrins, des douleurs, des amertumes, qu'il ſentit pendant ſa vie, & qui abrégérent ſes jours, & qu'il n'auroit point ſenties, s'il avoit été un Théologien à la douzaine, un petit Eſprit, un Niais, enfin de cette claſſe des gens, dont on fait cette prédiction;* ils ne feront point d'Héréſies. *Juvenal auroit allégué un tel exemple dans ſa dixiéme Satire, s'il y eût eû des diſputes de Religion en ce tems-là, qui euſſent cauſé la mort à l'un des Tenans.* Hactenus *Baylius*. Imo fuerunt viri de eccleſia & optimis litteris meritiſſimi, qui nonſolum variis calumniis violentorum hominum ſpirantes adhuc viventesque fuerunt expoſiti; ſed & qui tanquam *vates* prædixerunt, poſt fata ſua ſurrecturos homines, qui meritis ſuis & optimis conatibus ſint detracturi, & famam atque exiſtimationem eruditione & pietate partam ſint laceraturi. Inter eos merito referendus *Philippus Melanchton*, vir, ut notum eſt, de *eccleſia* puriore & eruditione ſolida meritiſſimus. Inter opera ipſius extat de calumniatoribus ſuis & contra virulentas eorum calumnias *conſolatio*, ſcripta Anno 1560. d. 16. Febr. paucis ante felicem obitum diebus. Sonat

nat autem ita. *Scio cum in aliis omnibus, quibus honesti labores mandati sunt, tum vero præcipue in docentibus, rectæ voluntatis conscientiam & non mediocrem diligentiam esse oportere:* sicut Paulus inquit: *Hoc requiritur ut fideles simus. Deinde oportere eos aliquorum piorum & recte judicantium testimonia habere, nec defugere legitima judicia. - - Studium autem recte docendi, & piam voluntatem me habere affirmo, & spero meos labores & sententias multis piis & doctis probari: & semper meipsum, measque sententias & actiones omnes subjeci & adhuc subjicio judiciis omnium piorum & eruditorum, quos tamen oro, ut in judicando candorem adhibeant, convenientem sapientibus viris. Scio enim me non esse ἀναμάρτητον. Et sicubi desideretur explicatio, me ad eam offero. Cumque recens meum scriptum - - - de multis controversiis hujus perspicue meas sententias ostendat, volo id prioribus scriptis adjungi. Staphylus & Stankarus, eorumque socii, meras calumnias consuunt, & ut dicitur, actum agentes, sicut anus saltantes, strepitum & pulverem excitant. - - - Alii tanquam de rebus necessariis certantes, non desinunt calumnias texere, & quicquid possunt carpere ex meis scriptis, id exagitant, pervertentes aut calumniantes, de quibus non sum male meritus. Sed cum statuerint illi adversum me facere & statuere omnia, nihil postea etiam debeo exspectare aliud, quam tentaturos eos & aggressuros esse, quicquid putaverint nomini meo ignominiam afferre posse. Quorum tamen rixæ quid sibi velint, & quo evasuræ sint, non video, neque ullos alios ignaros consilium eorum videre existimo. Notum autem est, ecclesiæ militiam omnibus temporibus in hac mortali vita ærumnosam esse, & multos esse recte docentium hostes, ac varios esse hostium exercitus; omnes Atheos & Hypocritas fascinatos consuetudine, item Scurras aulicos & homines fanaticos. Hæc communis ecclesiæ calamitas cum me quoque duriter exerceat, non fiat judicium de mea doctrina ex meis injuriis & inimicorum multitudine. Ostendit enim vitæ confusio, nimis verum esse quod dicitur:* Ὄχλος σὺν ἀμαθίᾳ δεινὸν κακόν. *Oro autem Filium Dei, Dominum nostrum Jesum Christum, sedentem ad dextram æterni Patris, ac dona largientem hominibus, ut semper in his regionibus colligat ecclesiam & me clementer gubernet, & faciat, ut quam plurimi simus unum in Deo. Sæpe etiam, de sævitia inimicorum cogitans, illud Tertulliani mihi & aliis recito: Si apud Deum deposueris injuriam, ipse ultor est: Si damnum, restitutor est.*

est. Hoc dictum congruere cum divinis consolationibus pii norunt, quas in suis quisque ærumnis cogitat. Bene vale lector.

Præsagium hoc eventum comprobasse, constat ex relatione præstantissimorum scriptorum, qui ex monumentis fide dignissimis nonsolum ea, quæ vivente adhuc *Melanchtone* gesta sunt, exposuerunt, sed & quæ post mortem ipsius de ipso & scriptis ejus lata sunt judicia. Vide *Sekendorfii historiam Lutheranismi*, *Camerarii vitam Melanchtonis*, & quæ ex utroque, aliisque collegit P. *Baylius*, in Lexico suo, titulo *Melanchton.* (*)

VI. Huc

(*) Pertinet huc exemplum, quod de LAURENTIO VALLA adducit auctor Consultationis, de optima Christianorum secta, Patavii 1688. edita. Postquam enim exposuisset, quam periculosum valde sit in ecclesia romana a publice receptis opinionibus recedere, hæc adjicit: „ Et ut manifesti „ (inquit) criminis exemplum e plurimis prodam, memorabile est, quod „ centum fere ante Lutherum annis Laurentio Vallæ, illi Litterarum „ instauratori, contigit. Audiverat is pro concione licentissime de omnibus, tum maxime de Symbolo Apostolico, decernentem Monachum; „ contendebat namque ille, ut erat seculum ineptissimum, Apostolici „ Symboli nomen inde profectum esse, quod omnes & singuli Apostoli ea „ formula & tenore, quin & lingua qua hodie credo legitur, illud concinnassent, singulis Symboli pericopis ad singulos nominatim Apostolos relatis. Id cum audiret Valla, ad amicum virum, eumque doctum conversus, quæ, inquit, illa Monachi intemperies, jactantis „ Symbolum Apostolicum inde appellari, quod suum quisque & sensum „ & vocem illi commodassent, cum ego luculentissimis testimoniis probare possim, non ab Apostolis illud Symbolum, sed Patribus Concilii „ Nicæni illa forma & lingua græca, ex Apostolorum scriptis collectum & „ dispositum profluxisse. Quæ viri docti crisis cum tandem ad Monachi & „ universi Cleri aures dimanaret, tanta in eum coorta est tempestas, ut „ nisi in examine, ubi de universo Religionis & Philosophiæ negotio, „ etiam num quid decem prædicamentis crederet, rationem reddere debuit, ambiguo sophismate & responso, credo quod credit ecclesia „ mater, capiti suo cavisset, utique perierat Valla, exinde tamen semper „ ob reformatos ex historia sacra Evangelii sensus in suspicionem Atheismi „ adductus. „ Confer de hac historia P. BAYLII Lexicon titulo: L. VALLA. Quam iniqua de illustri GROTIO, vivente adhuc, & post mortem ipsius lata sint judicia, docet præter alios doctissimus auctor libri, cui titulus: „ H. GROTII, Belgarum Phœnicis, Manes ab iniquis obtrectationibus vindicati; Delphis Batavorum 1727. editi.

VI

Huc accedit *quarto loco*: *nimia veneratio Majorum & antecessorum*, *qui disciplinas sacras tradiderunt*. Non sine causa Majorum, de ecclesia & optimis disciplinis meritorum, memoria sancta & venerabilis esse debet, penes eos, qui omnibus rebus verum pretium ponere solent; cavendum adeoque, ne ingrati animi rei adversus eos simus, & ne data quavis occasione, ubi errarunt, acerbe in eos invehamur. Memores semper esse debemus, quanta omni tempore fuerit opinionum à teneris traditarum & arreptarum vis & efficacia, & quam facile in optimi cujusque & veritatis amantissimi animum irrepat error. Unde etiam semper improbavi eorum conatus, qui in taxandis *Calvini*, *Lutheri*, *Zwinglii* aliorumque illius ætatis virorum præstantium opinationibus & actionibus, singularem posuerant operam. Præterquam enim, quod homines fuerunt æque erroribus obnoxii ac nos; cogitandum semper, quibus vixerint seculis; quænam tum temporis tenebræ ecclesiis incubuerint; qualis tyrannis obstiterit, quo minus veritatis inquirendæ studium locum obtinuerit, & quæ obstacula *divinam simplicitatem* in lucem protrahendi occurrerint, ut de negotiis, quibus tantum non obruti erant excellentissimi viri, nil dicam. At dum confitemur, eos homines fuisse erroribus obnoxios, & in quibusdam etiam lapsos fuisse, hoc ipsum nos monet, ne servili quodam & cæca ratione eorum cogitata, dicta & facta imitemur, sed eandem veritatem inquirendi libertatem & nobis vindicemus; deprehensis Majorum lapsibus meliora tradamus, inutilia resecemus, veteres controversias, quæ aut nullius momenti sunt, aut nostro seculo plane non convenientes, silentio involvamus, & ad ea, quæ gravia duntaxat sunt & ad pietatis studium promovendum plurimum conferre possunt, inculculcanda omnes ingenii nervos intendamus. At plerique Theologi, huic vel illi parti addicti, hanc viam calcare nolunt, sed omnes distinctiones & opiniones veterum, falsas etiam vel inutiles, plane πυξ καὶ λαξ defendendas esse putant, imo iis insultant, eosque pro *heterodoxis* habent, qui eas vel omittendas vel plane rejiciendas esse tuentur. Id vero se facere ajunt ob zelum pro gloria Dei, & acerrimum veritatis tuendæ studium. Sed dudum clarissimis indiciis constat, tales ut plurimum pro gloria *sua*, *fortuna* & *formulis semel receptis* custodiendis potius, quam pro *Majorum* sententiis stabiliendis

Nimia veneratio Majorum quarta causa dici potest, neglectæ simplicitatis theologicæ.

liendis sollicitos esse. Hinc ubi audiunt laudibus celebrari recentiores quosdam Doctores, qualescunque ob causas a Majorum opinionibus recedentes, eoque nomine famam strenuorum veritatis vindicum obtineri, in castra horum primi descendere solent, repudiata veterum auctoritate, solidis etiam rationibus superstructa. Profecto si Majores nostri tam pertinaciter antecessorum suorum opinionibus adhæsissent, & melioribus consiliis spreta auctoritate humana qualicunque non obtemperassent, in tenebris fortasse *Papismi* versaremur adhuc omnes, veritasque nonnisi magno labore detegenda suppressa penitus fuisset. Cordati quidem cœtibus Protestantium addicti Theologi, de his rebus extra partes positi, meæ sententiæ album adjiciunt calculum; at ubi res ipsa in disceptationem venit, & decidendum est an hæc vel illa recepta a Majoribus opinio publice sit repudianda nec ne, ut plurimum in partes distrahuntur *fratres in Christo conjunctissimi*, uti appellari solent, & collegæ uni eidemque confessioni addicti inter se quammaxime dissentire solent. Adeo verum est, quod *Cicero* acad. quæst. libro II. jam suo tempore de dogmaticis Philosophis, certæ alicui sectæ addictis, affirmavit, dicens: *Cæteri primum ante tenentur adstricti, quam quid esset optimum judicare potuerunt. Deinde infirmissimo tempore ætatis aut obsecuti amico cuidam, aut una alicujus, quem primum audierunt, ratione capti, de rebus incognitis judicant, & ad quamcunque sunt disciplinam quasi tempestate delati, ad eam tanquam ad saxum adhærescunt. Nam quod dicunt, omnino se credere ei, quem judicent fuisse sapientem, probarem, si id ipsum rudes & indocti judicare potuissent. Statuere enim quid sit sapiens, vel maxime videtur esse sapientis. Sed ut potuerunt omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum sententiis judicaverunt, aut re simul audita, ad unius se auctoritatem contulerunt. Sed nescio quomodo plerique errare malunt, eamque sententiam, quam adamaverunt, pugnacissime defendere, quam sine pertinacia, quid constantissime dicant, exquirere.*

VII.

Quinta causa adducitur.

Sed accedamus ad *quintam* causam neglectæ *simplicitatis theologicæ*, quæ *in affectata quadam πολυμαθεια* consistit. Multi, qui animos adjungunt ad scribendum de rebus ad religionem spectantibus,

bus, non eo potiſſimum fine & ſcopo id agunt, ut talia in medium proferant, quæ homines meliores & ſapientiores reddere poſſint, ſed ut pro *doctis* habeantur; hoc ſi aliqua ex parte obtinuerunt, ſatis ſe ſuis officiis defunctos putant. Volitare enim per ora virorum doctorum, res ipſis videtur exoptanda valde, imo, ſi eos audias, in hoc conſiſtit præcipua pàrs felicitatis noſtræ in his terris obtinendæ. Ad hunc finem autem obtinendum ex omnis eruditionis genere talia collectanea & excerpta congerunt, quæ ad rem, de qua agitur, explicandam & illuſtrandam aut parum aut nihil plane conferunt. Neque ex fontibus, ſed hinc inde arreptis recentiorum ſcriptorum ſcriniis ea deſumunt. Sic multi ad Patrum antiquorum teſtimonia provocant, quorum tamen nullum a capite ad calcem evolverunt. Multos certe interpretes S. Litterarum, qui nonniſi ſenſum *ſimpliciſſimum* ſcriptorum ſacrorum nobis oſtendere debuiſſent, ſæpius aberraſſe a via, quod non tam ad *verum & ſimplicem* ſenſum S. Litterarum eruendum, quam vero ad eruditionem ſuam multifariam oſtentandam fuerint intenti, dudum a viris doctiſſimis notatum. Inter eos eſt ὁ *μακαρίτης celeb. Werenfelſius*, qui inter alia lectu digniſſima, in diſſert. de *ſcopo interpretis* de hoc morbo quorundam interpretum ita loquitur: *Unde eſt, quod ſæpe ex doctiſſimorum hominum explicationibus tam parum in intelligenda Scriptura proficis? Scholas reperis theologicas & philoſophicas: dicta invenis auctorum omnis generis; Græca, Hebraica, Chaldaica, Syriaca, Arabica: Cernis in his commentariis opus phrygionicum, omnium pene linguarum characteribus variegatum; unicum tantum non reperis, ſenſum loci, quem intelligere cupis; plane ut poſt multa necquicquam lecta, tandem iratus comicum illud uſurpes: Feciſtis probe, incertior ſum multo quam dudum. Unde vero hoc eſt? inde, quoniam ſæpe his doctis interpretibus magis cordi eſt cavere, ne qua ſibi ſcientiam oſtentandi occaſio prælabatur, quam ut genuinum loci ſenſum & reperiant ipſi, & aliis oſtendant.* Hactenus *Werenfelſius*. Peccare etiam frequenter in hoc argumento ſolent Doctores publici, ſacris lucem prælaturi, qui nonnullis veterum vel recentiorum Philoſophorum addicti ſunt opinionibus. Hi enim certos religionis articulos explicaturi, tot admiſcent hypotheſes, ut viri veri amantes, nulloque partium ſtudio abrepti, ratiocinationis nexum & totius ſermonis ſcopum adhibita non mediocri attentione vix capere poſſint. Cujus rei cauſa præter

alia nulla alia dari poteſt, quam quod *ſimplicitatis* in indaganda veritate vel nullam vel exiguam habeant rationem. Accedit quod multi Doctores publici crebris ſæpe utantur digreſſionibus, eruditionem ſuam demonſtraturi. Vitium hoc viris in cæteris eruditiſſimis, *Seldeno* nimirum & *Salmaſio*, a J. *Clerico* in *arte critica* fuit objectum: ferri quidem hoc poſſet in iis, qui omnes Philologiæ ſinus perreptare, & de variis rebus, prout occaſio ſuggerit & varia lectio, diſſerere, ſuamque in hoc ſtudiorum genere peritiam demonſtrare volunt. At ſæpe peccant hac in parte illi, qui cum nonniſi ea homines edocere deberent, quæ ad ſalutarem rerum divinarum cognitionem conſequendam facere poſſunt, in ſupervacuis inculcandis deſudant. In hoc ſtudio occupatis compendioſiſſima potius monſtranda via; reſecanda ſunt non neceſſaria; ponderoſiſſima quæque adductis argumentis in medium proferenda, & omnes inutiles tricæ ſcholaſticæ, quorumcunque tandem Doctorum auctoritate munitæ, exterminandæ. Incidi ante aliquot annos in libellum, cujus titulus erat: *de natura animæ Jeſu Chriſti.* Cupide illum perlegi, viſurus unde, & quibus ex indiciis huic argumento lucem allaturus ſit auctor. At poſt varias adductas ex Logica, Metaphyſica, & Pſychologia definitiones, axiomata, hypotheſes, ad finem libelli properans, hoc unum didici, nimirum, animam Jeſu Chriſti longe excellentioribus dotibus fuiſſe ornatam, quam quidem vulgares mortalium animæ ſunt inſtructæ: quod auctori ante lectionem tot rerum, ad rem nihil facientium, facile conceſſiſſem. Noſtra profecto ætate, qua *hiſtoriæ litterariæ* ſtudium floret, multi Theologi, hoc vel illud religionis dogma probaturi, tot numero notas, & tantum acervum variorum teſtimoniorum ad rem non pertinentium ſæpe ſubjiciunt, ut animus non tam in themate ipſo, quod pertractandum erat, quam vero in citatione tot auctorum & teſtimoniorum defixus ſit.

VIII.

Repræſentatur ſexta cauſa, quæ ſimplicitati theologicæ

Accedimus ad aliam cauſam, quæ impedit, quo minus Doctores publici, Theologi cumprimis, *nobilem* illam & toties a nobis commendatam *ſimplicitatem* ſectentur, & hæc eſt *partium & ſectæ ſtudium.* Verum quidem eſt, hoc eſſe generale inquirendæ veritatis

ritatis impedimentum, quod nonsolum *ſimplicitati theologicæ* repugnat, ſed & in univerſum malæ cauſæ, ubi de religione cumprimis agitur, indicium eſt. obicem ponit. Interim tamen ſapientes omnes & rerum divinarum gnari fatebuntur, *partium* & *ſectæ ſtudium* in cauſa eſſe frequentiſſime, quo minus viri docti *breviſſimam* & *tutiſſimam* ad verum perveniendi viam ſequantur. Cum enim *ſimplicitas* illa depoſcat, ut nonniſi *nuda veritas* ſine fuco, nullo habito reſpectu harum vel illarum opinionum, in his vel illis cœtibus Chriſtianorum receptarum, luci exponatur; *ſectæ* vero *ſtudium* in contraria trahat, & non quid verum, ſed quid huic vel illi parti conducat, ſollicitum ſit, omnes facile deprehendunt, huic vitio deditos *nobilem* illam *ſimplicitatem* neglecturos. Nullibi autem magis vim ſuam exerit hoc ſtudium ſectæ & partium, quam in interpretatione S. Litterarum, & diſquiſitione de harum vel illarum veritatum theologicarum pondere. Hic quiſque ſuas, quas cum lacte materno in ſcholis & gymnaſiis juvenis imbibit opiniones, quærit, & tandem etiam, ut putat, reperit. Malum hoc immedicabile eſſe puto, taleque, quod nullis regulis vel remediis coerceri poſſit. Homines, hoc morbo laborantes, ubique vident receptarum opinionum ſuarum decreta, quæ tanquam certa oracula cœlitus delapſa animis infixerunt. Dudum hoc faſſi ſunt Theologi clariſſimi & doctiſſimi. Unum tantum aut alterum teſtimonium adduxiſſe juvabit. Ὁ μακαρίτης celeb. *Werenfelſius*, Diſſertat. I. quæ agit de *plebis poteſtate judicandi de dogmatibus fidei*, inter alia ita loquitur: *Quid magis judicium acutiſſimorum corrumpit, atque illud partium ſtudium, quod ſemper inter doctos, eos præſertim, qui Sacris præſunt, regnavit? Explicet mihi aliquis, cur de certis dogmatibus omnes Jeſuitæ aliter ſentiant, quam omnes alterius ordinis homines: Omnes Franciſcani aliter, quam omnes Dominicani: Omnes Sorbonæ Theologi, quam omnes Tranſalpini: & ne noſtros omittere videar, omnes Theologi Lutherani, ut vocantur, quam omnes Reformati: omnes hujus religionis aut Academiæ Doctores, quam alterius. Ridiculum eſſet dicere, conſentientes ſimile habere corporis temperamentum, aut ſimilem ingenii* διάθεσιν*; his adverſantes contrariam: aut hoc provenire ex diverſitate aëris, quem diſſentientes reſpirant. Studium partium hoc eſt, aut neſcio quid ſit ſtudium partium. Nimirum ſimul atque aliquis ſectæ, ordini, ſocietati, adſcribitur, omnes protinus opiniones ejus adoptat. A ſua*

parte

parte nullum est præjudicium, nullus error, nulla injustitia, nullum partium studium; ab adversa nil nisi præjudicia, errores, injustitia, nil nisi partium studium. Si centum & amplius suæ parti intercedunt controversiæ cum parte opposita, centum & amplius sua pars rectissime decidit, pars adversa ne in unica quidem veritatem attingit. Ita *sapientissimus* ille *Theologus*. Eodem modo judicat Theologus oculatissimus, Stephanus *Gaussenus*, (quem alicubi *celeb.* & *amicissimus Heumannus* feculi fui *Werenfelsium* fuisse asseruit) de natura Theologiæ agens, inter alia, præcepta suppeditat Scripturam cum fructu legendi. Tertium præceptum ita sonat: *Præjudicia deponat: hoc est animum suum ita comparet, ut cum Dei verbum legit, se huic vel illi religioni addictum esse, si pote, obliviscatur: eo enim fiet, ut præconceptas opiniones ad Scripturam; non, contra quamplurimi faciunt, Scripturam ad præconceptas opiniones examinet; & ita sit, non amplius felicitate tantum nascendi, sed scientia & fide Christianus.* Et paucis interjectis ait: *Incredibili illa felicitate sese scientes privant, qui Scripturam eo animo commentantur, ut quæ a nutricibus & parentibus fando acceperunt, ea quoquo modo inveniant in Scriptura; errant enim illi, etiam cum recte sentiunt: nam quomodo arquati, quibus omnia lurida videntur, quæ vident, cum ea lurida esse putant, quæ revera sunt lurida, non tamen bene judicant, quia falso principio judicium istud nititur; ita qui veritates, quas ex præjudicio forte nactus est, in omnibus Scripturæ Sacræ libris, paginis, versibus, se videre arbitratur, si quando eveniat eum recte sentire, haud recte tamen sentit; siquidem enim non certum judicium, sed casus in eam partem intulit. Nempe eorum hominum manus, quomodo viator in latronem, veritas delapsa est; quæ si haberet aliquem sensum, graviter indignaretur, se, quæ homines vindicat in libertatem, tam indignis vinculis constringi istos; nam id quoque addere non inutile fuerit, tu ex ea nota facile dignoscas, quod Scripturæ loca sine ullo accuratiore examine in acervum congerant, & dum nihil indictum esse volunt, sæpe ea, quæ maxime ex re erat dici, prætervehantur; qui homines profecto, si Turcæ nati essent, Mahumetismum tam fideliter imbibissent, quam Christianismum imbiberunt.* Hactenus *Gaussenus*. Inprimis vero illud *studium sectæ* simplicitati theologicæ quammaxime officit, quia principio *cæcæ auctoritatis* superstructum est. Hoc vero si semel valet, quid tandem ad veritatem eruendam & propugnandam super-

perstitionem & aniles opiniones rejiciendas conferre poterit sincerus *veritatis* & *simplicitatis* amor? Identidem hi homines in scenam prodire jubent hos vel illos antiquos pariter & recentiores Doctores; eorum decreta, distinctiones sæpe frivolas & ineptas in cœlos tollunt laudibus, actumque cum vera religione esse clamant, nisi hæc vel illa opinio longo seculorum usu recepta firmiter teneatur & defendatur. Hoc vitium suo tempore non sine sale M. *Erasmus* taxavit, Monachos, si fieri posset, ad saniorem mentem revocaturus. Cum vero hoc animo hi homines ad divinas disciplinas examinandas aliisque tradendas accedant, quid mirum est, si frequentissime a scopo principali, adeoque etiam a vera *simplicitate theologica* recedant, quærentes ea duntaxat, quæ sectæ, cui addicti sunt, non veritati patrocinantur? Ut jam non dicam, fieri vix posse, quin affectibus compulsi sæpe in præcipitia ruant, eaque omnia in medium proferant atque vehementer urgeant, quæ ad salutares veritates elucidandas plane nihil conferunt.

IX.

Transimus jam quidem ad *septimam* causam hujus, quod impugnamus mali, quæ quidem prima fronte nimis generalis videri posset, id quod non negamus; interim tamen etiam inter ea referri potest, quæ impediunt, quo minus *simplicitas theologica* observetur. Atque hæc est *artis cogitandi & dicendi imperitia*. Philosophiam in genere, peritiam vero artis cogitandi in specie, multum ad ingenium acuendum conferre, mentesque ad divinas pariter & humanas res rite cognoscendas & ponderandas inducere, notius est, quam ut multis probetur. Inprimis vero *ars recte cogitandi* insignem adfert utilitatem, ad *veram simplicitatem* in tradendis divinis pariter & humanis disciplinis tuendam. Id enim omnibus viribus agunt artis cogitandi magistri, ut discipulos veræ sapientiæ, sive humanæ sive divinæ edoceant; elaborandum nimirum ante omnia esse, ut quantum per rerum naturam fieri potest, *claras* & *distinctas* de rebus habeant notiones; ut præjudiciorum fontes, vim & efficaciam eorum commonstrent; ut gradus probabilitatis in cognoscendo vero rite detegant; ut sciendi cupiditati frena injiciant, atque ostendant, fieri per rerum naturam non posse, ut omnia, in rebus divinis

In medium adducitur septima hujus mali causa.

cumprimis, ad *mathematicæ demonſtrationis* leges exigantur, ut de aliis partibus utiliſſimæ diſciplinæ nihil dicam. Plures autem eſſe inter Doctores publicos, qui de rebus divinis ſcribunt & diſſerunt, qui turpiter hanc & alias diſciplinas philoſophicas neglexerint, notius eſt, quam ut multis probetur. Multi ſunt, qui exorta nova philoſophandi methodo, in verba magiſtri jurant, quia putant hanc eſſe breviſſimam ad eruditionis famam graſſandi viam, cæteros omnes, qui nulli ſectæ ſeſe addicunt, exiguis animi facultatibus eſſe inſtructos: hinc etiam hypotheſes novorum magiſtrorum, quo magis ſunt perplexæ & incertæ, eo majore animi fervore defendunt; in iis propugnandis omnem ſapientiam repoſitam eſſe credunt, neglectis interim iis omnibus, quæ in Philoſophia graviſſima & utiliſſima eſſe ſolent. Quod de neglectu artis cogitandi & nobiliorum partium Philoſophiæ monui, idem etiam de *artis dicendi imperitia* dictum volo. Multi de rebus theologicis ſcribunt, qui per vitam ne cogitarunt quidem de genuinæ artis rhetoricæ præceptis cognoſcendis, & in uſum revocandis; exiſtimantes ſi animorum ſuorum ſenſa qualitercunque exprimere, & quicquid promiſcua lectio, memoria, vel collectanea ſuppeditant, effundere poſſint, id omne ſine accuratiore cogitationum & verborum diſpoſitione præſtari poſſe. Unde fieri aliter non poteſt, quam ut multa *ſimplicitati theologicæ* quammaxime contraria in medium proferant. Sunt, qui ſibi vehementer plaudunt, ſi abſque ullo ordine myſticas quaſdam phraſes & ſententias inintelligibiles decantare poſſunt, aſſerentes, lucem quandam, neſcio unde ortam, nullas *artis dicendi* regulas in ſcholis tradi ſolitas admittere, imo religioni contrarium eſſe, ſi quis de rebus ſacris verba facturus iis utatur. In quo quidem ſimpliciores fallunt, doctis vero deriſui ſunt, quanquam hoc facere periculoſum plane ſit, cum boni homines tales pro religionis contemtoribus habere ſoleant. Alii ſunt, qui in ſcholis quidem artis dicendi præcepta, terminoſque & figuras, neceſſitate coacti, memoriæ ſedulo mandarunt, ſed cui uſui ea ſint, ignorant; hinc ubi ad explicationem & commendationem rerum graviſſimarum deventum eſt, aut ridiculi fiunt, regulas non ſatis intellectas themati, quod illuſtrandum ſuſceperunt, applicaturi, aut veritatibus clariſſimis tenebras affundunt. Neſciunt quid ſit *naturam ſequi*, ordineque cogitata ſua & argumenta diſponere. Quid hic obſervandum

dum sit mea sententia, exposui in *dissertatione epistolica* de *pretio artis rhetoricæ*, quæ primo volumini *opusculorum meorum* inserta est. Dantur rursus alii, qui *veram sapientiam* cum arte dicendi conjungere nesciunt, atque adeo in rebus nihili, aut parum ad felicitatem generis humani facientibus laudandis, verbosi quammaxime sunt. In universum, ut dicam, plerique horum hominum, cum quibus jam quidem nobis res, ea quæ *vere sublimia* sunt, a *meteoris orationis* haud facile distinguere possunt. Hinc ad theologica & moralia delati omnia ineptis rhetorum figuris replent, regulasque generales & necessarias dicendi negligunt, quod *simplicitati theologicæ* quammaxime contrarium est. Unde etiam hi homines inepti sunt ad libellos de religione in gratiam plebis scribendos. Idem dictum velim de systematibus theologicis, simplici stylo & omnium ingeniis attemperato tradendis. Iidem tamen male sani Doctores ad alios taxandos ut plurimum sunt paratissimi. Quando vir doctus, veritatem aliquam theologicam illustraturus, a receptis obscurioribus verbis & phrasibus recedit, aliaque substituit verba, quæ ad summam rerum, quod spectat, idem significant, imo rem ipsam in clariore luce collocant, statim hi homines clamant, *orthodoxiam* (*nam hæc vox significat, quicquid significare potest*) in periculum adduci, ubi tamen manifestum est, bonos homines in meris obscuris vocibus hactenus adquievisse, ineptosque esse ad simplicissimas veritates perspicuo sermone explicandas. Dubium autem non est, quin defecatioris judicii defectus, imaginationis vero immodica vis, plurimum ad hoc malum augendum conferat. Hoc certum, ad omnis generis veritates examinandas & rite probandas opus esse acri judicio. Hoc vero potissimum locum habet in discutiendis veritatibus, vel erroribus ad religionem pertinentibus, præsertim postquam in partes itum est, & quælibet secta Christianorum speciosis ad suam sententiam tuendam utitur rationibus. Dantur insuper in religionis negotio capita gravissima & subtilia valde, ad quæ rite explicanda omnes ingenii nervi sunt intendendi, & talia quidem, sine quibus reliqui articuli religionis firmiter stare non possunt. Omnes profecto, qui accuratam habent religionis notitiam, clamabunt, cavendum esse quammaxime religionis christianæ defensoribus, ne ad eam rite explicandam & probandam infirmis argumentis & testimoniis utantur, & ma-

 gistro-

giſtrorum duntaxat placita ſequantur, eaque mordicus defendant. Monent iidem, probe diſpiciendum, quid in religionis negotio utile quammaxime ſit & neceſſarium, quid vero facile ſine damno omitti plane poſſit: Iidem frequenter ingeminant, cavendum, ne opiniones falſæ & periculoſæ, ſed longo temporis tractu confirmatæ, ſtabiliantur: frequenter docent, non ultra ea viro ſapienti & veritatis amanti eſſe in divinis progrediendum, quam quæ in Litteris aperte detecta ſunt, cum manifeſtum ſit, in religione multa dari capita, quæ ingenii humani capacitatem ſuperent, quæque poſt mortem demum, divinioris lucis radiis colluſtrati, rectius cognoſcemus. Notum inſuper, nos ſæpe ea, quæ legimus in S. Litteris, omnibus etiam præſidiis artis interpretandi inſtructos, non rite tamen intelligere. Innumeræ præterea dantur quæſtiones in ſcholis agitatæ, quas nonniſi vir acutiſſimi ingenii, & acerrimo veritatis amore incenſus, elucidare poteſt. In diſciplinis moralibus ſæpe traduntur dogmata, innumeris metaphoris & hyperbolicis locutionibus repleta, quæ ad accuratam judicii lancem expenſa, aut nihil plane ſignificant, aut rite evoluta nonniſi trita & vulgaria comprehendunt, quæ vero homo, infauſta imaginationis lue infectus, tanquam dogmata cœlitus delapſa veneratur, exoſculatur, commendat, omneſque, qui non pariter ſentiunt, in eorum numerum refert, qui abjecte de religione ſentiant, dignique ſint, qui catalogo *hæreticorum* inſerantur. Sed hac ratione aliter fieri non poteſt, quam ut *ſimplicitas theologica* pedibus conculcetur, obſcuritas vero & ineptarum quæſtionum numerus confirmetur & amplificetur; ignorantia & ſuperſtitio, ſub pietatis larva, incrementa capiat, omneſque futiles quæſtiones & luſus verborum *religionis* nomine venditentur. Veteres pariter & moderni *Fanatici*, *Sinzendorfiani* cumprimis ſyſtematis defenſores, exemplo eſſe poſſunt, quid homines culturam rationis negligentes, & impetum imaginationis luridæ ſequentes, in rebus ad religionem ſpectantibus, præſtare, & quantum malorum rebuſpublicis pariter & eccleſiis inferre poſſint.

X. Pro-

X.

Octava hujus mali re-præsentatur causa.

Progrediamur ad aliam hujus mali causam detegendam, quæ posita est in *singulari quodam, de rebus aut plane ignotis, aut obscurioribus & ad felicitatem nostram promovendam nihil facientibus, disserendi & disputandi studio.* Theologi, qui de rebus sacris agunt & scribunt, in id ante omnia eniti debent, ut ea potissimum in medium proferant & urgeant, quæ auditoribus suis, doctis pariter & indoctis, cognitu quammaxime necessaria sunt. Quem enim tandem alium in finem religionem commendant, omnesque ingenii nervos impendunt, ad eam rite cognoscendam & animis insinuandam, quam ut auditores & lectores ipsius amore capiantur, vitamque suam ad regulas ipsius componant? Quam raro vero huic salutari scopo respondeat eventus, cottidiana docet experientia. Unde quilibet, qui pretia rerum rite expendit, & ad officia Doctoris christiani attendit, facile colligere potest, quam vim in animos discipulorum suorum habituræ sint prolixæ disquisitiones, de rebus obscuris plane & capacitatem ingenii humani superantibus, aut planis quidem, sed ad felicitatem nostram internam promovendam nihil plane facientibus. Quis non potius religionis gnarus optabit, ut tales quæstiones alto silentio premantur? Scio Theologis, ut sunt tempora nostra, impositam esse necessitatem de rebus ad disciplinam sacram pertinentibus plura cognoscendi, quam quidem id ab homine, qui de salute æterna unice consequenda sollicitus est, requiritur; neque ulla ratione *fratribus ignorantiæ* patrocinari volo. Stet etiam per me cuivis disciplinæ, quæ lucem adferre potest religioni christianæ, suum pretium & decus, atque ad eas rite excolendas admoneantur S. Litterarum studiosi. At id quod obscurum valde est in religione, & ingenii humani capacitatem superat, nullo unquam tempore veræ sapientiæ cultori magnam utilitatem adferre poterit. Quæ igitur causa legitima tandem dari poterit, cur sapientiæ magister in tradendis rebus vel obscuris plane, vel cognitu non necessariis, tempus consumat, inprimis ubi perspectum habet, juvenes meliora non edoctos ad curiosas potius quæstiones, quam necessarias & utiles cognoscendas naturæ quasi impetu trahi. Quod si publico Doctori necessitas est imposita, de obscurioribus & parum necessariis quæstionibus agendi & disserendi, faciet

id breviſſimis verbis, & quaſi aliud agendo, & reſecabit ſimul omne illud quod ad rem non pertinet, monſtrabitque tandem ſuis auditoribus, ſe invitum ad tales diſceptationes inſtituendas adactum, & de rebus majoris momenti ſemper cum iis malle agere. At eheu! omnium ſeculorum experientia docuit, multos Doctores publicos de obſcuriſſimis & nihil profuturis quæſtionibus magnis animorum contentionibus dimicaſſe, & adhuc noſtra ætate concertare. Hac vero ratione nonſolum tempus inutiliter teritur, juvenumque ambitioſorum animi adeo ridiculo faſtu replentur, ut in his quæſtionibus diſcutiendis, neglectis majoris momenti religionis articulis, maximam vitæ partem tranſigant, ſed & ita *divina* illa *ſimplicitas theologica* tenebris involvitur, nulla fere arte diſpellendis. Quot ſunt quæſo ſacræ diſciplinæ alumni, qui prætermiſſo philologiæ ſacræ, hiſtoriæ eccleſiaſticæ, & ethicæ chriſtianæ ſtudio, ſine quarum tamen ſcientiarum accuratiore notitia nemo evadit vel mediocris Theologus, aut V. D. Miniſter, in excutiendis quæſtionibus minutis, ſed parum profuturis ſingularem operam ponunt? Eruditum eſt ſeculum noſtrum, non infitior. At & hoc manifeſtum eſt, ſingulis fere annis novas quæſtiones theologicas ſed cognitu parum neceſſarias moveri, & more ſcholaſticorum Doctorum ævo recepto ventilari. Teſtis fide digniſſimus eſt *hiſtoria litteraria noſtri temporis.* Si cui hæc liberius dicta exiſtimentur, legat ille *τυ μακαριτυ celeberrimi Werenfelſii* diſſertationem, de *ſcopo* Doctoris Theologi, & adjungat illi orationem *venerabilis Antiſtitis* noſtri J. C. *Wirzii*, elegantiſſimam & *lectu digniſſimam*, *Muſeo helvetico* illatam, Partic. XVI. in qua *Apologus de religione ſectatores ſuos recognoſcente & luſtrante narratur.* Inter alia ſic loquitur *venerabilis vir* pag. 502. *Quum horridus tubarum clangor nationes evocabit, & Rex Deo ſatus nova luce fulgens cunctis gentibus immota jura dabit, numnam tunc loci quæſiturum putatis, & ſcrupuloſo examine ponderaturum, quæ prima primi peccati cauſa ſit: utrumne Adam, gentis humanæ ſator, fati, an ſpontis ſuæ crimine lapſus fuerit; an voluntas proprio ſtet arbitratu, rectoris expers; unde originis lues immiſſa ſit terris; num anima ſit tradux poli, an cum parentum ſemine procreetur; quis ordo rerum, ſit ne inſtabili fortunæ locus, an cuncta irreflexis conſtent legibus viique ineluctabili: an Deus, ſupremus omnium arbiter, abſoluta ſorte illos ſaluti deſtinet, hos ſempiternis ignibus; num mundus hic ſit optimus,*

mus, ut meliorem Deus condere non potuerit; utrum essentiæ rerum æternæ sint, an temporariæ, & si æternæ, num necessariæ in Deo, an arbitrariæ; quæque alia otiosa mens multo cum labore perpetim quærit, & vix tandem invenit? Quorsum, quæso, ista tendunt? Quid tot disputationibus, tot velitationibus, & tricis opus est? Vox illa, divino ore missa, veri fide dignissima testis, & vitæ datrix certissima, vox quæ salutem nuntiat resipiscentibus & credentibus, late per omnes mundi plagas didita est. Nullum juvabit inscientiæ color, nec curiosæ indaginis indigemus; meridiano sole clarius liquet illa Ter Sancti Numinis voluntas, quæ fidelibus & a pravitate morum ad virtutis studium reversis cœlum recludit. Hanc septuennis puer & aure haurit, & animo complecti potest. Quidni hic limes sit, quem hoc illove modo demutare aut transire nefas ducendum? Quidni multa defixi metu miremur, haud rimemur, cum inquiri haud deceat, quæ mortalium imbecillitas non capit, & insanientis sapientiæ opus sit plura sciscitari, quam Deus docere vult? Legem supremam veritatis continet cœleste verbum, ad cujus normam omnia omnium aliorum dicta & scripta sunt exigenda. Hæc est amussis, ad quam cætera exæquanda; hæc est cynosura, index poli fallere nescia; hæc vera sunt ancilia cœlo lapsa, nulli movenda; hic hæret ille Terminus, quem qui ducem sectatur, & rectam fidem amore mixtam, is solus verum videt. Et si in disciplina militari laudi habetur, imperia ducum non interpretari, sed exequi; quanto magis id valebit in disciplina christiana, quæ sane non contando, sed parendo constat? Hactenus v. ille vir. Præter ea, quæ a *venerandis* hisce viris de hoc argumento dicta sunt, unum tantum vel aliud adferamus, quod forte & Doctoribus publicis, & omnibus disciplinæ sanctissimæ cultoribus stimulos addere potest, ad ea, quæ supra dicta sunt, rite perpendenda. Brevibus, quæ dicenda sunt, comprehendemus regulis.

Prima: Christianos omnes, doctos pariter & indoctos, in eum potius finem natos, & in lucem editos, ut officiis Christianismi strenue defungantur, quam ut cerebrum defatigent longa & prolixa singularium, minutarumque quæstionum disquisitione, ad felicitatem nostram obtinendam parum faciente.

II. Ex prima hac observatione per legitimas consequentiæ leges sequitur, ea duntaxat a publicis Doctoribus auditoribus suis esse inculcanda, quæ in vita & morte scivisse & præstitisse quammaxime omnium interest.

III. Ipsi

III. Ipſi Doctores publici, ſi ſapiunt, & non ſine diſpendio temporis varias theologicas quæſtiones examinarunt, fateri tenentur, multas controverſias magno animorum æſtu in eccleſia chriſtiana agitatas fuiſſe, quæ ad felicitatem Chriſtianorum, doctorum pariter & indoctorum, promovendam nihil plane conferant.

IV. Controverſiæ ſubtiliores inter eruditos agitatæ captum plebis ſuperant, quæ tamen non minus certam ſpem conſequendæ ſalutis habere poteſt, quam eruditi. Hinc ſequitur Theologiæ Candidatum infelicem plane eſſe, qui in quæſtionibus problematicis, plebiſque captum ſuperantibus, non poſtremam ætatis ſuæ partem exegit, neglecto graviſſimorum articulorum theoreticorum & practicorum examine. Ita enim fieri aliter non poteſt, quam ut ad cœtum aliquem rite regendum vocatus, præpoſtera plane methodo ea ſolerter injungat, de quibus olim in Academia, quam frequentavit, acerrime inter eruditos fuit diſputatum, altiſſimum vero ſervet ſilentium de iis argumentis, quæ ſine diſpendio ſalutis ignorari non poſſunt; aut ſaltem frequentius de certis articulis in ſcholis agitatis ſermocinetur, quam de iis, quæ graviſſima ad pietatis veræ ſtudium ſuppeditant incitamenta.

V. Vitam noſtram *brevem* eſſe, & incertum vitæ finem, nemo ignorat. Certum autem homines omnes, cujuſcunque generis, accurata articulorum religionis ſcitu neceſſariorum cognitione oportere eſſe inſtructos; religionis autem nomine cumprimis ea intelligo, quæ animos ad amorem Dei ſincerum quammaxime compellere poſſunt. Ex quo prudentes & pii Doctores publici colligere debent, ea omnia reſecanda eſſe, quæ ad beatam immortalitatem conſequendam plane nihil faciunt; contra vero ea omnia diſcipulis ſuis eſſe inculcanda & inſinuanda, quæ nonſolum plebi ſingularem pietatis amorem ingenerare poſſunt, ſed & quæ futuro paſtori in omnibus vitæ adverſitatibus verum ſolatium adferre poſſunt.

VI. Cum omnibus, cuicunque tandem ſectæ inter Chriſtianos addictis, notum ſit ab una parte, ad edomandos pravos animorum affectus multo labore & exercitio opus eſſe; ab altera vero religio chriſtiana omnes cœlo excludat, qui ad finem uſque vitæ iis frena laxant, merito quæritur, utrum non Doctores publici auditores ſuos iis præceptis ante omnia munire debeant, quæ ad hæc vel illa vitia impugnanda, & radicitus, ſi fieri poſſet, ex animis

evel-

evellenda, plurimum conferre possunt, quam vero ut ad debellandas plurimas opiniones falsas sæpe., sed exigui momenti, eos instruant, atque aptos reddant; cum satis notum sit, futuris pastoribus non tam cum varii generis erroribus subtilioribus & opinionibus novis, quam vero cum vitiis cottidianis iisque gravissimis & in oculos incurrentibus negotium fore. &c. Hæ & aliæ rationes, frequenter divinæ sapientiæ alumnis inculcatæ, mea opinione plurimum conferre possent ad negligendas tot curiosas & inutiles quæstiones, & ad ea potius juventuti mature tradenda, quæ per omnem vitam ipsi, & futuro Doctori publico maximam utilitatem adferre possent. Ita semper ad *divinam* illam *simplicitatem* propius accederemus. Placet huc adduxisse verba τȣ μακαρίτȣ P. *Martyris*, (*) ita in commentario ad 1. ad Cor. X. v. 11. pronuntiantis: *Miserum est* (inquit) *cum habeamus tot clara & aperta in S. Litteris, de fide, spe, charitate & cæterarum virtutum officiis, in quibus nihil est obscurum, quod ea prorsus neglecta relinquamus; & tanta superstitione quæ incerta sunt, & minus ad salutem faciunt, velle persequi. Hoc diabolus curat, ut in quæstionibus infinitis ac inutilibus vehementer laboretur: abjectis, quæ necessaria sunt, ut serventur.*

XI.

Nona adducitur ratio.

Ulterius causas neglectæ simplicitatis theologicæ pervestigaturis occurrit *præpostera quædam de vera orthodoxiæ natura opinio*, *aliisque placendi studium.* De voce ipsa *orthodoxia*, ejusque origine, non opus est ut multis agamus. (**) Hoc notum, omnes Christianos, cuicunque sectæ addictos, (ut de *Judæis*, *Mahumedanis*, & *Gentilibus* jam nihil dicam) existimare, se recte sentire de religione, atque adeo *orthodoxos* esse. Quo jure id fiat, jam non quæram. Dantur insuper in omnibus *academiis* & *gymnasiis illustrioribus* Doctores, uni quidem eidemque sententiæ in summa rerum

(*) Conferenda cum hisce commentatio lectu dignissima τȣ μακαρίτȣ cl. Doddridge, quam habuit in verba Pauli I. ad Timoth. IV. 16. quæ extat in opusculo de regeneratione, pag. 403. seqq.

(**) Vide breves illas quidem, sed attentione dignas cogitationes de orthodoxia cl. viri Joh. Rod. Osterwaldi, particulæ VIII. Musæi helvetici insertas.

addicti, sed inter quos tamen quidam reperiuntur, qui κατ' ἐξοχὴν *orthodoxi* appellari volunt. Nimirum inter *Lutheranos* pariter & *Reformatos* tales sunt, qui summa & essentialia capita systematum publice receptorum admittunt, ita tamen, ut non omnes particulares opiniones, locorum Scripturæ explicationes, & quæstiones minutas a Majoribus inventas probent, sed sibi & aliis aliquam libertatem concedant, ab iis recedendi & aliter sentiendi. Animo quin etiam æquo ferunt, si quis fratrum non omnia plane sectæ placita calculo suo comprobet, quia persuasi sunt, per rerum naturam in hac caligine mentium humanarum fieri non posse, ut omnes inter tot diversas quæstiones theologicas, quæ agitantur, per omnia idem sentiant. Hi vero, qui ita sentiunt, licet eidem ecclesiæ addicti sint, tamen *heterodoxiæ* suspecti sunt. Pro *vere orthodoxis* illi habentur, qui omnia gravia & levia scholarum capita, omnes distinctiones minutas, & quæstiunculas nullius momenti a Majoribus inventas exosculantur, tuentur, acriter defendunt, aliisque fratribus qui mitius de hac vel illa quæstione sentiunt, insultant, & quantum possunt famæ & existimationi eorum, eruditione & meritis partæ, detrahunt; imo eo sese magis *orthodoxos*, & cœlo propiores esse existimant, quo majore fervore suas opiniones defendunt, & inclementius in alios invehuntur. Rem ita se habere multorum seculorum experientia docuit. Si quis juvenis Ministerio S. consecratus, academiam aliquam frequentaturus est, facile colligi potest, quas opiniones secum in patriam redux reportaturus sit. Inter mille enim Theologiæ studiosos (ut de aliarum disciplinarum cultoribus nihil dicam) vix decem reperias, qui non Doctorum suorum, quos audiverunt, opinionibus subscripturi sint. Quod si illi deprehendant eas in patria a doctis quibusdam viris probari, & magni æstimari, eas ubique propalant, & tanquam pretiosas valde merces concivibus suis commendant. Ubi vero vident principibus in ecclesia & republica viris musteas illas opiniones improbari, veteres vero a Majoribus traditas hypotheses valde laudari, earumque strenua defensione ad optimas stationes obtinendas viam præparari, altissime de Doctorum suorum novis præceptionibus silent, mutaturi singulas in horas sua decreta, quæ non sine magna pecuniæ summa apud exteros addidicerunt. Quam apti autem tales Theologiæ cultores sint, ad genuinam religionis christianæ *simplicitatem* observandam, & inutiles quæ-

stiones

ſtiones reſecandas, deprehendent omnes qui ſapiunt, & Theologiæ veram & accuratam habent notitiam & guſtum. Primo enim maniſeſtiſſimum eſt, homines ita animatos inquirendæ veritati theologicæ obicem ponere. Repetunt enim duntaxat ſonos magiſtrorum ſuorum, neque ἀτερ παθων quid verum atque momentoſum, quid *ſimplex* atque *grave* ſit, expendunt, ſed eunt quo itur, non quo eundum eſt, poſthabita accurata veritatis, quæ ſecundum pietatem eſt, inquiſitione. Manifeſtum inſuper eſt, hos homines nonſolum exiguam rationem habere *veritatis*, ſed eos potius ad placendum aliis, fortunamque ſuam quærendam, quam vero ad eam in lucem protrahendam, & felicitatem aliorum promovendam factos eſſe: unde ſponte ſequitur, nihil ab hoc hominum genere, quorum ingens eſt turba, exſpectari poſſe, quod reducendæ *ſimplicitati theologicæ* aliquod præſidium afferre poſſit.

XII.

Merito etiam inter cauſas neglectæ ſimplicitatis theologicæ refertur *minus circumſpecta philoſophicarum hypotheſium cum religione chriſtiana mixtura.* Nemo negat ratione opus eſſe, ad *religionem* cognoſcendam, explicandam, & tuendam: imo quo quis magis ejus vires, cæteris inſtructus præſidiis, intendit, eo aptior eſt ad iſtam illuſtrandam. Ea inſuper, quæ in Philoſophia omni certa ſunt, & ab omnibus fere admiſſa, ex Metaphyſicæ & Theologiæ naturalis principiis petita, merito adhibentur ad religionem in tuto collocandam, & ad errores quoſdam ineptos & contradictorios refellendos. Hoc ſenſu mixtura illa periculoſa non eſt: ſed ſermo nobis eſt de quibuſdam hypotheſibus, quæ propter infirmitatem ſuam pro temporum & Doctorum varietate mutantur. Ita notum eſt, chriſtianam religionem primo *platonicæ* & *ariſtotelicæ* philoſophiæ decretis fuiſſe attemperatam; noſtra vero & patrum noſtrorum ætate, ad celeb. Philoſophorum, *Carteſii* & *Wolfii*, placita exactam. Neque, ut eſt cum ingeniis humanis comparatum, finis unquam huic malo imponetur. Attentione digna ſunt verba B. *Bullingeri*, quæ de hoc argumento ante ducentos annos in medium protulit, quæque extant in præfatione tractatui de *gratia juſtificante* præmiſſa, atque ita ſonant: *Magna eſt* (inquit) *ſimplicitas doctrinæ apoſtolicæ propheticæ*-

Repræſentatur decima cauſa neglectæ ſimplicitatis theologicæ.

que, de justificatione hominis coram Deo: contortam & obscuram reddunt hominum disputationes ex variis & pravis fere affectibus profectæ. Immiscent nonnulli non pauca ex superciliosa & altercatrice philosophia. Disputatur acutissime de causis causarumque differentiis, & de aliis id genus innumeris, quæ nisi ad amussim excutias, haberis pro disputatore barbaro & proletario, Non diffiteor interim philosophiam alicubi, & maxime in modestis ingeniis suum habere usum & fructum; rursum tamen negari non potest, eam puriori doctrinæ plurimum offudisse tenebrarum, superstitiosamque ejus observationem ecclesiæ & turbas dedisse & adhuc facere negotium. Pluris mihi quidem facienda videtur sancta disciplinæ puræ simplicitas, & consensus in ea catholicus, quam acumen chrysippeum. Nam perpetuo id verissimum esse experimur quod Apostolus dixit, scientia inflat, charitas ædificat: & quod sapiens ille Salomon pronuntiavit: Qui ambulat simpliciter, ambulat tuto. Proinde Apostoli sanissimo consilio commendarunt omnibus fidelibus simplicitatem puram & puritatem simplicem, maxime in dogmatibus fidei christianæ, admonentes sedulo, ut in sancta simplicitate perseveremus, modisque omnibus fugiamus contentiones & novitatis studium, disputationesque ambitiosas. Hactenus *Bullingerus.* Varia interim hæc agendi ratio post se trahit mala. Ubi ad probanda gravissima religionis capita adhibentur argumenta, quæ ex meris hypothesibus philosophicis constant, quidam non satis acutum cernentes colligunt, ipsas veritates, ad quas probandas hypotheses illæ adhibentur, debili valde niti fundamento, de qua re nos alibi plura dixisse meminimus. Pessimum hoc esse, quod per hanc viam nonsolum ventosis ingeniis amplissima datur disputandi materies, quod occasione argumentorum *Cartesii* (ut de innumeris aliis nil dicam) pro existentia divina, ab *idea Dei* petitorum, factum esse novimus; sed & ita longissime semper a *vera simplicitate theologica* receditur, opinionesque exigui momenti non resecantur, sed potius indies augentur. Legantur duntaxat ea, quæ de controversiis in cœtibus Protestantium, inde ab emendatione Sacrorum agitatis, a viris doctis scriptis sunt consignata, & in aperta luce, ea quæ dico, posita erunt. (*)

XIII. Deni-

(*) Digna sunt, quæ ad animum revocentur cl. Theologi & Philosophi J. Claubergii de hoc argumento verba, ita sonantia: „ Justinianus Im„ perator pluribus Institutionum paginis hanc sibi laudem tribuit, quod

XIII.

Denique, ne ulterius progrediamur, ultimam hujus mali, de quo hactenus locuti sumus, causam afferemus. Atque haec quaestio est in *naturali quodam, & longa consuetudine confirmato torpore, ea, quae in Religione eximia prae caeteris sunt, examinanda.* De re ipsa nolumus prolixe disserere, quia hoc ab incepto longius nos abduceret; sed quatenus illa simplicitati theologicae duntaxat obsit solliciti erimus. Hoc experientia confirmatum est, inter Doctores publicos paucos dari, qui veritates theologicas, quas aliis tradere debent, ἄτερ πάθων examinent, & de pretio singularum propositionum accuratum & sincerum ferant judicium. Paucissimi dissentientium scripta cum cura evolvunt, disquisituri, utrum meliorem lucem ex iis revelationi afferre possint, nec ne, & utrum tam infirma ad suam religionem probandam adferant argumenta, ac quidem id in receptis systematibus vulgo adfirmari solet. Imo non pauci periculosum esse putant, lustrare scripta ita *dictorum haereticorum*, verentes, ne a recepta *orthodoxia* abducantur, & in dubia incidant nulla arte vel difficulter solvenda. Ferri adhuc potest hic torpor; & haec negligentia horum Doctorum, quandoquidem multi, qui Sacris operantur, probe sciunt, se stationibus talibus olim admotum non iri, in quibus veritates theologicae cum aliquo eruditionis apparatu proponendae, & diversi generis errores publice impugnandi sunt: aut si spes aliqua affulgeat ejusmodi spartae obtinendae, ingravescente demum aetate, & valetudine minus firma, hunc honoris gradum se obtenturos vident. At multi tamen sunt, qui mentis & corporis viribus probe sunt instructi, neque tamen ea, quae in religione, quam amplexi sunt, aliisque tradere tenentur, id quod grave atque momentosum est examinare solent, sed potius sine discrimine omnes systematis sui semel recepti partes, omnia argumenta, & lo-

Affertur undecima, & ultima ratio neglectae simplicitatis theologicae.

„ cum juris veteris nimis angustas & subtiles formulas & scrupulosam „ observationem abrogaret, ipsam Jurisprudentiam hac ratione ad majorem simplicitatem unitatemque reduxerit. Optandum foret, similem in „ Theologia virum exsurgere, qui, rejectis litigiosae subtilitatis nodis, & „ amputatis curiosarum nimis & superfluarum addo & vanissimarum quaestionum minutiis, quas Theologiae cum scholastica Philosophia conjugium invexit, S. Theologiam repurgaret atque ad simplicitatem sobrietatemque divini eloquii revocaret. „

& loca Scripturæ, prout jacent, admittunt, inculcant, & defendunt, neglecto examine eorum, quæ a doctiſſimis viris, qui ab opinionibus noſtris recedunt, in medium ſunt prolata. Cauſæ hujus rei facile detegi poſſunt. Quidam Doctorum ingenii defectu laborant, adeo, ut ſi maxime vellent, argumenta ardua expendere non poſſent; alii pigritia quadam impediuntur, quo minus accuratum rerum credendarum examen inſtituant; præpoſtero metu in transverſum acti malunt antecedentium turbam ſequi, quam ſevero examini res maximi momenti ſubjicere. Sunt inſuper, qui præceptorum ſuorum dictatis adeo ſerviliter adhærent, ut nullis melioribus rationibus, etiam manifeſtiſſimis, a receptis opinionibus ſeſe abduci patiantur: quos in opinionibus ſuis confirmat, quod ſentiant & animadvertant, eos potiſſimum in cœtibus ſuis & eccleſia laudari & celebrari, qui omnes, minutiſſimas etiam, & ſæpe ridiculas opiniones, a Majoribus acceptas, ſtrenue defendunt, cæteros vero, qui ἄτερ πάθων omnia expendunt, variis calumniis eſſe expoſitos. Denique (ut finem tandem imponamus huic diſſertationi) dantur inter ipſos Proteſtantes male ſani Doctores, qui opiniones de religione, vel falſas, vel incertas, aut denique parum ad pietatem facientes, pro gravibus, fundamentalibus, & ſummo zelo defendendis veritatibus venditent. Atque ita fieri aliter non poteſt, quam ut a *divina* illa *ſimplicitate theologica* diſciplinæ ſanctæ alumni magis magisque retrahantur.

FINIS PARTIS PRIMÆ TOMI II.